LIBRA PENSILIS IN CUIUS GEMINA LANCE PRAEDESTINATI, & REPROBI QUOAD...

Sebastiano : di Alessandro

LIBRA
PENSILIS.

LIBRA PENSILIS

In cuius gemina lance Prædestinati, & Reprobi quoad numerum pensitantur.

[S]pella Theologis non ingrata: Concionatoribus congrua: Confessarijs proficua: singulisque Fidelibus ad excutiendum timorem, ad erigendam spem opportuna.

Addita Appendice de certitudine morali, quam habent de sua salute præ cæteris fidelibus Confratres SS. Rosarij, & sacrosancti Scapularis, seu Habitus B. M. V. De Monte Carmelo.

AD SS. PATREM NOSTRVM

CLEMENTEM DECIMVM,

PONT. OPT. MAX.

[P]er P. M. Sebastianum ab Alexandro ex Assistentem Generalem Italiæ Ordinis Carmelitarum: In Regno Neapolitano S. Officij Consultorem, & Qualificatorem: necnon in Vrbe Sacræ Congregationis Indicis Consultorem.

[R]OMÆ, Typis Ægidij Ghezzi. M. DC. LXXI.

Superiorum Permissu.



BEATISSIME PATER.

SACRIS tuis pedibus aduolutus, offero SANCTITATI TVAE exile meæ humillimę seruitutis pignus, non versicolorum pratorum floribus picturatum:

 sed

ſed obſequentiſſimæ deuotionis affectibus concinnatum. Valeat apud SANCTITATEM TVAM nobilitas materiei, quæ in hac ventilatur opellã: quamuis non magnificiendus ſit modus, quo eadem tractatur. Non tamen hinc præſumo, quod ad hos characteres Pontificiæ Maieſtatis Tuæ oculi inclinentur, quorum intuitum merentur dumtaxàt paginæ illæ, quæ Diuinitatis oraculis à Spiritu ſancto exornantur. Sed quid, ſi tantum præſumerem? *Indulgentiam mereretur humilitas* (vt phraſi Cypriani vtar) *quæ quos potest accessu ſublimitatis veſtræ manibus ſe porrigit attrectandam: non gloriam mendicans, ſed gratiam.*

Equidē præſumere audebo, quippe qui orbem vniuersū video in rebus tuis, nihil magis admirantem;

quam

quam Te, tuamque illam, quam ipso præfers nomine CLEMENTEM in summi Imperij apice HVMANITATEM: quæque tibi, quasi hæreditario iure è gentilitijs Astris contigit, quorum est super hunc mundum elementarem influxus effundere benignissimos. Huic igitur innixus ego, hanc libram pensilem qualiscumque illa sit, Tibi dicare, pariter & sacrare ausus sum; siquidem non agit temerè qui beneficentissimo Patrono gratum, & obsequentem se exhibet. Omnium meæ Religionis ingeniorum vel obsequia, vel munera SANCTITATI TVAE debentur: ea namque magna sint vel exigua, Tua erga ipsam munificentissima liberalitas sibi vendicat. Hæc enim confirmauit nobis Generalem Matthæum Orlandum in benignissimum Patrem

trem

trem: Hæc Religiosos nostros Episcopalibus infulis, & ipsis quidem conspicuis, decorauit: Hæc Prouincias nostras alieno, quo opprimebantur ære exonerauit: Hæc peculiaribus Indulgentiarum locupletauit Thesauris: Hæc (ne me ipsum præteream) indignitatem meam ingentibus (vt verum fatear) & Neapoli, & Romæ beneficijs, veluti oppressit.

Denique ad beneficiorum coronidem, Carmeli protectionem electo, ac præelecto Camerario Eminẽtissimo Domino D. Card. ALTERIO lubens, volensque commendasti. Cardinali ALTERIO dicam, an virtutum heroicarum emporio? verè virtutum emporio, cum in eo ad stuporem vsque Religio emineat, Pietas eluceat, Modestia fulgeat, Liberalitas effluat, Pruden-

tia

ia ſedem habeat, cæteræque virtu-
es, quarum ſingulæ ſingulos pur-
puratos Eccleſiæ Principes exorna-
ent, ſimul omnes mirabiles in ſan-
timoniæ choros fœderentur. Tan-
o igitur Principi, cui regendam
emandaſti Chriſtiani orbis immen-
tatem, anguſtam eiuſdē, ſed ſelectā
portionem, Carmelum nempè, pro-
egendam beneuolentiſſimè deſi-
naſti, vt peculiarem tuam apud
omines ergà Carmelum beneuo-
entiam confirmares.

Et quidem non immeritò Car-
nelus mons, à quo nos Carmelitæ
riginem trahimus, à ſex pellucidis
Aſtris, quæ auguſtiſſimo Tuo ſplen-
eſcunt in ſtemmate, fouendus, &
luſtrandus erat: à montibus enim
reuis eſt traiectus ad ſydera. Quod
benigna in Horoſcopo Aſtra vi-
ilitatem fœtibus, proſperoſque

**   ſuc-

ſucceſſus præſagiunt. Quidni benè augurer, non tam Carmelo, quam huic meo fœtui, ſi eis liberaliſſimæ Tuæ CLEMENTIAE, Tuæque patrocinantis HVMANITATIS benigniſſima ſydera illuxerint? Propugnant ſydera ſuos clientes, hoſtium cuneos expugnant; vndè habetur Iudicum 5. 20. *Stellæ manentes in ordine ſuo contrà Siſaram pugnauerunt*. Idcircò Aſtra Tua Carmelum tuebuntur, eius obtrectatores eliminabunt: & hinc mihi polliceor ſub talibus Cynoſuris, opellæ meæ nauiculam ſuprà calumniarum turbines eleuatam, à periculis vindicandam, aſſerendamque ſecuritati.

Inſuper, ſi prædeſtinati, & electi, quos relatiuè ad reprobos penſilis mea penſitat libra, fulgebunt, atteſtante Daniele cap. 13. 3. *quaſi Stellæ in perpetuas æternitates*;

vndè

ndè fortè in causa fuit, vt Proto-
arens hominum inter cæteras crea-
aras postremum suæ formationis
ocum obtineret, nempè vt eleuatis
d sydera oculis, posteros suos ad
loriam eligendos, tamquam Stel-
as in cœli firmamento emicaturos
oeraret: quod perbellè obseruans
Ambrosius, *Erigit* (inquit) *oculos, vi-*
et coronas luminum, Lunæ, Stellarum-
uè globos considerat: quoniam iusti, qui
icerint, erunt sicut Stellæ in Cœlo.
Certè prædestinati Stellæ non erunt,
isi tuas Stellas suspiciant, idest
nandata Tua exequantur: Tuas
eges seruent: Tuis oraculis credant:
ntellectum in Tuarum Definitio-
ıum obsequium captiuent: Tuæ
obedientię iugo alacriter colla sub-
nittant: Te demum, vt Christi
personam in terris substinentem,

 vene-

venerentur. Nec mirum, quod quando ſeptem Stellę (ſpectante Ioanne Apoc. 1.) Chriſti manum ornabant: *Habebat in dextera ſua Stellas ſeptem:* ſex dumtaxat in Tuo Stemmate appareant; forſan hoc erit, quia ſicuti Pleiades, cum ſeptem ſint (ſeptima vix apparente) ſex tantum mortalium oculis ſe ſpectabiles exhibent; itá & Stellę Tuę, fortè ſeptem cum ſint: ſex tamen tantummodò fidelium oculis ſe ſe ſpectandas obijciunt, vt Te à Chriſto diſcriminantes indigitent; eum eſſe inuiſibile, Te viſibile Eccleſię caput: & ſic eum, vt animarum Epiſcopum; Te verò in eiſdem curandis, vt Vicarium venerabundi ſuſpiciant.

Porrò ſi inſolitum illud ſydus cœleſtis itineris Dux; Magis diui-

num

num Infantem adoraturis, talem prębuit ducatum, vt ij à recto aſſumpti itineris tramite aberrare nequiuerint: Quis fidelium adultorum deuiare vnquam poterit à Iuſtitię, & ſalutis ſemita, fulgidiſſimis Tuorum Syderum ſignata, & obfirmata veſtigijs?

Demum, cum ſcriptum ſit Deuter. 13. 16. *Benedictio illius, qui apparuit in Rubo veniat ſuper caput Ioſeph:* profecto liber iſte, qui Ioſeph ideſt augmentum aulicorum Dei, nempè Electorum, diuinæque glorię dici poteſt, benedictionem illã exoptat, quam Deus, qui apparuit in Rubo, reponere in ore tuo dignatus eſt. Faueat igitur votis benigniſſima SANCTITATIS TVAE CLEMENTIA: & ipſe dextra beneuola huic muneri indul-

ge,

ge, quod ad Tuę Famę, Virtutiſque aras poſt debita Sacrorum Pedum oſcula manu reuerentiſſima appendit.

Pontificię Maieſtatis Tuę,

Humillimus, & Addictiſſimus Seruus,

Fr. Sebaſtianus ab Alexandro Carmelita.

BE-

BENEVOLO, AC ORTHODOXO
LECTORI.

Iste tantisper ò bonæ mentis Amice. placentia tibi legenda propono; sed non improbabilia, seu falsa: imò quia vera, vel adminus verisimilia, ideò placentia. Libram Pensilem tibi exhibeo, non dolosam, sed sinceram: non humanam, sed diuinam, vtpotè diuinarum Scripturarum Auctoritati solidè innixam, suffultamque. Hinc in ea, samaco ad æquilibrium apposito, non pensitabo, nisi quæ plus sinceræ veritatis, quam amabilis delectationis continent: quæque plus certitudinis, si minus fidei, si minus Theologicæ, saltem coniecturalis, ac probabilis redolent, seu redolere

vide-

videbuntur. Sic me experieris haud immemorem salutaris Augustini moniti, qui olim disputans contrà Donatistas aiebat. Non afferamus stateras dolósas, vbi appendamus, quod volumus; sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de Thesauris Dominicis: & in illa, quod sit grauius appendamus: imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.

S. August. c. eu. Don. l. 2. c. 67

Scriptionis meæ erit scopus, ostendere, maiorem Fidelium adultorũ partẽ saluari: quod docuit inter cæteros Franciscus Suarez sapientissimæ Societatis Iesu magni Nominis Theologus: At verò, quia eius probabilissimo asserto, se acriter opposuere eiusdem societatis non vulgaris notæ Theologi, Ruiz, & Recupitus: imò quia hic secundus, præ cæteris, fusiori calamo, styloque nonnihil exorbitanti Suaresij sententiam ferro, & igne (vt dici solet) depopulari, ac deuastare conatus est; Equidem, ne ex nimio eius opinionis rigore, queat fidelium aliquis se in ingentis pusillanimitatis foueam deÿcere, operepretium duxi, ad fidelium Orthodoxorum solamen, hãc opellam inscribere & in ea (post firmatam non leuioribus argumentis placidam, piamque Suaresÿ opinionem) argumenta, & obiectiones ipsius Recupiti de verbo ad verbum (nè vno quidem apice prætermisso) transcribere: Tùm, nè indè aliquis sit, in cuius animum cadat suspicio, me voluisse, vel

mini

minimam difficultatem effugere; Tum, vt ex ipsis argumentis adamussim solutis, tanquam ex reflexu opposito sententiæ Suaresij veritas splendidiùs elucescat: & sic fideles adulti, qui ob aduersæ opinionis rigorem, si minus in desperationem, saltem in pusillanimitatem videntur deijci posse, ad viuam se erigant spem, optatam sempiternæ felicitatis coronam, ex Dei benignitate, Christi patientis meritis, Deiparæque intercessione, consequendi.

Neque hinc sit, qui existimet, me Recupito, cui familiaritate intima coniunctus fui, cum ambo Neapoli, ille in Collegio *Societatis: ego in licæo Carmeli maioris, studiorum præfectura fungeremur, iniuriam illaturum. Nam etiam SS. PP. Hieron. & Augustinus: Epiphanius, & Chrysostomus, quamuis animo, & amore coniunctissimi, ad inuicem se oppugnabant: & alter alterius effatum (quod veritati dissonum existimabant) vmbratili ingeniorum pugna acerrimè insectabantur. Non igitur ego cum Recupito, voluntate, & affectu: sed ratione tantummodò, & intellectu contendam; nec intendo eum propulsare (cuius olim præsentiam, & nunc memoriam adeò sum veneratus, & adhuc veneror) sed eius sententiam tanquã duriusculam, nè dicam præduram repellere: non tamẽ repellam dicteriorum aculeis: siquidem suspecta est semper doctrina, quæ lucem exosa, caligini conuiciorum se obuoluit: & quidem rationũ indiga mea*

videretur ſententia, ſi ſolis ſe maledictis præmuniret; imò Sepiarum veſtigijs inſiſteret, quæ atramentum euomunt, & effutiunt antè ſe, vt piſcatorum manus effugiant, & ab eorum oculis ſui conſpectum eripiant. Bellum igitur inter Recupitum, & me litterarium, non gladiatorium erit: vnde fiet vt intellectuum conflictus non imminuat voluntatis affectum, ſic mihi cum ſeptima Synodo Act. 3. licebit dicere: Fuit apud nos quoddam prælium ſine ferro: dum ſermones iaciunt, & iaciuntur: ſed triumphale habemus trophæum, veritatem, quæ non vincitur.

Scias inſuper, Lector beneuole, mihi in ſcribendo, potiorem rerum, quam verborum curam fuiſſe: nefas enim duxi verba rebus, verborumque lenocinia rationum ſoliditati præferre, nè corpus animæ præcelli videretur: Corpori enim verba, rationes animæ comparantur: ideò ipſe non inſiſtam eorũ veſtigijs, de quibus Claud. Mamertinus lib. 1. de ſtatu Animæ cap. 4. Si qua illis *(ait)* in dicendo copia eſt? neglectis rerum cauſis, rationis animam ſpernunt, & verborum corpora diligunt.

Demum, quamuis prolixus videar in propugnando meam, & expugnando contrariam ſententiam; adhuc tamen me breuitati conſuluiſſe arbitror: cum breuitas in eo ponenda ſit, teſte Quintil. Non vt plus: ſed nè minus dicatur, quam oportet.

Quintil. lib. 4. c. 2.

Appro-

Approbatio Reuer. Patris Mag. Martialis Pellegrini Ordinis Minorum Conuentualium Miniſtri Generalis, S. Congregationis Indicis Conſultoris, & in Romano Archigymnaſio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ olim Profeſſoris.

EX commiſſione Reuerendiſſimi Patris Hyacinthi Libelli S. Pal. Apoſt. Magiſtri perlegi opus inſcriptum *Libra Penſilis* à Reuerendo admodũ Patre Magiſtro Sebaſtiano ab Alexandro Carmelita elaboratum; nihilque in eo reperi quod fidei orthodoxæ, ac morum regulis aduerſaretur; quin potius ſuſpexi præclarum Auctoris ingenium, æquè ac genium, doctrinæ ſoliditatem, eruditionis copiam, ſtyli iucunditatem, intentionis rectitudinem, piam erga Deum, & proximum charitatem, omnia denique in numero, & menſura. Quapropter nedum Typis, ac publica luce digniſſimum, ſed Chriſtianæ Reipublicæ perquam vtile, imò neceſſarium cenſeo.

Romæ die 24. Februarij 1671.

Fr. Martialis Pellegrinus Ordinis Minorum Conuentualium Miniſter Generalis, S. Congregationis Indicis Conſultor, & in Romano Archigymnaſio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ olim Profeſſor,

Approbatio Reuerendi admodum Patris Iacobi Emans S. T. Magiſtri ſocij, & Aſſiſtentis Reuerendiſſimi Patris Generalis Ordinis Carmelitarum antiquæ obſeruantiæ Regularis.

IVBENTE Reuerendiſſimo Patre Noſtro Generali, Magiſtro Matthæo Orlando, ſeria conſideratione trutinaui, & expendi librum, cui meritò hic Titulus *Libra Penſilis &c.* adſcribitur, à Reuerendo adm. & ſapientiſſimo Patre Magiſtro Sebaſtiano ab Alexandro Ordinis Carmelitarum nuper Aſſiſtente Generali Italiæ, & S. Congregationis Indicis Conſultore, ſummo cum ſtudio compoſitum, & iuueni eumdem veluti accuratiſſimum trutinatorem ad ſacræ Scripturæ amuſſim, Sanctorumque Patrum doctrinam tamquam ſtateram, adhibito perpetuo, & vbique ſanctuarij pondere, adeò illibatè proceſſiſſe, vt à trutina veritatis orthodoxæ, bonorumque morum regulis nullibi obliquet: nuſquam vel latum quidem [vt aiunt] vnguem recedat. Imò, ſiue vt aſſertorum ſuorum probet veritatem ſolidam exhibet doctrinam: ſiue ad contrariæ opinionis obiectiones reſpondeat, tanto eaſdem cum prudentiæ moderamine retundit, vt Chriſtianam charitatem, nè vel minimùm offendat; tantoque claritatis iubare, quem offundere

ere videbantur, apparentis difficultatis nimbũ, ut nebulam, dissipat, & disperdit, vt veritati assertæ, non solum nullum afferant præiudicium: verum etiam ad Pensilis Libræ suæ stateram examinatæ, eidem vel inuitum præstent patrociniũ. Denique, nè [quod in huius argumenti tractatione vel maximè timendum erat] Christianis, ex eo quod plures illorum saluandi sint, quam damnãdi, maior subnasceretur peccandi præsumptio, & temeritas, dum se ad illorum numerum accensendos esse temerè sperant, ità vniuersæ huius Libræ Pensilis opus perficit, vt dum spei anchoram periclitantibus porrigit, desperationis impediat præcipitium; obstinatis verò & induratis peccatoribus nullum præbeat temerè sperandi præsidium. Quamobrem Libram hanc Pensilem omnia in iusto pondere, numero, & mensura trutinantem, non solum Typis edi posse, sed & ob insignem, quam adferet vtilitatem, edi in lucem omninò debere existimo.

Romæ in almo Conuentu S. Mariȩ Transpontinæ die 20. Februarij anno 1671.

Fr. Iacobus Emans S. T. Magister, socius, & Assistens Reuerendissimi Patris Generalis Ordinis Carmelitarum antiquæ obseruantiæ Regularis.

Ap-

Approbatio Reuerendi admodum Patris Michaelis Angeli à Blanco S. T. Professoris Carmelitæ, & in Conuentu S. Mariæ à Monte Sancto de Vrbe Philosophiæ Lectoris.

OPVS hoc, quod *Libra Pensilis* inscribitur ab adm. Reuerendo Patre Magistro Sebastiano ab Alexandro scitè concinnatum, Reuerendissimi Patris Magistri Matthæi Orlandi iussu, haud summis labris, sed medullitùs, non sine ingenti animi voluptate pensiculaui, illudq; planè *SEBASTum ALEXiterium*[augustum scilicet, dignumque veneratione ergà desperationis, noxisque timoris virus alexipharmacum] tamquam genuinam sobolem, Auctoris nomenclaturam vndique præseferentem, esse comperi: tantùm abest, vt à catholica veritate, probisue moribus desciscat; quin potius diuinæ spei arduitatẽ mirè demulceat: hinc charitas dulciori non tam freta, quam fœta spe, vberrimos, ac sapidissimos omnigenarum virtutum depromet fructus: beandorum namque numerum altera in lance propẽdentem, tot rationum ponderibus, sic pié, sic solidè, sic affabrè, eruditè, gnariter, nequaquam inuita Minerua elucubratis, librat, agglomerat, fulcit, circumuallat, vt reproborum inter fideles in altera emergenti multitudini longè præponderet: quid mortalium, quæsò, votis auspicatius,

quid

ıid optabiliùs? Meritò igitur mandandum
or, vt prælo ſubactum, quæ eſt reconditum
rodat dulcedinem, quaque orthodoxi, vtpotè
ıaiori impetu laceſſiti ardua pietatis facinora
ıptantes, cùm alacriter, túm celeriter ad pe-
ennis vitæ metam properent: heterodoxi mino-
i difficultate prępediti pſeudodogmata abiurãtes
d veram fidem alliciantur: orbiſque chriſtianus
ælici nuncio exhilaratus infauſtum, ac torpentẽ
ſalutis pauorem eminus explodat, mox in gau-
dium totus erumpens, æternæ beatitatis ſe per-
fruiturum ominetur.

In Noſtro Conuentu Montis Sancti de Vrbe
die 22. Februarij 1671.

Fr. Michael Angelus à Blanco Philoſophiæ Lector.

FA-

FACVLTAS

REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

FR. Matthæus Orlandus Magiſter, ac humilis Prior Generalis Carmelitarum antiquæ obſeruantiæ regularis. Auctoritate noſtra tenore præſentium Tibi Reuerendo Adm. Patri Magiſtro Sebaſtiano ab Alexandro noſtri Ordinis, & Carmeli maioris Neapolis Profeſſo Sacerdoti, Exaſſiſtenti Generali Italiæ, in Regno Neapolitano Conſultori, & Qualificatori Sancti Officij, necnon in Vrbe Sacræ Congregationis Indicis Conſultori, licentiam impertimur, quantum ad nos ſpectat, Typis mandandi librum, cui titulus, *Libra Penſilis*, à te conſcriptum, & à Theologis noſtri Ordinis ex commiſſione noſtra reuiſum, & approbatum. Horum fide, &c.

Datum Romæ die 18. Aprilis 1671.

Fr. Matthæus Orlandus Generalis Carmelitarum.

Fr. Æmilius Iacomelli Prouincialis Terræ Sanctæ Secretarius Ordinis.

PRO-

PROLOQVIVM
ET
PROTESTATIO
AVCTORIS.

CELEBERRIMAM hanc quæstionem, in qua de toto agitur axe, nempè de æterna cuiusque vel salute, vel damnatione, accurata diligentia pertractandam dijudico, & veluti ad sanctuarij pondus pensiculandam: adtrutinam scilicet sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum, theologicarumque rationum maturo examine discutiendam.

Nec sit, qui perspiciens me enixè propugnare senténtiam, quę docet ex adultis fidelibus multò plures esse prædestinatos, quam reprobos, aurem meam vellicet, dicatque quæstionem hanc esse irritam, inutilem, nec non ad præsumptioné potius, quam ad Dei timorem inductiuam. Esse quidem itritam: quia *soli Deo cognitus est numerus electorum*, vt canit Ecclesia; igitur incassum laborat, qui de tali numero conatur habere notitiam. Esse quoque inutilem: quia Christus interrogatus à quodam Lucæ 13. *Domine si pauci sunt qui saluantur?* propositæ difficultati non satisfecit, iuxtà D. Cyrilli animaduersionem: insinuans (& est obseruatio Ioannis à S. Th. in p.p. qu.23. de reprobatione disp.10.] quæstionem de paucitate,

Luca 13

S. Cyril.

Ioannes à S. Th. in 1. p. q. 23. de re pr. di. 10

a vel

vel multiplicitate ſaluandorum eſſe tãquam inutilem eliminandam. Tandem eſſe ad præſumptionem potius, quam ad Dei timorem inductiuam: quia qui audit, ex adultis fidelibus longè plures ſaluari, quam damnari, nimium ſperans præſumit, ſe eſſe vnum de numero ſaluandorum: atque adeò anſam captat vitioſæ libertatis: quia aliqualem concipit fiduciam, ſe in fine vitæ cum pluribus ſaluandum, quamuis negligentius vixerit, ſeculique delectationibus fruitus fuerit.

Nam ego conſtanter affirmo, aſſumptam, quam aggredior quæſtionem non eſſe irritam, ſed proficuam, quippé quam probabilibus fundamentis innixam; non inutilem, ſed magno vſui: non præſumptionis incentiuum, ſed ſancti Dei timoris magnetem, & fomentum. Primùm, proficuam eſſe vtpotè quam probabilibus fundamẽtis innixam, liquet ex eo, quod quando dicit Eccleſia *ſoli Deo cognitum eſſe numerum electorum*, non loquitur de magnitudine numeri in generali accepta, & reſpectiuè ad numerum reproborum: ſed ſolũ de tali determinato numero, putà, quod ſint tot, & tot miliones, exempli gratia miliones centum, & non plures. Quod autem hic ſit Eccleſiæ ſenſus, conſtat ex eo, quod Doctor Angelicus p. p. q.23. art.7. in corpore, vbi prius dixerat cum Eccleſia, *ſoli Deo cognitum eſſe numerum electorum*: poſteà in reſponſione ad tertium abſolutè pronunciat *Pauciores eſſe, qui ſaluantur*. Quam

conſe-

consequentiam profectò non intulisset, si soli Deo cognita esset magnitudo numeri saluandorum etiam comparatiuè ad damnandos. Quæstio igitur, quam agitamus non est irrita, sed aliqualiter proficua: quamuis enim electorum numerus soli Deo sit notus, non tamen ex hoc tollitur, quin ex principijs reuelatis possit de ea ferri iudicium aliquod, saltem probabile, si minus certum.

Deindè esse vtilem, patet ex eo, quia Christus interrogationi sibi factæ, *Vtrum pauci sint, qui saluantur?* tacendo satisfecit iuxtà vulgarem paræmiam, *Qui tacet affirmat*: vndè egregiè Augustinus dixit: *Quando audis: ergo pauci sunt qui saluantur? Confirmauit Dominus, quod audiuit inquiens: Per angustam portam pauci intrant*. Ex hoc igitur capite præsens quæstio non est veluti inutilis amputanda: sed potiùs ex ijs, quæ Christus subdidit, vt perutilis ventilanda. Vtilis enim est ad erigendam spem beatitudinis adipiscendæ: quia adultus fidelis, qui sub Romanæ Ecclesiæ obediētia in Fide catholica viuit, atque moritur, audiens hinc, quod quamuis ex vniuersa hominum massa saluentur pauci, damnentur multi: ex fidelibus tamen inter se comparatis, pauci damnētur, plures saluētur: audiens autem illinc, angustam esse portam, per quam intrare debet ad salutem adipiscendam, ad instar militum spe prædæ illectorũ, feruidus quisque, & alacer currit: & quamuis peccando cadat, cursumque interrumpat; per

August. ser. 32 de verbis Dom. pa tũ à principio.

pœnitentiam tamen resurgendo, cursum reassumit, toties erectus, quoties prostratus: & tandem in morte, galeatus meritis Christi patientis, sibi per Ecclesiæ sacramenta applicatis, in muros supernæ Hierusalem omni animi alacritate insilire, & per angustam portam felici impetu intrare cõtendit.

Postremó multipliciter constat nostram sententiam esse non minus spei magnetem, quam Dei timoris incentiuum.

Primò: quia nos non dicimus esse saluandos omnes adultos fideles, sed maiorem eorum partem. Si igitur non omnes saluantur: demus, quod ex millibus fidelibus duo solummodò damnentur: quis quæso non esset pauidus de se ipso? Quis non omnem acueret industriam, quatenus inter multos saluari contenderet, nè deberet cum duobus perire? Fac ad conuiuium (inquit Granado) multos esse vocatos: sed omnibus dici, *vnus ex vobis hodie morietur*: quis eorum posset esse securus? quis non tremeret, ac vereretur, nè foret ipse, ille vnus? Idcircò Beatus Aegidius sancti Francisci socius assuetus erat dicere: si Deus ei reuelaret ex tota hominum massa, vnum dumtaxat dãnandum; se nihilominus, nè vnus ille esset, omni prorsus conatu laboraturum. Nullus igitur sanæ mentis fideliũ, audiens si minus multos, saltem aliquos etiam ex numero Catholicorum, damnandos esse [quamuis maior eorum pars per Christi

meri-

merita, & Virginis intercessionem saluetur] non omnem mouebit lapidem, nè vnus sit ex damnãdis? Vel ex eo maximè quia laconica illa, sed formidabilis Christi sententia ad omnes omninò homines, tàm infideles, quam fideles se extendens. *Multi sunt vocati: pauci verò electi*, eo collimare videtur, vt verbis illis, veluti totidem stimulis fidelium agitaret industriam, quatenus inter paucos saluari contenderent, nè deberent cum multis pessum ire.

Constat secundó: quia quælibet culpa siue mortalis, siue venialis, imò & originalis [in sententia eorum, qui causam reprobationis negatiuæ ad peccatum originale referunt] sufficiens est, vt Deus gratiam suam efficacẽ, interdum deneget, etiam homini iusto ad vitandum peccatum etiam mortale pro inscrutabili iudiciorum suorum profunditate. Quare cum nemo, quantumuis iustus & sanctus, sit ab originali peccato immunis, imò nec actuali (saltem veniali) vt definit Tridentinum sess. 6. cap. 23. nemo est, qui non humiliter agnoscere debeat, pro merito peccatorum suorum se posse iustè à Deo derelinqui, adeòque nè id fiat, cum Regio Vate idemtidem exclamare *Adiutor meus esto Domine, ne derelinquas me: & qui* (vt monet Apostolus) *non debeat cum timore, & tremore suam operari salutem*. Vndè Leo Papa sic ait: *Hæc sanctis causa est tremendi, atque metuendi, nè ipsi in operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, &*

Trid. sess. 6. cap. 23

Leo Papa serm. 8. de Epiphania.

rema-

Riccard. Vict. de statu interiori hominis p. 1.

remaneant in infirmitate naturæ. Et Riccardus Victorinus. *Gratia* (inquit) *quam semel homo accepit antè peccatum, iustè subtrahi non potuit: quam, etsi pręter meritum acceperat, sine culpa tamen amittere non debebat: nunc autem omni hora potest iustè subtrahi: quia nunquam potest homo sine culpa inueniri.*

Eccl. ca. cap. 5.

Syriaca & Arabica versio.

S. Greg. lib. 6. ep. 22. ad Gregor.

Constat tertiò: quia nemo tutus est de venia peccatorum in confessione obtenta: vndè admonitio illa Ecclesiastici *de propitiato peccato noli esse sine metu*: idest de peccato, quod putas esse remissum: Quod versio syriaca, & Arabica explicant: *Ne confidas de remissione*. Et Tigurina: *super data venia, ne sis securus*. Id quod etiam egregiè cōfirmat S. Gregorius scribens Gregoriæ, quæ erat Imperatrici à cubiculis: *Secura de peccats tuis fieri non debes, nisi cum iam in vitæ tuæ die vltimo plangere ea non valebis: quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper metuere culpas debes, atque eas fletibus quotidianis lauare*. Hinc teste Climaco, qui voluntariè se carceri pænitentię intrudebant, sancta hac sollicitudine à peccatis prętetitis incussa, affecti, mortemque semper ante oculos suos attendentes, flebili cum dolore dicebant. *Quid putatis continget? Quęnam erit illa sententia? Quis finis noster? Putasne erit reuocatio? Num superest vltrà spes veniæ mæstis reis? Num valuit oratio nostra ingredi antè conspectum Domini: an merito repudiata est, atque abiecta? Aut si fortè intrauit: quantum peregit? quantum placauit Deum? quantum profecit?*

Climac. de accurata pęnitentia gradu 5.

Carcer pænitentium.

emissa

emißa quippè ex immundis labijs parum habere potuit virium. Putasnè appropinquauerunt nobis Angeli Custodes nostri: an adhuc longiùs à nobis stant? Vnicuique igitur timendum est ob hanc remissionis, & veniæ incertitudinem; quantò enim certiores sumus ex mortali peccato nos contraxisse æternæ pœnæ reatum; tanto sumus incertiores de remissione, & venia. Et hoc ex triplici capite. Primò ex parte nostra, quia certi non sumus, an in nobis fuerit verus dolor, an verè supernaturalis, an super omnia mala saltem temporalia. Secundò ex parte confessarij: cum non simus omnimodè certi de charactere, de potestate, alijsque circumstantijs ex parte eius requisitis ad valorẽ absolutionis. Tertiò ex parte Dei negantis gratiam efficacem ob peccata præterita: quia (vt cordatè

Lessius de perf. diu. lib. 13. c. 15.

„ obseruat Lessius] etsi constaret (peccatum) es-
„ se ità condonatum, vt nihil aliud tibi pœnæ
„ restet luendum; tamen non constat, te propter
„ illud non puniendum pœna permissiua, vel ne-
„ gatiua, ex qua grande malum potest proueni-
„ re: hæc enim pœna sæpè est occasio damna-
„ tionis. Innumeri enim cùm maioribus auxilijs
„ peruenissent ad salutem, qui cum minoribus
„ excíderẽ, quibus fortè maiora illa præparata
„ erant, & conferenda fuissent, nisi peccata ali-
„ qua grauia interuenissent, per quæ prima illa
„ dispositio fuisset mutata, & inuersa. Idem dico
„ de tentationibus: plurimi enim saluati fuissent,

nisi

„ nisi certis quibusdam tentationibus, Deus eos
„ pulsari permisisset, per quas fuere ad interitum
„ pellecti: quas ille tentationes non permisisset,
„ nisi id prioribus peccatis meruissent. Hæc
„ Lessius. Nè tamen ex hac sua doctrina posset,
qui hactenus licentius vixit, pusillanimitatis sibi
laqueum texere, stimulum addit ad maturandam
conuersionem, qua iterum apud Deum eadem
mereri valeat auxilia, quæ in pœnam præceden-
tium delictorum perdiderat: vndè se explicans
„ subdit: Nemo securum se putet, sed cum ti-
„ more, ac tremore, vt Apostolus monet, salu-
„ tem suam operetur: pristinas negligentias no-
„ uo feruore redimens, & priora peccata, qui-
„ bus Deum offendit, magnis pro gloria Dei, &
„ salute proximi officijs compensans, & assiduis
„ precibus, veniam, & misericordiam flagitans.
„ Sicut enim peccatis meruit, vt Deus ei pecu-
„ liaria quædam auxilia subtraheret, & tenta-
„ tiones aliquas, spiritualesque afflictiones ob-
„ uenire fineret; ità studio bonorum operum, &
„ orationis assiduitate obtinere potest, vt noxiæ
„ tentationes auertantur, & maiora auxilia, qui-
„ bus ad salutem dirigatur, aptissimè conferan-
„ tur.

Constat quartò, quia, etiamsi maior fidelium
pars, qui cadendo, & resurgendo vitam transi-
gunt, & in morte se sacramentis muniunt, & di-
sponunt, sit saluanda (vt per totam quæstionem

tertiam

tertiam varijs Scripturæ locis, auctoritatibus PP. & rationibus probabimus) nihilominus, qui hodie cadit cum ſpe die craſtino reſurgendi, eſt ne certus, quod craſtina die viuat, & reſurgat? imò pauidus eſſe debet ne antequã reſurgat poſt lapſum, ſubitò inſperato caſu ex hac vita abripiatur, abſque eo, quod alterius diei Solem inſpicere valeat: vt proindè rectiſſimè exclamet Thomas de Kempis lib. 1. de imitat. cap. 23. *Ab ſtulte, quid cogitas, te diù victurum, cum nullum diem habeas hic ſecurum? quam multi decepti ſunt, & inſperatè de corpore extracti? quoties audiſti à dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille ſubmerſus eſt, ille ab alto ruens ceruicem fregit. ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit: alius igne, alius peſte.* Hoc idem argumentum latius proſequitur S. Ephrem orat. in eos, qui in Chriſto dormierunt; Naz. orat. 40. in ſanctum baptiſma. Aug. qui lib. 22. de Ciu. c. 22. innumeros narrat caſus, à quibus mors prouenit repentina; & in Soliloquijs cap. 2. poſt multa de humanæ vitæ miſerijs, ſubdit. *Subſequitur his importuna mors quæ mille modis quotidiè miſeros homines inopinatè rapit. Hunc necat febribus, illum opprimit doloribus: hunc conſumit fames, illum ſitis extinguit: hunc ſuffocat aquis, illum interimit laqueo: illum perimit flammis, alium dentibus beſtiarum ferotium vorat: hunc trucidat ferrò, illum veneno corripit: alterum tantùm repentino terrore vitam finire compellit*

Thomas de Kempis lib. 1. de imit. c. 23.

S. Eph. Naziãz.

Auguſt. lib 22. de de Ciuit c. 22. & in Solil. c. 22.

 pellit

pellit. Et nunc super hac omnia magna miseria: quia cum nihil sit certius morte: ignorat tamen homo finem suum, & cum stare putat, colliditur, & perit spes eius.

Constat quintó: quia nos asseueramus, fideles quoad maiorem partem saluari: sed non asserimus hos, vel illos in indiuiduo esse saluandos; vndè nemo est, qui certitudinaliter sciat se esse de numero saluandorum: *nescit homo* [vt habetur Ecclesiast. 1. num. 1.] *an odio, vel amore dignus sit*: & ideò præfata verba expendens Bernardus. *Quis potest dicere* (inquit) *Ego de electis sum? Ego de prędestinatis ad vitam? ego de numero filiorum? Certitudinem vtique non habemus: sed spei fiducia consolatur nos, nè dubitationis huius anxietate penitùs cruciemur*. Et addit Augustinus lib. de corr. & gratia. *Quis* [ait] *ex multitudine fidelium, quamdiù in hac mortalitate viuitur in numero prædestinatorum se esse præsumat?* Id quod decreuit contrà Caluinum, aliosqne huius temporis hæreticos Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 12. his verbis. *Nemo quamdiù in hac mortalitate viuitur de arcano diuinæ prædestinationis mysterio, vsque adeò præsumere debet, vt certò statuat, se omninò esse in numero prędestinatorum* Vndè Hieron. epistola ad Iouinianum: *Nè laudaueris* (inquit] *hominem in vita sua: omnes in certamine sumus: sed quis accipiet brauium, solum mors manifestabit.*

S. Bern. ser. 1. in septuag.

Triden. sess. 6. ca. 12.

Hieron. ep. in Iouinianū.

Quilibet igitur adultorum fidelium ex nostra sen-

ſententia magnam poterit captare fiduciam adipiſcendi ſalutem: ſed quilibet cum ſit incertus, an ipſe ſit illam conſecuturus, debet timore, & tremore concuti. Nam vna ex cauſis, quam Deus habuit, prædeſtinationis ſecretum ſuis amicis, & electis occultandi, fuit, vt magis vnuſquiſque eorum, eſſet de ſalute ſua timidus, & ſollicitus: vtque hoc ſalutari timore ſuæ gratię dona in ſeipſo oculatius cuſtodiret. Hinc bellè Petrus Cellenſis de panibus cap. 14. *Quaſi cuſtos* (ait) *ſuper innumerabiles gazas hic timor in vltimo chariſmatum ponitur ad conſeruandas incomparabiles gazas. Gemma pretioſiſſima Pietas: ſed facilè ab impietate ſubripitur, niſi timore cuſtodiatur. Habeamus bonas, & pulcras gratiarum puellas: ſed ſub cuſtodia diligentiſſimi pædagogi, ſcilicet timoris. Timor enim* (vt ait Tertullianus lib. de cultu fœmineo cap. 2.) *Fundamentum eſt ſalutis: timendo enim cauebimus, cauendo ſalui erimus: velificante diuino ſpiritu ſalus nauigat tuta, ſi cauta: ſecura, ſi attonita.* Ideò Paulus Apoſtolus timore perculſus dicebat *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: nè cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar:* vel vt exponit S. Thomas. *Nè reprobatus efficiar.* Quem ſenſum approbans Cornelius ex D. Gregorio lib. 6. epiſt. 22. ad Gregoriam, opinatus eſt, tunc temporis Apoſtolum, vel non habuiſſe de ſua prædeſtinatione reuelationem; vel non fuiſſe adhuc certum, ità in gratia confirmatum eſſe, vt ab ea nequiret excidere.

Pet. Cel. de pan. cap. 14.

Timor Dei Pædagogus Tertull.

1. ad Cor. 9.

S. Tho. Corn. in D. Greg. lib. 6. epiſt. 22. ad Greg.

cidere. O mirum, ò terror. *Quid faciet Agnus, ubi Aries timet, & tremit?* [attonitus Augustinus exclamat) *Si ille timet* (adijcit Hieron.) *quis nostrum potest esse securus? Certè Paulus Apostolus* (subdit citatus Gregorius) *ad tertium Cęlum ascenderat: arcana verba audierat: & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, nè ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui iam ad cęlum ducitur: & iam timere non vult, qui adhuc in terra conuersatur?* Vide quomodo Paulus non desperabat salutem: & tamen trepidabat, quia ob incertitudinem non erat securus de illa consequenda. Quod adstruit idem Gregorius lib.7. cap.3. in Iob. expendens enim illa verba Patientis. *Si quando ridebam ad eos, non credebant mihi*: sic piè; & ingeniosè discurrit: *Quia Redemptori nostro, quasi ridenti non credimus, dum multis iam eius donis testantibus, & gratiam fauoris eius accipimus: & tamen adhuc sub eius iudicio de nostra infirmitate titubamus.* Et statim de Paulo subdit: *Paulus iam Paradisi verba audierat: & nihilominus aiebat, castigo corpus meum, &c. Ecce arridenti sibi diuinæ Gratiæ iam credit per spem: & necdum tamen credit per securitatem.* Sic etiam Martyrum Primipylus Stephanus in Deo arridente sperabat: sed de suæ infirmitatis fragilitate tremens aiebat: *Domine Iesu suscipe spiritum meum*: Quasi diceret (& est obseruatio Chrysostomi) *Quamdiù enim hoc sum mortali corpore circumseptus, pertimesco; quamdiù terrenam hanc gesto carnem*

S. Aug.
S. Hier.
S. Greg.
S. Greg.
S. Greg. lib.7 c.3 in Iob.
S. Steph
S. Ioan. Chrysost

nem, reformido, ne post labores amittam labores: vereor admodum, nè post luctam corona priuatus remaneam: ne præmia post agonem amittam: suscipe igitur spiritum meum. Pauli, Stephanique vestigijs insistens inuictus martyr Laurentius credebat Deo arridenti, & sperans aiebat. *Gratias tibi ago Domine; quia ianuas tuas ingredi merui.* Sed formidolosus de naturali imbecillitate, Tyranno dicebat: *Aßatum est iam, versa & manduca*: vrgens, ac instigans, vt iam iam eius deuoraret carnes, eique mortem acceleraret. Quare hoc? Fortasse Heros ille magnanimus erat pectore adeò infirmus, vt ignis cruciatibus cederet? minimè quidem; sed verebatur, nè durante adhuc martyrio, vel in superbiam elatus, vel in impatientiam elapsus à Christo declinaret, cui erat per ignem coniunctus: Quod insinuauit Ambrosius, serm. de S. Laurentio; inquiens. *Quantum plus pœnarum patitur: tantò amplius Dominum Iesum Christū pertimescit.*

S. Laur.

S. Amb. ser. de S. Lauren.

Hæc de prudentissimo Sanctorum Pauli, Stephani, & Laurentij timore, quo ob salutis, & prædestinationis incertitudinem, tàm anxiè angebantur, eò libentius in medium adduxi, vt eorum iudicio pateret, quantopere debet quisque fidelium, cum de sua prædestinatione sit minus securus, quam illi tam magni nominis Sancti, fuere, cum timore, & tremore satagere vt per bona opera certam suam faciant salutem.

Et quidem ad intentum magna animaduersione digna sunt Hieronymi verba, qui exponens illud Ecclesiast.4. iuxtà versionem 70. *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta*: docet, etiam opera Iustorum, incertum esse, an à Deo amentur, an non: nec posse etiam ipsos hoc scire, antequam de hac vita decesserint. Audiamus eius verba. *Porrò hic sensus est: etiam in hoc dedi cor meum, & scire volui, quos Deus diligeret, quos odisset, & inueni Iustorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen vtrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguo fluctuare, vtrum ad probationem sustineant, quę sustinent, an ad supplicium? In futuro igitur scient, & in vultu eorum sunt omnia, idest antecedit eos, cum de vità hac decesserint, notitia istius rei: quia tunc est iudicium, nunc certamen. Et quæcumque aduersa sustinent, vtrum per amorem Dei sustineant, vt Iob: an per odium, vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum*. Hæc Hieronymus: cui concordant August lib. de spiritu, & Anima cap.59. Beda in cap.20. Prouerb. & Bernardus serm.1. in septuages. & serm.2. in 8. Paschatis: & serm. 5. in Festo omnium SS. & serm. 23. in Cant.

Eccl. 4. iuxta versionē 70.

Hier. hic

August. Beda.

Bernar.

Neque per hoc, quod maior fidelium pars sit salutē consecutura, sibi quis blandiens suadeat, ex saluandis se esse certitudinaliter vnum: Neminem enim tam temerarium, aut impium esse opi-

nor,

nor, vt certa salutis spe fretus, velit vel vitam instituere liberiorem, vel indè peccandi ansam captare. Hoc tantum affirmare volo, & liberè affirmo; si quis sæpè cadit, ac sæpè resurgit, & sic cadendo, & resurgendo transigit vitam, quoties prostratus, toties erectus, immensæ Dei bonitati, & meritis Christi patientis sibi per sacramenta applicatis, ac validissimo Deiparæ patrocinio innixus, eiusmodi hominem posse de sua salute benè sperare; nō tamē certitudine fidei esse de sua salute esse securum: atque adeò semper debere pauidum esse, an de numero saluandorum sit ipse vnus. Hinc audiendum est Tridentinum, cuius verba ad trutinam rectæ rationis ad pondus infallibilis veritatis sunt expendenda. *Nam sicut nemo pius* [sunt eius verba) *de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Et quidem quis certè scire potest, se esse vnum ex saluandis, cum multi se existiment iustos, qui finaliter inueniuntur peccatores? & ex aduerso multi se putent peccatores qui apud Deum sunt iusti? Quod egregiè expendens Hieronym: lib. 2. aduersus Pelagianos, pag. 2. docet his verbis. *Sunt Iusti, ad quos peruenit, quasi opus impiorum: & sunt impij, ad quos peruenit quasi opus*

Triden. sess. 6. c. 9

Hieron.

si opus

si opus iustorum. Hoc idcircò dicitur, quia certum iudicium solius Dei est: & quos putamus iustos, sæpè peccatores inueniuntur: & quos è contrario peccatores, apud Dei scientiam iusti sunt. Et in expositione psalmi 133. expendens illud: *Qui fecit Cælum, & terram*, adijcit hæc verba non minus spe, quam timore plena. *Multi de terra cęli fiunt: & multi de cælo terra. Infelix Iudas cęlum fuit, & factus est terra: Paulus Apostolus eo tempore, quo persequebatur Ecclesiam, terra erat: confessus est, & cęlum factus est.* Et postea concludit sic. *Nec qui cælum est, debet esse securus; nec qui terra est, debet desperare de vita.* Et Chrysostomus Iudæ Magdalenam opponens, hac pulcra antithesi confirmat intentum in illa verba Matth. 26. *Tunc abijt vnus de duodecim* dicens. *Non ergo videndo meretricem desperes: sed & Iudam cogitando non debes esse securus. Vtrùmque enim periculosum est, et confidentia, et desperatio: nam confidentia stantem euertit: et iterum desperatio, post lapsum non admittitur exurgere: et ideò Paulus exhortatur dicens:* Qui se putat stare, videat, ne cadat. *habens exemplum vtriusque personę. Discipulus cum se stare putaret, cecidit: Meretrix cum se cecidisse arbitraretur, exurrexit.*

Psa. 133

Mat. 26

Caueat igitur, qui opinatur plerosque fideliũ adultorum damnari, ne cupiens euitare Charybdim, in Scyllam incidat, & immorando in solo timore, quem intendit, seu credit incutere, in barathrum ingentis pusillanimitatis, seu despe-

ratio-

rationis fideles præcipitet. Hi enim audientes, se quoad maiorem partem æternæ damnationi addictos, ad omnes huius vitæ delicias, siue (vt dicam peius) ad extrema flagitiorum probra, se veluti iam conclamati, prouoluant: & sic adscribantur numero eorum, de quibus ait Augustinus *Sunt homines, qui cum cogitare cęperint mala, quæ fecerunt, non sibi putant ignosci posse: & dum non putant posse ignosci, desperatione pereunt, dicentes in cogitationibus suis: iam nulla nobis spes: neque enim tanta illa, quę commisimus, donari nobis, aut ignosci possunt. Quare ergo non satisfacimus cupiditatibus nostris? impleamus saltem pręsentis temporis voluptatem: quia nullam in futuro habemus mercedem: faciamus quidquid libet, etsi non licet, vt habeamus suauitatem, vel temporalem: quia percipere non meremur æternam. Talia dicentes desperando pereunt.*

August. serm. 59. de verbis Dom

Dato igitur (sed non concesso) ex eo, quod maior pars fidelium sit saluanda, posse mortales ansam præsumendi captare: profectò minus malum est præsumere, quam desperare: licet enim vtraque peccatum sit, nihilominus (vt docet D. Th. 2.2. q. art.2. in fine corporis) *Præsumptio est peccatum; minus tamen, quam desperatio.*

Minus peccatū est præsumptio, quam desperatio.

D. Tho. 2.2. q.21 ar. 2. in fine corp

Præterquamquod fideles adulti, qui sæpè cadentes, sæpè resurgunt, & in morte ad iustificationem per sacramenta se præparant (de quibus tantum erit nobis sermo, quique maiorem fidelium partem constituunt] non sunt dicendi præ-

ſumere; quia ſperantes veniam, peccatorum finem ponunt in voluntate peccandi, ideſt propoſitum faciunt à peccato abſtinendi: pœnitere autem, & cum tali propoſito delictorum remiſſionē ſperare, tantum abeſt, vt ſit præſumere, ſeu peccatum augere: quod potius eſt ordinatè ſperare, & peccatum minuere. Homo enim, qui pœnitentiam amplectitur cum vero propoſito non amplius peccandi, videtur minus ad peccatum firmatus, quia in malo tranſeunter ſe habet, non permanenter, ſicut ſe habet homo, qui ſub ſpe veniæ in peccato perſeuerat, ſperans per immoderantiam ſe veniam obtinere ſine pænitentia, & gloriam ſine meritis, quod eſt potius peccatum augere. Quod expreſsè docet diù D. Thom. loc. cit. in reſponſione ad tertium his verbis. *Peccare cum propoſito perſeuerandi in peccato ſub ſpe veniæ ad præſumptionem pertinet, & hoc non diminuit, ſed auget peccatum: Peccare autem ſub ſpe veniæ quandoque percipiendæ, cum propoſito abſtinendi à peccato, & pænitendi de peccato, hoc non eſt præſumere: ſed hoc peccatum diminuit: quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.* Quid clarius pro noſtro aſſerto? Hinc Porrecta in explicatione huius articuli, inquit: *Aduerte hic vulgarem errorem putantium, quod peccans ſub prætextu, quod poſt confitebitur, & faciet pænitentiam, peius faciat. Habes enim hic, quod diminuit, non aggrauat peccatum; Eſt enim voluntatem*

Spes veniæ minuit peccatum, & quomodo.

D. Tho. l. cit. ad

Porrecta in D. Th.

volun-

voluntatis transitoriæ, & non pertinacis in malo.

Præterquamquod melius eſt de Dei miſericordia præſumere quam diffidere iuxtà illud Iudit. 9. *Exaudi me miſeram deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem*: præſumptio enim interdum ſumitur pro ipſa ſpe: diciturque ſpes in ordine ad immenſam Dei bonitatem, de qua cõfidit: præſumptio verò in ordine ad parum, quod humana conditio meretur. Vndè D. Th. *Præſumere* [inquit] *ponitur aliquando pro ſperare: quia ipſa ſpes recta, quæ habetur de Deo, præſumptio videtur, ſi menſuretur ſecundum conditionem humanam: non autem eſt præſumptio, ſi attendatur immenſitas diuinæ bonitatis*. Et in hoc ſenſu ait Rabanus in gloſſa: *Audita pænitentia Manaſſe, nemo debet de Dei miſericordia deſperare: ſed magis per pænitentiam de venia præſumere*; & quidẽ meritò. Tum quia ille, non autem iſte, ſentit de Domino in bonitate miſericordiæ eius: *Et ideò* [ſunt verba D. Th.] *præſumptio eſt peccatum, minus tamen, quam deſperatio: quoniam magis eſt proprium Dei miſereri, & parcere, quam punire, propter eius infinitam bonitatem. Illud enim ſecundum ſe Deo conuenit: hoc autem ſecundum noſtra peccata.*

D.Th. 2. 2. qu. 21. a. 2. ad 1.

Præſũptio aliquando ſumitur pro ſpe.

D.Tho. l. cit. in fine corp.

Tum quia ille quaſi os aperit, vt Spiritum ſanctum accipiat: iſte verò omnem ſalutis ſpem abijciens ſe funiculo deſperationis ſuffocat, impeditque, nè in eius cor Gratiæ Spiritus ſancti aditus pateat, quod egregiè explicuit Auguſtinus, dicens.

Quomodo qui sibi collum ligant, indè se occidunt, quia non ad eos intrat Spiritus aeris huius: sic illi, qui desperant de Indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, vt eos Spiritus sanctus visitare non possit. Hinc idem Augustinus interitum Iudæ desperationi tribuit loc. cit. subdens: *Iudam non tam scelus, quod commisit, quam Indulgentiæ desperatio fecit penitus interire.* Imò Hieron. in ps. 108. infert eumdem magis peccasse in pænitentia desperando, quam in facinore, Dei filium prodendo. *Pro clementia Domini hoc dico* [sunt verba Hieron.] *quia magis ex hoc offendit Dominum, quia se suspendit, quam quod Dominum prodidit. Optabat enim orationem eius esse in pænitentiam, & versa est in peccatum iuxtà illud: Oratio eius fiat in peccatum. Pænitentia enim Iudæ maius peccatum factum est.*

August. lib. hom 50. ho. 57

Hieron. in psal. 108.

Iudas plus peccauit desperãdo, quam Christũ prodẽdo

Ex his omnibus inferre licet, consultius esse, Suarez, quam Ruiz, & Recupiti sententiam amplecti: illa enim & spem erigit, fiduciamque præbet: & simul timorem incutit, præsumptionemque penitùs expellit. Hæc verò spem feré omnem abigit, & ingentem pusillanimitatem, ne dicam desperationem inducit. Vnde ipsemet Ruiz strenuus huius duræ opinionis assertor tract. de prædestin. disp. 54. in calce sectionis quintæ decernit: *Doctrinam de paucitate saluandorum viuentibus, & sanis prædicandam esse: sed moribundis melius esse ea suggerere, quæ possint erigere spem.* Igitur ex ipsis-

Ruiz te de præd disp. 54 sect. 5.

ipsismet aduersarijs testimonium habemus, eorū doctrinam spem adimere, & fiduciam, atque adeò facilè pusillanimitatem inducere. Vtilius ergo erit, & sanis, & infirmis: & morientibus, & viuentibus sentētiam nostram insinuare, quippè quæ pusillanimes viuentes, & sanos de sua salute sollicitos consolatur: necnon infirmis, ac morientibus magnam spem, ac fiduciam præbet: nec contrahit (veluti facit doctrina opposita] sed dilatat animum timentium Deum, acuitque calcaria, & stimulos, vt Deo feruentius seruiant, eiusque alacri animo seruent mandata.

Ipsimet assertores aduersæ opinionis fatentur suam sētentiam non esse moribundis suggerendā ne desperent.

Idcircò Ecclesiæ Patres non parum laborant, impios in peccata grauiter lapsos erigere in spem, contrà vitium pusillanimitatis, seu desperationis, quæ proximus ad tartara gradus est. Hinc Chrysostomus flagitiosum, & pessimum quemque in spe consequendæ salutis sic firmat: *Nolo dicas blasphemus sum: nolo dicas persecutor sū. Habes omnium extensiones: vis in nouo? vis in veteri? In veteri Dauid, in nouo Paulus. Nolo excusationes mihi afferas, nolo ignauiam prętendas: peccasti? pænitere: millies peccasti? millies pænitere; hęc assiduè infundo medicamenta. Si lapsus es, poteris surgere: in vtramuis partem habes liberum arbitrium: si vulneratus es, adhibe tibi curam, dum viuis, dum spiras; etiam in ipso lecto positus, etiam si dici potest, animam efflans, vt iam de hoc mundo exeas. Non impeditur temporis angustia miser-*

Chrysost in ps. 50. hom. 2.

SS. PP. conantur semper erigere in spem peccatores grauiter lapsos.

ricor-

Misericordia Dei dissipat peccata veluti vẽtus araneatelus

ricordia Dei. Quid enim est peccatum ad Dei misericordiam? tela aranea, quæ vento flante nusquam comparet. Hinc Cyprianus hæc scripta reliquit verba solatij plena. *In eodem articulo temporis, cum iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, clementissimi Dei benignitas non aspernatur: nec serum est, quod verum: nec irremissibile, quod est voluntarium.*

Cypriani serm. de cœna Domini

Hinc etiam Augustinus improbos frequenter monet, nulla eos vel peccatorum sarcina, vel metu diuinæ Iustitiæ ad desperationis barathrũ impelli debere: vnum eius locum hìc affero, prætermissis alijs, vbi tacitæ obiectioni respondens sic discurrit. *Fortè cogitat aliquis, tam grauia se admisisse peccata, vt iam Dei misericordiam promereri non possit. Absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo, quicumque illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam Medici non attendis? cum enim Deus velit misereri, quia bonus est: & possit, quia omnipotens est: ipse contrà se diuinæ bonitatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit: eumque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit.*

August. serm. 58 de temp

Speret igitur vnusquisque fidelium, & supersperet, dicatque cum Regio Psalte *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua supersperaui*: rationem assignat noster Incognitus

Ps. 118. Incogn. Carmelita hic.

gnitus, dicens: *Quia verò potens est Deus facere supra quam intelligimus, & petimus, parum videtur ea tantum sperare, quæ intelligimus, & petimus: sed etiam suprà, idest ampliora sperare debemus.*

Debemus sperare, & supersperare.

Demum, quia homines plus augent peccata desperando veniam, quam sperando, congruentius est nostram amplecti sententiam, quæ spem erigit, quam sectari contrariam, quæ cum duriuscula sit, né dicam prædura, potest facilè, si minus desperationem, saltem ingentem pusillanimitatem inducere. Porrò plus augeri peccata desperatione, quam spe, docet expresè Augustinus in psal. 101. post medium, occasione sumpta ex Paganis christianos accusantibus, tanquã nimis confidentes de impunitate scelerum, propter facilitatem pœnitendi. En eius verba auro, gemmisque dignissima. *Hodie paganorum opprobrium, quale in nos est? Quid putatis, fratres, quid eos putatis dicere nobis? Vos corrumpitis disciplinam, moresque generis humani peruertitis. Quid inueheris? dic, quam ob rem? quid fecimus? dando, inquit, hominibus pœnitentiæ locum, promittendo impunitatem omnium delictorum: imò homines mala faciunt securi, quod eis, cum conuersi fuerint, omnia dimittantur. Hinc ergo opprobrium?* Sed audi, quomodo friuolum arguentem redarguit, & retundit. *Quid agis miser, si non erit portus impunitatis? Si sola fuit peccati licentia, &*

S. Aug. in ps. 101

Paganorum obiectio contra peccatorum remissionẽ

nulla

Augusti ni respõsio.

nulla peccatorum est indulgentia, vbi eris? quo ibis? Sed tamen (inquis) augent homines peccata spe veniæ. Imò augerent peccata desperatione veniæ. Nonne attendis, quam licentiosa crudelitate viuant gladiatores? Vndè hoc, nisi iam, tamquam ad ferrum, & victimam destinati? explere volunt libidinem, antequam fundunt sanguinem? Nonnè hoc, & tu tibi diceres: iam peccator sum, iam iniquus, iam damnandus, nulla veniæ spes est. Cur iam non faciam quidquid libet, etsi non licet? Cur non impleam, quantum possum desideria, si post hæc non restant, nisi sola tormenta? nonne hoc & tu tibi diceres, & desperatione ipsa peior fieres? Potius ergo te corrigit, qui indulgentiam promittit, & dicit; Redite præuaricatores ad cor: Nolo mortem impij, tantùm vt reuertatur, & viuat: hoc proculdubio portu proposito, deponis vela iniquitatis, conuertis proram, velificas ad iustitiam, & sperans vitam, non negligis medicinam: Hæc Augustinus: & quidem ad firmandum intentum nostrum, nec redargutio efficacior, nec auctoritas magis propitia, nec Patronus auctoritate grauior poterant inueniri.

Desperatio peiores reddit homines malos, quã spes veniæ.

Ad promissionẽ indulgẽtiæ peccatores potius corriguntur quam peruertantur.

LIBRÆ PENSILIS

DISPVTATIO VNICA.

De Numero Prædestinatorum, & Reproborum.

1 PROPONIMVS Disputationem hoc æuo passim à doctissimis Theologis, tamquam omnino celebrem, ac maximi momenti ventilatam, & à Concionatoribus ad Sanctum Dei timorem incutiendum exagitari, & prædicari solitam. Et quamuis in hac materia mortalium reperiatur nemo, qui certi aliquid valeat definire, canente in missis quadragesimalibus Ecclesia, Oratione tertia secreta. *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna fælicitate locandus*. Nihilominus (vt bene aduertit Recupitus Tractatiuncula secunda. cap. 3. pag. 10. in fine) ex Principijs reuelatis posse de illa ferri iudicium aliquod, si minus certum; saltem probabile, nemo est, qui inficiat. Vnde ipsemet Angelicus Doctor, cum 1. p. q. 23. art. 7. in corpore dixisset, *Soli Deo cognitum esse numerum electorum*. Postea in responsione ad 3. absolutè pronunciat, & statuit *Pauciores esse, qui saluan-*

Eccles. in collecta.

D.Th. 1.p.q.23 art.7.

saluantur. Liquet igitur ex ijs, quæ diuina Scriptura, vel docet, vel insinuat, iudicium aliquod formari posse de maioritate numeri Prædestinatorum, & Reproborum.

2 Ad clariorem autem dicendorum intelligentiam præsentem Disputationem in quæstiones: Quæstiones vero in Paragraphos secare decreuimus. Et quia totum humanum genus potest in tres Classes distribui: in quarũ prima consideratur omnes omnino Homines, tam Fideles, quam Infideles: in secunda Christiani tantum, sed promiscuè sumpti, computando inter eos, Catholicos peccatores, & iustos: Hæreticos, Schismaticos, & Apostatas; in tertia Catholici dumtaxat, siue Adulti cum Infantibus permixti, siue Adulti solummodo, & præcisè:

3 Idcircò tres ventilabimus Quæstiones. Prior erit, an ex massa omnium omninò hominum maior sit numerus Prædestinatorum, seu ad Beatitudinem electorum, quam numerus Reproborum, seu ad inferos damnandorum? Posterior, an ex Christianis promiscuè sumptis, scilicet an ex Catholicis, qui cum Hæreticis Apostatis, & Schismaticis commixti sunt, plures sint Prædestinati, quam Reprobi? Tertia, an ex Catholicis dumtaxat Adultis inter se comparatis, plures saluandi sint, quam damnandi? Sit igitur.

QVAES-

QVÆSTIO PRIMA.

An ex Massa omnium omnino Hominum maior sit Numerus Prædestinatorum, quam Reproborum.

4 VNica Conclusio. Si ad calculum reuocemus omnes vniuersim huius mundi, & sæculi homines, tam Infideles, quam Christianos: tam hæreticos, quam catholicos, indubium est multo maiorem esse numerum Reproborum, quam Prædestinatorum. Est communis Theologorum sententia, & tamquam omninò indubitata supponitur à Diuo Thoma loco cit. vbi in responsione ad tertium absolutè pronunciat. *Pauciores esse, qui saluantur.* Nihilominus quia debitores sumus sapientibus, & insipientibus; & aliundè hæc quæstio vtilis est ad excitandum in omnibus Sanctum Dei timorem, qui sapientiæ initium est & fundamentum salutis; imò *Clauus fluctuantis Animæ* vt Diuus Ambrosius loquitur: idcircò illam tribus fulcire conabimur fundamentis, eaque in sex paragraphos appositè distribuemus, in quorum tribus primis sententias, figuras, & similitudines sacræ Scripturæ; In quarto Historias Ecclesiasticas, & Reuelationes; In quinto Rationes, & Congruentias; & in sexto Argumenta in contrarium, eorumque solutiones adducemus. Sit igitur.

D.Th. loc.cit.

S. Ambros.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Eruitur Prima probatio ex sententijs Sacræ Sciptura.

5 PRima igitur sacræ Scripturæ sententia, qua innuitur multitudo Reproborum, & paucitas Electorum, est illa formidabilis, quam Christus non semel, sed pluries in Euangelio expressit, & inculcauit. *Multi sunt vocati: pauci vero electi* Matth.20. n.16. Quæ quamuis videantur coarctari posse ad ipsos etiam Fideles inter se comparatos: ex communi tamen Sanctorum P.P. & sacrorum Interpretum sensu extenditur ad omnes omnino homines, Infideles scilicet, & Christianos: Hæreticos, Schismaticos, Apostatas, & Catholicos. Vndè Carthusianus, post excitatum dubium, quomodo electi dicantur pauci, cum de eis dicatur *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*. Et in Apoc. 7. n. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*. Respondet, quod pauci sunt electi comparatiuè, ac relatiuè ad reprobos. Quod confirmat Arabica versio, quæ sic legit: *Quam multi sunt vocati: pauci verò electi?* Ac si Christus talia verba protulisset per modum admirantis multitudinem damnandorum, ac paucitatem saluandorum miserentis.

Matth. 20. *Ps. 138.* *Apoc. 7.* *Arabica versio.*

Luc. 13.

6 Secunda desumitur ex Lucæ 13. vbi Christus cuidam interroganti, *Domine si pauci sunt, qui saluantur?* Respondit, *Contendite intrare per angustam*

portam

portam ; multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Quibus verbis (inquit Augustinus serm. 32. de Verbis Domini) *Confirmauit Dominus, quod audiuit: paucos nimirum esse, qui saluantur.* Rationem assignat Incognitus meus dicens. Quia nullus saluatur nisi per angustam portam : sed pauci ingrediuntur per angustam portam. Ergo pauci saluantur in comparatione multitudinis perditorum.

S. Aug. serm. 32 de Verb. Dom.

Confirmatur, & explicatur magis hæc ratio ex mox dicendis: vndè sit.

7 Tertia sententia ex Matth. 7. n. 13. *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam?* Vbi duo notanda sunt. Primum, quod Christus pronunciat, per latam perditionis portam intrare multos: per angustam vitæ paucos. Secundum quod Christus non dicit, & pauci sunt, qui arripiunt eam, sed qui inueniunt eam: quasi porta salutis ità sit angusta, vt penè oculorum aciem effugiat, vndè non solum arripi non possit; sed nec etiam inueniri. Dicens igitur Christus. *Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam,* idem fuit, ac si diceret. Considerate, quod duæ tantum sunt viæ, quarum altera ad vitam: altera ad mortem ducit. Prior arcta, & angusta est: posterior spatiosa, & lata. Hanc multi ambulant: illam pauci inueniunt. Et si pauci inueniunt; ergo pauci illa incedunt:

Matth. 7.

cedunt:

cedunt: atque adeo pauci sunt, qui saluantur, multi qui damnantur.

Isai. 10.

8 Quarta sententia ex Isaię 10. n. 19. *Reliquiæ ligni saltus præ paucitate numerabuntur: & Puer scribet eos.* Quem locum, quamuis Hebræi cum Diuo Hieronymo interpretentur de paucitate Assyriorum, qui cum suo Rege Sennacherib immensam illam cladem ab Angelo editam euaserunt. Et quamuis etiam Eusebius libro 2. Demonstrationis Euangelicæ cap. 4. explicet de paucitate Hebræorum, qui incendium Hierosolymitanum à Tito Vespesiano illatum euitarunt; Procopius nihilominus exponit de paucitate Iustorum, qui salutis viam insistentes, fœlicitatis metam consequuntur. Et quidem hæc expositio rem præsentem non vulgariter illustrat. Primo, quia dicit, tam paucos esse saluandos, vt à puero paruo, seu paruulo (vt habent Regia, & Sixtiana) scribantur. Pro paruulo autem intelligunt Hebræi, Puerum non dum elementarium, qui vix sciat balbutire, ne dum literas efformare: quique ad plurimum scribet vnum *Iod*, quod apud Hebræos numerum denarium significabat; quasi non plures, quam decem Iusti angustam salutis viam carpere videantur, si cum multitudine eorum, qui de illa aberrant, comparentur. Secundo quia, vbi habet vulgata. *Præ paucitate numerabuntur* septuaginta legunt *Numerus erunt*: Vnde Propheta videtur significasse eos, qui saluandi sunt, pauciores esse, quam decem: nam ad constituendum numerum duo tantum sufficiunt: Binarius

Eusebius lib. 2. demonstr. Euang.

Versio 70. Interpr.

narius enim est prima numerorum species; Cum igitur pronunciet Isaias, *Numerus erunt*, Duos tantum Iustos significat saluandos; intellige tamen præ multitudine eorum, qui damnantur. Et in hunc sensum Eusebius citatus visus est inclinare, cum dixit: *Numerus erunt, hoc est non plures, quam vt numero comprehendi possint*, vt potè, qui & pauci, & facilè numerabiles futuri sint.

Euseb. loc. cit.

9 Quinta ex illo Psalmi 16. n. 14. *Domine à paucis de terra diuide eos*. Et ex illo Psalmi 54. n. 19. *Redimet in pace animam meam ab ijs, qui appropinquant mihi quoniam inter multos erant mecum*. Vbi vides psal. 16. *paucos* dici Iustos, & Electos; Idcircò, vbi habet nostra Vulgata: *Domine à paucis de terra diuide eos*. Chaldæus legit *Ab afflictis*. Eugubinus, *A mortuis*. Alij communiter *A Iustis, & Electis diuide eos*. Reprobos autem Psalm. 54. dici multos: *Quoniam inter multos erant mecum*. Cum igitur idem sit dicere *Multi*, ac dicere Reprobi, idemque sit dicere *Pauci*, ac dicere Electi: sequitur multos ex hominibus esse damnandos, paucos saluandos. Quod autem per ly *Multi* intelligantur Reprobi, Audi doctissimum Incognitum meum Carmelitam, qui exponens præfata verba Psalm. 54. pari pietate & doctrina sic discurrit. *Notandum, quod differentia est inter vocatos ad fidem, & electos, idest Prædestinatos: quia teste Christo, vocati sunt multi: Pauci verò electi: & ideo vocati significantur per multos; scilicet, qui non sunt prædestinati: sed Prædestinati significantur per Paucos*. Et mox confirmans suam

Psal. 16.
Psal. 54.
Chaldæus.
Eugubinus.
Alij
Incognitus hic

doctri-

doctrinam verbis Prophetæ. *Redimet in pace Animam meam ab ijs, qui appropinquant mihi*, sic prosequitur. *Vnde Psalmista dicit in persona electorum. Redimet in pace Animam meam &c. quia scilicet finem Redemptionis, qui est Pax æterna, habebo; Et sic ero separatus ab ijs, qui modò appropinquant mihi, scilicet à malis, qui hic mihi corpore, & loco appropinquant, non merito. Et quod per sibi appropinquantes intelligat malos; ostendit dicens, quoniam inter multos erant mecum. Quasi dicat. Loquor de malis, qui sunt mecum inter Multos: non inter Paucos: quia scilicet sunt de multitudine Vocatorum, non de paucitate Electorum: mali enim sunt Multi, qui Bonis appropinquant, sicut paleæ Tritico. Nam paleæ, & triticum vno semine nascuntur: in vno Agro radicantur: de vna pluuia nutriuntur; sub eodem messore colliguntur; eadem trituratione vtuntur: eamdem ventilationem expectant: sed in vnum horreum finaliter non intrant. Sic & mali appropinquant Bonis, & ijsdem nutriuntur Sacramentis: non tamen similiter terminantur: quia Boni ad pacem ducuntur, vt granum ad horreum: Mali autem igni comburendi, vt paleæ reseruantur.* Ecce quomodo per paucos intelliguntur electi: per multos verò reprobi?

Psal. 2. 10 Sexta sententia ex illo Psalmi 2. n. 9. *In circuitu impij ambulant*. Ex quo infertur, tantam esse inter Electorum, & Reproborum numerum improportionem, quanta improportio est inter circumferentiam, & centrum: Vnde cum Centrum nullas habeat partes: Circumferentia infinitas: hinc fit, vt Iusti

vt Iusti præ paucitate velut in centro conquiescant: Impij verò præ multitudine ambulēt in circuitu, idest ad Circumferentiam dilabantur.

11 Septima ex illo ad Colossenses 1. n. 12. vbi salutem Sanctorum DiuusPaulus *Sortem* appellat. *Qui dignos* (inquit) *nos fecit in partem sortis Sanctorum*. Quasi volens insinuare, quod sicut sors inter plurimos iacitur: sed paucissimis obuenit: ità ad æternam salutem Multi vocantur: Pauci admittuntur.

Ad Colos. 1. n. 12.

12 Octaua ex illo Apoc. 20. n. 12. Vbi multos Ioannes vidit libros, in quibus mortuorum, seu Impiorum nomina à Deo scribuntur: *Vidi* (inquit) *mortuos, &c. & libri aperti sūt*: sed vnū dumtaxat vidit, in quo viuorum, seu Iustorum nomina notantur: *Et alius liber apertus est, qui est Vitæ*. Vt hac librorum varietate notum faceret, quod impiorum Cathalogus, ne multis quidem capitur voluminibus: Iustorum autem exiguo clauditur in libello.

Apoc. 20.

13 Nona ex libro 4. Esdræ cap. 8. *Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos: futurum autem propter paucos*. Sic reuelauit Angelus Esdræ veteris legis Scribæ, à quo, vt mysterium caperetur, idem Angelus protinus similitudinem adduxit, subdens. *Dicam autem coram te similitudinem, Esdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis, vndè fiat fictile: paruum autem puluerem, vnde aurum fit: sic, & actus præsentis sæculi. Multi quidem creati sunt: pauci autem saluabuntur*. Vbi notandum est, quod quamuis hic liber non sit Canonicus,

Esdræ 4

habet tamen non paruam auctoritatem, imò tantam, vt ab ipsamet Ecclesia in sacris Biblijs interseratur.

14 Decima eruitur ex illo Zachariæ cap. 13. n. 8. *Et erunt in omni terra, dicit Dominus; partes duæ, in ea dispergentur, & peribunt: & tertia pars relinquetur in ea.* Vbi Emmanuel Sà sic exponit; in toto Orbe duas hominum partes esse Reproborum, qui damnabuntur: tertiam esse Electorum, qui saluabuntur: Quod tamen intelligit, non mathematicè, sed moraliter: Quasi dicat Propheta, duas partes, idest longè plures damnari, quam saluari.

Zacch. 13.

15 Vndecima infertur ex illo Apoc. 12. *Proiectus est Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui seducit vniuersum Orbem*: Non quod Diabolus omnes omninò homines seducat. Multi enim ex Prædestinatis, olim, nunc, & in futuris quoque temporibus, diuino auxilio galeati, puri, & immaculati, nec non ab omni mortifero peccato viuunt immunes: & sic finaliter à Diaboli versutijs euadunt liberi. Dicitur ergo Diabolus vniuersum Orbem seducere: quia maior Orbis pars ex reprobis conflata, eius dolis succumbit: quorum tanta erit multitudo, vt quasi vniuersus Orbis reputetur. Hinc Diuus Thomas ait: *Quod dicitur, quod vniuersum Orbem seducit, intelligitur quantum ad reprobos, qui sunt maior pars Orbis.*

Apoc. 12.

D. Th. apud Syluestriam.

16 Duodecima deducitur ex illo Apoc. 13. n. 16. *Et faciet omnes pusillos, & magnos: diuites, & pauperes: & liberos, & seruos habere characterem in manu sua, aut in fron-*

Apoc. 13.

in frontibus suis. Hic loquitur Ioannes de Antichristo, in omnium sectatorum suorum fronte, vel dextera characterem impressuro: Et valdè aduertendum est, quod Ioannes non dicit, in Pusillis tantum: vel in aliquibus ex pusillis, vel magnis imprimi per Antichristum, characterem: sed in omnibus, ex omni ætate, & conditione, nemine quasi excepto: volens per hoc denotare, non quod omnes pusilli, omnes magni, omnes diuites, omnes pauperes, & liberi, & serui, sint reprobi: sed quod tam magna, & innumerabilis erit eorum multitudo, vt quasi omnes, valeant reputari: Vnde Ioachim Abbas: *In his verbis* (inquit) *nil aliud designari existimo, quam vt damnandorum multitudinem infinitam esse sciamus, ex omni conditione, & ætate, & antiquitate tam maxima, vt nequaquam valeat æstimari*.

17 Tertiadecima colligitur ex illo Ezechielis 9. n. 2. *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem: & cuiusque vas interitus in manu eius: Vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis etc. Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, et signa Thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius*. Igitur sex viri egrediuntur ad occidendum: quia propter perdendorum multitudinem, non pauciores, quam sex requirebantur: Et vnus dumtaxat adsignandum saluandos signo Thau: quia propter saluandorum paucitatem, Vn sufficiebat vnus.

Ezech. c. 9.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Eruitur Secunda probatio ex Figuris Sacræ Scripturæ.

18 PRima Figura fuit Diluuium vniuersale, quod extremum Iudicij diem figurauit iuxta illud Psalmi 33. *Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*, Sicut enim in diluuio tota hominum multitudo perijt, paucissimis exceptis; siquidem in Arca Noè solum octo Animæ saluæ factæ sunt; vt habetur 1. Petr. 3. Ita in diluuio Iudicij vniuersalis multi erunt, qui damnabuntur: paucissimi, qui in Ecclesia, cuius Typus fuit Arca Noè, saluabuntur.

Ps. 33.

1. Petr. 3

19 Secunda Figura fuit Incendium Pentapolitanum, quod etiam typus fuit extremi Iudicij; *cum Dominus venerit iudicare sęculum per ignem*, vt canit Ecclesia. Sicut enim tunc solus Loth cum vxore, & duabus filiabus, Sodomæ, & Pentapolis euasit incendium, cæteris omnibus quinque Vrbium Incolis ob libidinem concrematis; Ità in die Iudicij pauci erunt Iusti saluandi, qui in Loth figurati sunt, iuxtà Isidorum Hyspalensem alleg. in Sacram Scripturam; *Loth typum habuit Sanctorum, qui in fine sęculi ab impiorum incendio liberabuntur*: & longè maior erit hominum pars, quæ præcipuè ob pollutiones, & libidines (vt reuelatum est S. Christinæ mirabili) tunc damnabitur, & peribit.

Ecclesia

S. Isid. Hysp.

Tertia

20 Tertia Figura fuit ingreſſus Ioſuè, & Caleb ad terram promiſſam, quæ typus fuit Paradiſi: Nam ex ſexcentum Hæbræorum millibus abſque paruulis, & vulgo promiſcuo innumerabili, qui cum eis aſcendit, vt habetur Exod. 24. 17. duo ſoli puta Ioſuè, & Caleb in terram promiſſionis intrarunt: ex quo ſignificatur, ingreſſum ad Cælum eſſe Paucorum; ſed deſcenſum ad inferos multorum. Quod expendens Diuus Auguſtinus ſerm. 102. de Tempore. *Hoc ergo* (inquit) *audiant, qui ità Dominum miſericordem eſſe volunt, vt iuſtum eſſe non credant*. Et ſtatim nos adhortatur, vt ex alienis vulneribus noſtra faciamus medicamenta, vt aliorum mors nobis proſit ad vitam.

Exodi 24.

S. Aug. ſer. 102. de tempore.

21 Quarta Figura fuit excidium ampliſſimæ Ciuitatis Iericho Ioſuè 7. in qua Ciuibus innumeris pereuntibus, ſola Rahab electa eſt ad ſalutem: vt indè ſignificetur paucitas ſaluandorum comparatiuè ad reprobos damnandos: quam enim comparationem habet ſola Rahab domuncula ad Vrbem *Iericho*, habent etiam electi ad Reprobos: Siquidem Vrbs *Iericho* fuit typus reproborum (vt inſinuat Lyranus Ioſuè 7. *Significat enim Ciuitatem culpæ, quam fecit amor ſui vſque ad contemptum Dei*. Rahab vero fuit typus electorum: quia *fide non periјt*, vt teſtatur Apoſtolus ad Hæbr. ij. *& ex operibus fuit iuſtificata* Iacob 2. vndè à Chriſoſtomo hom. 5. de pœnit. dicitur, *Per pœnitentiam ſaluata*.

Ioſuè 7.

Lyran. hic

Ad Hæbr. ij

Iacob. 2.

S. Io: Chryſ.

PARA-

PARAGRAPHVS TERTIVS

Eruitur Tertia probatio ex Similitudinibus Sacræ Scripturæ.

22 PRima similitudo sumitur ex illo Genesis 22. *Sicut stellæ Cæli, & sicut Arena maris, sic erit semen tuū.* Vbi, vt insinuare videtur Augustinus, Electi stellis cumparantur: Reprobi arenæ maris: vndè cum in numero Arena maris longè superet stellas cæli, clarè liquet paucos esse electos saluandos: in comparatione multitudinis damnandorum.

Gen. 22.

S. Aug.

23 Secunda Similitudo desumitur ex illo Isaiæ cap. 16. *Et erit sicut congregans, quod restiterit, & brachium eius spicas leget: & erit sicut spicas quærens in valle Raphaim. Et relinquetur in eo, sicut racemus: & sicut excussio oleæ duarum, vel trium oliuarum: siue quatuor, aut quinque in cacuminibus eius fructus eius.* Vbi Propheta, (vt obseruat Cornelius hic ex S. Hyeronimo, & Haimone) per triplicem comparationem, paucitatem Israelitarum, siue Samaritanorum æquè ac Syrorum, ad quam redigentur à vastatore Assyrio, describit. Prima igitur comparatio est, quod tam pauci erunt, quam paucæ sunt spicæ, quæ post messem in valle Raphaim, qui est Ager amplissimus, remanēt, & à pauperibus colliguntur. Secunda, quod erunt tam pauci, quam pauci relinquuntur racemi post vindemiam. Tertia, quod erunt tam pauci, quam quatuor, vel quinque oliuæ

Isai 16. num. 5. & 6.

Cornel. hic

oliuæ in excussa olea remanentes, quas manus Collectoris attingere nequit, vel quia sub folijs latent, vel quia sunt in arboris cacumine, aut summitate. Ex quibus allegoricè inferri potest, paucissimos esse electos saluãdos in comparatione multitudinis damnandorum: saluandi enim erunt tam pauci, quam paucæ remanent spicæ post messem vuæ, racemi post vindemiam, & post oleæ excussionem oliuæ.

24 Tertia Similitudo eruitur ex illo Cantic. 2. n. 2. & 3. *Sicut lilium inter spinas, sic Amica mea inter filias: Sicut malus inter ligna Syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Vbi ex cõmuni Interpretũ sẽsu electi lilio, & Malo: Reprobi spinis, & syluarum lignis comparantur. Ex quo deducitur eam comparationem habere Electos ad Reprobos, quam vnicum lilium ad quamplurimas spinas: & vnica mali planta ad innumera ligna syluarum.

Cant. 2.

25 Quarta Similitudo habetur Matth. 3. n. 12. *Cuius ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Vbi Iusti assimilantur frumento; peccatores verò paleis: Sicut igitur paleæ longè plures sunt, quam grana frumenti: ità inter omnes homines longè plures erunt peccatores damnandi, quam Iusti saluandi. Quod autem nomine damnandorum, & saluandorum veniant hic omnes omninò homines infideles & fideles, patet ex eo, quod laudato per Ioannem Christi baptismo, statim subdit de Iudicio finali. *Cuius ventilabrum, &c.*

Matth. 3.

vt ma-

vt manifestetur Baptismi efficacia, sine quo saluabitur nemo: Ergo illi, qui damnabuntur erunt quidem ex Christianis aliqui mali: sed ex ijs, qui sine baptismo decedunt erunt omnes. Vnde Guido meus hic, quærens, *quid conferat ad Baptismum Christi per Ioannem laudatum id quod de vltimo Iudicio dicitur?* Duas assignat responsiones, qaarum secunda est. *Ad ostendendam efficaciam sui baptismi, in quo datur Spiritus Sanctus, & ignis Charitatis, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, sine quo in ventilabro Diuini Iudicij quando messores fecerint fasciculos, & triticum ponent in horreum, scilicet Iustos: peccatores tanquam inutiles paleas comburent igni inextinguibili: quia qui sine Sacramento Baptismi ex hac vita discesserit, & non crediderit condemnabitur. Marci 6. v. 16.* En quomodo per peccatores condemnandos intelligit non solum fideles malos: sed etiam infideles, qui nec credunt, nec cum Baptismo decedunt? Ex omnibus igitur hominibus quamplurimi sunt damnandi: paucissimi sunt saluandi; sicut quamplurimæ sunt paleæ; paucissima frumenti grana.

Guido Carm. in quatuor vnum

16 Quinta Similitudo desumitur ex 2. ad Timoth. 2. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea: sed & lignea, & fictilia.* Atquì; in qualibet domo, quantumuis magnifica, pauciora sunt vasa aurea, & argentea: plura vero lignea, & fictilia: Ergo in magna mundi domo multa sunt vasa lignea, & fictilia, idest reprobi: & pauca vasa aurea, & argentea, idest prædestinati.

2. ad Tim. 2.

PARA-

PARAGRAPHVS QVARTVS.

In quo Afferuntur Reuelationes ex Historijs Ecclesiasticis, quibus ostenditur damnandorum multitudo, & paucitas saluandorum.

27 PRima Reuelatio est illa, quam refert Baronius tom. 10. Annal. ad annum 976. & quæ facta fuit Sancto Simeoni Stylitæ, quamque approbauit, & ex professo defendit S. Nilus Abbas, Vir miræ Sanctitatis, multorumque Religiosorum Parens, cuius sepulchrum extat in Monasterio Cryptæ Ferratæ iuxtà Tusculanum, eamque inter spiritualia colloquia propalauit, & retulit aliquando discipulis, nempè, quod *ex decem millibus vix reperitur vna Anima his temporibus, quæ ad manus Sanctorum Angelorum perueniat, scilicet, quæ saluetur, & vitam æternam consequatur.* Quam visionem non esse restringendam ad solos Catholicos, vt contendit Recupitus infrà: sed extendendam maximè ad totam hominum massam, ex gentilibus, Saracenis, Hæbræis, & Christianis promiscuis, apertè docet in Promontorio malæ spei lib. 1. §. 1. n. 24. pag. 19. Paulus Zehentner, qui est vnus ex sectatoribus eiusdem Recupiti sententiæ.

Baron. tom. 10. Annal.

Recupitus

Paulus Zehentner

28 Secunda Reuelatio extat apud Trithemium in Chron. ad annum 1160. vbi horrendam refert visionem lingoniensi cuidam Episcopo factam Anno Domini 1133. indictione prima, 13. Calendas Septembris

Trithem. in Chron.

tembris, quo tempore Sanctus Bernardus Abbas Claræuallensis ex hac vita migrauit. Quidam igitur Decanus diues, magnique nominis vir, qui omnibus fortunæ bonis contemptis, in Eremum secesserat, ibique pro Christi amore per aliquot annos Eremicolæ vitam egerat; tandem mortuus præfato Episcopo, cui in viuis fuerat notus, apparuit, & sciscitanti de suo statu, & diuini Iudicij districtione, respondit. *Ex hora, qua ego de corpore migraui, triginta hominum millia ab hac luce migrarunt: è quibus Bernardus Claræuallensis Abbas qui eadem hora obijt, vnà mecum ad Cælos euolauit: tres alij ad purgatorium missi sunt, cæteri omnes per sententiam iusti Iudicis condemnati ad infernum perpetuò cruciandi descenderunt.*

Platus lib. 1 de bono statu relig. c. 5.

29 Tertia Reuelatio refertur à Plato lib. 1. de bono status Religiosi cap. 5. Narrat igitur ex Annalibus Franciscanorum Bertholdum quemdam non ignobilem Franciscanæ familiæ Concionatorem potentia spiritus, & vi dicendi, qua pollebat, mulierem peccatricem eò contritionis adegisse, vt veluti rupto corde in concione mortua ceciderit, quæ postea præcibus eius, populique resuscitata, palam sic fassa est. *Cum apparui ad Dei tribunal, adducta sunt eò sexaginta Animarum millia, quæ toto orbe e vita excesserunt: atque ex his tres tantum fuerunt addictæ Purgatorio: reliquæ omnes ad ignem æternum damnatæ.*

Cantipatr. l. 1. Apum cap. 10.

30 Quarta Reuelatio habetur apud Cantipatr. lib. 1. Apum cap. 10. Anno Christi 1250. Vbi narratur, quod quidam Philippus Cancellarius Parisiensis

iam

iam vita defunctus Guglielmo Parisiorum Ciuitatis Antisti apparens, narratis prius causis, ob quas per iustissimam Dei sententiam ad inferos detrusus esset, mox propriam curiositatem pascere cupiens, Antistitem interrogauit, *An mundus adhuc extaret, & ab incolis hominibus habitaretur?* Cumque Episcopus annueret: *Ne mireris* (inquit) *interrogationem meam; quia nec Ratio, nec Sapientia, nec scientia apud Inferos. Cæterum scias, tot Animas ijs diebus ad infernum præcipitatas, quod numquam credere posem, hanc terram tot homines inhabitare.*

PARAGRAPHVS QVINTVS.

In quo afferuntur Rationes, & Congruentiæ quibus Conclusio fulcitur.

31 PRobatur primo Conclusio hac ratione. Vitia, & peccata sunt illa, per quæ homines pereunt, & damnantur: sed vitia, & peccata reperiuntur in hominibus, vt in pluribus: Ergo plures homines damnantur, quam saluantur. Maior est certa. Minor probatur. In hominibus, vt in pluribus reperitur propensio ad bona sensibilia, & delectabilia: sed ex hac propensione proueniunt in eisdem vitia, & peccata: Ergo vitia, & peccata reperiuntur in hominibus, vt in pluribus. Hanc rationem insinuat D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 2. ad 3. vbi ait, *quod in homine est duplex natura scilicet rationalis, et sensitiua. Et*

Rationes probantes multitudinẽ damnãdorum

D. Th. 1.2.q.71. art. 2.

quia per operationem sensus homo peruenit ad actus rationis; ideò plures sequuntur inclinationes naturę sensitiuæ contra ordines rationis: plures enim sunt, qui assequuntur principium rei, quam qui ad consumationem perueniunt: ex hoc autem vitia, et peccata in hominibus proueniunt, quod sequuntur inclinationem naturę sensitiuæ contra ordinem rationis.

S.Th.1. p.q. 23. ar.2. ad 3.

32 Probatur secundo ratione eiusdem D. Thomæ, qui p. p. q. 23. art. 2. ad 3. ratiocinatur sic. ***Bonum proportionatum communi statui naturę, accidit, vt in pluribus, et deficit, vt in paucioribus: sed Bonum, quod excedit communem statum naturę inuenitur in paucioribus, et deficit in pluribus.*** Vnde infert infrà. ***Cum Beatitudo ęterna in Visione Dei consistens, excedat communem statum naturę, & precipuè secundum quod est gratia (originali) destituta, per corruptionem originalis peccati pauciores esse, qui saluantur.*** Quæ ratio potest ad hanc formam reduci. Bonum excedens communem statum naturæ deficit in pluribus, contingit in paucioribus: sed Beatitudo æterna excedit communem statum naturæ, præsertim lapsæ, & per culpam originalem corruptæ. Ergo assecutio Beatitudinis deficit in pluribus, contingit paucioribus, & consequenter plures sunt, qui damnantur: Pauciores, qui saluantur.

33 Confirmatur quia Beatitudo vt potè excedēs communem statum naturæ præcisè sumptæ magnam habet difficultatem in medijs, quæ requiruntur ad eius consecutionem: media enim necessaria ad illam conse-

onſequendam proponuntur à Fide quæ obſcurè roponit Bonum abſens, & abſtractum à ſenſibus: nedia autem contraria proponuntur à cauſa natuali, quæ clarè proponit bonum præſens, & ſenſiile: ad quæ magis inclinat Voluntas, quam d illa. Sed aſſecutio rei per media difficilia deficit t in pluribus, & contingit vt in paucioribus: melium enim, quo eſt difficilius magis accedit ad impotentiam, & recedit à potentia; ex quo fit, vt ſſecutio rei impoſſibilis contingat in nemine, aſſeutio verò rei difficilis contingat in paucis. Ergo ſſecutio Beatitudinis deficit, vt in pluribus contingit, vt in paucioribus.

Cōgruētia de paucitate ſaluādorū.

34 Probatur tertio ex Congruentijs quarum Prima eſt. Beatitudo eſt Beneficium Diuinum, & opus gratiæ omnium maximum. Ergo non eſt conueniens, vt conferatur omnibus, vel pleriſque eoum, qui illud non merentur, imò ex iuſtitia meentur, vt ipſis non conferatur.

Seneca

35 Probatur quarto alia congruentia; quia beneficium, quod confertur, eo gratius eſt, quo raius iuxta illud ſenecæ lib. 1. de beneficijs cap. 14. *Non ſine delectu diffundi debent beneficia: ſed in illis hoc ingulariſsimum eſſe oportet, vt rara ſint: Quod enim uibuslibet datur, nulli gratum eſt.* Sed omnium Beneficiorum diuinorum excellentiſſimum eſt Prædeſtinatio ad Beatitudinem: imò primum donum, ac æterorum radix. Ergo ne ei deeſſet præclara illa ecti beneficij prærogatiua, congruum fuit, in pau-

ciores

ciores creaturas rationales cum delectu communicari, vt rara esset, & consequenter grata: Si enim omnibus, vel maiori parti daretur, nulli grata esset: *Quis enim patitur sibi vulgaria imputari?* Concludit Seneca.

Confirmatur, quia quanto aliqua sunt nobiliora, & excellentiora, tantò sunt rariora, & minus communia, vt constat in auro, gemmis, vnionibus, & lapidibus prætiosis: vndè Seneca. *Mediocria* (inquit) *& in turbam nascentia, sæpe natura producit: eximia verò ipsa raritate commendat.* Sed finis ad quem Deus electos suos prædestinatione transmittit, est omnibus alijs excelsior, & sublimior: Ergo debet esse rarior, & minus communis, & consequenter à paucis, & non à pluribus assequibilis.

Seneca epist.42.

36 Probatur tandem inductione quadam, & distributione facta in certos veluti legum status, scilicet in statum legis Naturæ, legis scriptæ, & legis Gratiæ. In statu enim legis Naturæ ab Adam vsque ad Moysen, rara fuit, & apud paucos vera Dei cognitio; Vita hominum, vt plurimum impia; iacebatque tunc Genus humanum ferè vniuersum, superstitionum, ac infidelitatis tenebris obuolutum: Vndè circa annum Mundi millesimum sexcentesimum antè diluuij inundationem potuit verè dicere Scriptura. *Omnis caro corruperat viam suam.* Gen. Et posteà de de hac etiam re Psalmista. *Dominus de cęlo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles*

Saluandorum paucitas constat ex inductione

Gen.6. v. 12.

Psal. 13 v.2.& 3

facti

acti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnũ. Et quamuis sexcentis circiter post annis Abraham fidelem populum ex suo semine propagauerit: & hunc posteà Deus Egypto eductum, Anno post orbem condito bis millesimo quingentesimo, quadragesimo tertio, per Moysen lege sua, cæremonijs, ac sacrificijs instruxerit; Nihilominus in illa lege scripta, Posteritas Abrahæ, electus Dei Populus, non diù in auita Religione, ac pietate perseuerauit: Siquidem Hebræi *Commixti inter Gentes* (idest Gentiles) *didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum: & immolauerunt filios suos, & filias suas Demonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan*. Imò ab Idolatria in omnium flagitiorum profundum inciderunt; ità vt lugens potuerit Ieremias asserere. *Ambulauit vnusquisque post prauitatem cordis sui*. Et lamentari potuerit Deus per Micheam. *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in Autumno racemos vindemiæ: non est Botrus ad comedendum: Præcoquas ficus desiderauit Anima mea*. Quasi diceret: dum Iustos in Populo meo inquiro, similis factus sum homini quærenti post vindemiam racemos, & non inuenienti; & subdens *Præcoquas ficus desiderauit Anima mea*, Voluit exprimere, quam longè tunc à Republica Hebræa Iusti exularent: vt enim Autumni tempore, ne vna quidem ficus præcoqua reperitur: ità planè in illo populo tam frequenti, tanta erit Iustorum paucitas, vt ne vnus quidem

Ps. 105. v. 35.

Ierem. c. 16. n. 12.

Michee c. 7. 1.

quidem reperiri posse videretur. Hinc meritò conclamabat Ieremias cap. 5. n. 1. *Circuite vias Hierusalem, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, et propitius ero ei.* Quis igitur negare velit in statu legis, tum Naturæ, tum Scriptæ maiorem hominum partem per vniuersum terrarum Orbem dispersam, in immania Idolatriæ, & superstitionis scelera lapsam, vitamque viuentem bestijs quam simillimam, æternaliter perijsse?

Ierem. c.5. n.1.

37 Demum in lege Gratiæ, quamuis verissimum sit, sonoram Apostolorum prædicationem *In omnem terram exeuntem* ad vltimas quoque orbis Prouincias Christianæ fidei inuexisse mysteria; illæ tamen paulatim cultu Christi relicto in antiquam gentilitiæ impietatis superstitionem redierunt. Vndè in præsentiarum, distributo in quatuor partes Mundo, videmus Dæmonis nequitia, & Hæresiarcharum tum antiquorum, tum recentium improbitate, Aphricam, Asiam, & Americam, vel superstitionum, & Idolatriæ fæditate deturpatas, vel mahomectana labe infectas; Europam verò, quamuis in ijsdem Catholicæ fidei articulis, quibus ab Apostolis, eorumque successoribus instructa fuerat, multis retrò sæculis firma, & concors permanserit: ad vnius tamen Lutheri impetum omnis penè Germania: ad vnius Caluini impulsum Anglia propè corruit vniuersa, quas plurima alia Europæ Regna, & Regiones infeliciter sequutæ sunt; vndè factum est, vt multi, quibus

bus se offert occasio apud orthodoxos veritatem audiendi, velint tamen cum affectata ignorantia mori, ac perire; ex quo iuxtà verum Arithmeticæ calculum sequitur minimum nunc in Europa eorum numerum esse, qui cum sincera, & orthodoxa fide Romanæ Ecclesiæ (extra quam non est salus) adhæreat; maximum verò eorum, qui vel cum animi pertinacia, vel cum inscitia affectata in hæresum, atque errorum volutabro perditissimè iacent.

38 Apparet igitur euidenter inductione, & distributione facta, siue statuum diuersorum inter leges, siuè quatuor orbis partium; ex vniuersa hominum massa defectu fidei, & excessu vitiorum plures damnari, quam saluari. Vnde nil insolens protulit Cornel. à lapide in Apoc. Quando sibi licitum duxit æstimare, quod in fine mundi, omnium omninò Sanctorum, & Electorum, qui quouis sæculo, vbiuis gentium vixerunt, numerus aliquot centenos milliones conficiet. Reproborum verò longè maior erit turba, quæ plures, non tantum centenos, sed & millenos milliones efficiet: sæpè enim ex mille hominibus; imò ex decem millibus vix vnus saluatur, vti probant reuelationes superius adductæ. At magis rigorosè, quamuis non minus probabiliter, loquutus est Laurent. de Aponte tom. 2. in sap. vbi dicit, ex decies centenis millibus animarum, quæ millionem conficiunt, vix vnam, aut duas esse electas: vix ex decies centenis millibus hominibus vnum, aut duos Prædestinatos esse. Quod sic intelligit, vt

Cornel. in Apoc. 7. num. 9 pag. 141. col. 2.

Laur. de Aponte to. 2. in sap. c. 19 n. 12. hō. 112. pag 985. col. 2.

post diem Iudicij, collectiuè sumpti Prædestinati ex vna parte, & Reprobi ex altera, singulis decies centenis millibus Reprobi, vnus, aut alter prædestinatus opponatur.

PARAGRAPHVS SEXTVS.

In quo proponuntur, & soluuntur obiectiones.

39 OBijcies primò. In operatione Naturæ bonum inuenitur in pluribus: malum, & defectus in paucioribus: Ergo multò magis hoc contingit in operatione Gratiæ, quæ perfectior est operatione Naturæ. Ergo Beatitudo, quam media Gratia consequimur, contingit, vt in pluribus: deficit, vt in paucioribus.

Respondeo distinguendo antecedens: Bonum proportionatum communi statui Naturæ inuenitur in pluribus, concedo antecedens; Bonum excedens communem statum Naturæ inuenitur in pluribus, nego antecedens, & vtramque consequentiam: quia quamuis operatio Gratiæ perfectior sit, quam operatio Naturæ: nihilominus Beatitudo est Bonum improportionatum, & superexcedens communem naturæ statum, & ideò contingit, vt in paucioribus.

40 Obijcies secundo. Ex rebus naturalibus plures consequuntur suum finem, quam ab illo deficiant, vt experientia docet: Ergo ex hominibus plures consequuntur finem æternæ vitæ, quam ab

illo

illo deficiant. Probatur consequentia, quia res naturales ideò consequuntur suum finem quia diriguntur à Prouidentia diuina. Sed non minus diriguntur homines à Prouidentia diuina, quam res naturales: Ergo plures ex hominibus consequuntur æternam vitam, quam ab illa deficiant, & consequenter plures sunt qui saluantur, quam qui damnantur.

Respondeo distinguendo antecedens: Ex rebus naturalibus plures consequuntur suum finem, qui est eisdem proportionatus: concedo antecedens: qui est eisdem excedens: nego antecedens, & consequentiam. Ad cuius probationem iterum distinguo maiorem: ideò res naturales consequuntur suum finem, quia diriguntur à Prouidentia diuina, vt sic præcisè, nego maiorem; quia diriguntur à Prouidentia diuina, & etiam quia diriguntur ad finem sibi proportionatum: & concedo maiorem: Vnde concessa etiam minore, nego consequentiam: quia æterna vita, vt iam dictum est, excedit communem hominum statum, nec ei proportionatur, præsertim in hoc statu naturæ lapsæ, & per peccatum originis vitiatæ, & corruptæ.

41 Obijcies tertiò. Multitudo Electorum Apoc. 7. vocatur innumerabilis: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & linguis, &c.* Ergo ex Scriptura maior pars omnium omninò hominum saluatur. *Apoc. 7.*

Respondeo negando consequentiã: Nam quamuis, qui saluabuntur erunt multi, & innumerabiles:

fácta tamen comparatione cum Reprobis, erunt paucissimi; id quod expressè docet Augustinus lib. 3. contrà Cresconium Grammaticum cap. 66. dicens: *Boni, verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt, comparatione malorum pauci sunt: sicut multa grana, quibus horrea magna complentur pauca dicimus comparatione palearum.*

42 Obijcies quarto. Prædestinatio ad gloriam est purè gratuita, & independens à præscientia meritorum, vt potè, quæ refertur ad solum beneplacitum diuinæ Voluntatis: sed paucitas saluandorum non est conueniens, & consona beneplacito Voluntatis diuinæ: Ergo non est conueniens, quod Deus paucos homines saluet, & plures damnari permittat. Maior supponitur certa ex dictis in tract. de Prædestinatione: Minor verò probatur: quia sapientiæ cap: 1. dicitur: *Sentite de Domino in Bonitate*: Bonum autem ex D. Dyonisio est maximè sui diffusiuum, & communicatiuum: Ergo non est conueniens, & consonum beneplacito diuinæ Voluntatis paucos, & non plures ad Gloriam præstestinare.

Sap.c.1.

S.Dion: de diu. nomin. cap. 1.

Respondeo concessa maiore, distinguendo minorem: Paucitas saluandorum non est conueniens, & consona beneplacito diuinæ Voluntatis antecedentis, & concedo minorem; diuinæ Voluntatis consequentis, & nego minorem, & consequentiam. Duplex igitur in Deo datur Voluntas secundum Damascenum, quem sequuntur communiter Theologi cum D. Thoma. Altera antecedens, Altera

S.Damasc.apud D. Th. 1.p. q.19.a.6

43

con-

consequens; per Voluntatem Antecedentem vult omnem hominem saluari secundum exigentiam suæ Bonitatis: sed per consequentem vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ Iustitiæ. Ratio autem huius rei est: quia Deus per voluntatem antecedentem amat salutem hominum consideratam solum secundum se, & vt præcisam à circumstantijs, cum quibus ponitur à parte rei; per voluntatem verò Consequentem amat hominum salutem secundum omnes circustantias in particulari, vt in executione, & à parte rei ponendas. Et totum hoc explicat D. Thom. loc. cit. ad 1. Exemplo Iudicis dicens. *Tertiò secundum Damascenum intelligitur de Voluntate Antecedente, non de voluntate consequente: quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis Diuinæ, in qua nihil est prius, vel posterius: sed ex parte volitorum. Ad cuius intellectum considerandum est, quod vnumquodque secundum, quod bonum est, sic est volitum à Deo: aliquid autem potest esse in sua prima consideratione, secundum quod absolutè consideratur, bonum, vel malum: quod tamen prout cum aliquo adiuncto consideratur (quæ est consequens consideratio eius) è contrario se habet. Sicut hominem viuere est bonum: & hominem occidere est malum, secundum absolutam considerationem; sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel viuens in periculum multitudinis: sic bonum est, eum occidere, & malum est eum viuere: vnde potest dici, quod Iudex iustus antecedenter vult hominem viuere; sed consequenter vult homicidam*

D.Th. loc. cit. ad 1.

micidam

micidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem saluari: sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ Iustitiæ. Ex quo patet ad probationem minoris: nam debemus sentire de Deo in bonitate circà ea, ad quæ terminatur eius Voluntas antecedens: at circà ea, ad quæ terminatur eius Voluntas cõsequens debemus sentire de Domino secundum exigentiam suæ iustitiæ.

44 Ad illud de diffusione sui ipsius ad extrà, dico, diuinam Bonitatem quatuor modis se posse ad extrà diffundere, & communicare, scilicet in ordine Naturæ, Gratiæ, Gloriæ, & Vnionis hypostaticæ. Sed cum discrimine: Nam prima communicatio, cum sit omnium infima, est alijs magis extensa: continet enim totum Vniuersum, & est omnibus creaturis communis. Secunda, quæ est nobilior, minus porrigitur, complectiturque sinu suo solas creaturas intellectuales, quas Deus ad ordinem supernaturalem euexit: vndè Augustinus. *Communis* (inquit) *est omnibus natura, non gratia*. Et D. Th. de Verit. docet. *In nullo inueniri, omnes homines conuenire, nisi in aliquo naturali*. Tertia, quia est excelsior, adhuc minus extenditur, & solis prædestinatis confertur. Vltima denique, quæ est omnium præstantissima, aliasque communicationes in infinitum excedit, solam respicit humanitatem Christi ad esse personale Verbi Diuini assumptam. Cum igitur communicatio gloriæ excelsior, & nobilior sit, quam communicatio gratiæ: ideò hæc diffunditur in plures:

S. Aug. ser. 9. de verbis Apostoli. D. Th. de Verit. q. 24. ar. 15.

res: quia gratia sufficiens nulli adulto negatur; illa tamen non nisi paucioribus confertur, præcipuè ob rationes, & congruentias, in præcedenti paragrapho allatas.

45 Obijcies vltimò. *Deus vult omnes homines saluos fieri*. vt testatur Apostolus. 1. Timothei 2. Ergo omnes homines saluat. Consequentia patet ex Psalm. 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit*: & ex illo Isaiæ c. 46. *Omnis voluntas mea fiet*.

1. Tim. 2 Ps. 134 Isaic. 46

46 Respondeo tripliciter, iuxtà triplicem explicationem verborum Apostoli, quam affert D. Th. apud Gonet. Primo modo assero, locum Apostoli intelligi per accommodatam distributionem, vt sensus sit: Deus vuult, omnes homines, qui saluantur, saluos fieri: Non quia nullus homo sit, quem saluum fieri non velit: sed quia nullus saluus fit, quem non velit saluum fieri. Secundo modo dico, intelligi, distributione facta pro generibus singulorum, & non pro singulis generum, vt sensus sit: Deus vult de quolibet statu hominum saluos fieri, scilicet aliquos ex maribus, & fęminis: aliquos ex Iudæis, & gentilibus, aliquos ex paruis, & magnis: non tamen omnes de singulis statibus. Tertio modo iuxtà Damascenum dico, intelligi de Voluntate antecedente, non de Voluntate consequente; nempè quod Deus velit voluntate antecedenti, absque vlla personarum acceptione, omnium, & singulorum hominum salutem; ex hoc tamen non infertur, omnes, & singulos homines, Deum efficaciter velle saluos fieri:

D. Th. 1. p. q. 19 art. 6.

Triplex explicatio verb. Apost. Deus vult omnes homines saluos fieri.

quia

quia Voluntas antecedens est inefficax, quo ad vltimatum gloriæ finem, licet sit efficax quo ad aliqua media; insuper est conditionata, non absoluta: vult enim Deus, omnes homines saluos fieri, si per ipsos non steterit; Vult ergo, & non vult, omnes fieri saluos: Vult voluntate antecedenti, quia filij eius sunt: non vult voluntate consequenti, quia ingratissimi sunt, & à tam pio Patre degeneres: quam veritatem ipse Seneca in Mædea (quamuis Ethnicus) agnouit, cum sic Mædeam loquentem introduxit: *Haud aliter Dei Cor fluctuatur: ira pietatem fugat, Iramque pietas: cede dolori pietas, Iudexque, toto Patre expulsa, redeat. Egone, vt meorum liberorum, ac prolis meæ fundam cruorem? melius, ah melius furor. Occidant; non mei sunt: pereant, mei sunt, qui nec crimine, nec culpa carent.* Demum hanc voluntatem antecedentem habet Deus, non vt specialis, sed vt Generalis causa, & vniuersalis prouisor, qui non solum debet intendere, & procurare bonum particulare aliquorum hominum: sed etiam bonum generale totius vniuersi, & permittere, quod aliquæ creaturæ deficiant, suoque fine frustentur. Deus igitur in ordine supernaturali prouidet per voluntatem antecedentem, quod omnes homines sint capaces beatitudinis: quod tendant, quantum est de se ad illam: ac per talem voluntatem eis præparat media, & auxilia, non efficacia, sed sufficientia ad illam consequendam. Vt tamen locum habeat mutabilitas contingentiæ, ac infirmitas liberi arbitrij: & vt manifestetur

Seneca in Mædea.

47

estetur rectitudo ipsius Iustitiæ erga aliquos, & splendor ipsius misericordiæ erga alios, fit vt per voluntatem consequentem non velit efficaciter salutem aliquorum, eisque denegat media efficacia ad illam consequendam. Negatur igitur consequentia, quod Deus omnes homines saluet. Et ad loca pro eius probatione adducta, dico intelligenda esse de Voluntate Dei simpliciter, qualis est sola Voluntas consequens, vt docet D. Th. loc. cit. ar. 6. ad 1. non verò de omni Voluntate Dei, quæcumque illa sit: nam ex eadem Scriptura colligitur dari in Deo aliquam Voluntatem, quæ non impletur iuxtà illud Matth. 23. *Ierusalem, Ierusalem &c. quoties volui congregare filios tuos, & noluisti &c.* Vel dicas, quod omnis Voluntas Dei fiet, quia à nullo impeditur, nec ei aliquis valet resistere: sed si aliquando non impletur, est, quia hoc ipsum est volitum ab eo: & sic, siue aliquid fiat, siue non, totum est ex eius Voluntate; cum quo tamen stat, quod in ordine ad effectum, qui interdum non ponitur in re, dicatur inefficax, non ex aliquo impedimento extrinseco vincente, aut retardante efficaciam ipsius: sed ex propria ordinatione, ac prouidentia ipsius volentis.

D.Th. l.cit. ar. 6. ad 1.

Matth. 23.

48 Instabis: redarguendus esset Figulus, & tanquam iners & negligens habendus, si intendens ex argilla efformare vasa in honorem pro mensa, deficiens ab intento, magna ex parte formaret vasa in contumeliam pro culina: Ergo non minus redar-

guendus videtur Deus, & tamquam imprudens Prouisor habendus, dum homines, quos ad honorem Beatitudinis condidit, deficiens à fine intento; magna ex parte in æternæ miseriæ contumeliam ruere sinit, vel permittit.

49 Respondeo admisso antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Et ratio discriminis est, quia Figulus in efformandis vasibus, supponitur, non habere alium finem, quam illa efficere ad honorem, vt deseruiant, non culinæ, sed mensæ: vndè meritò redarguendus est, si vasa efformat, magna ex parte in contumeliam, vt culinæ, & non mensæ deseruiant: quia deficit à fine vnicè intento. At Deus in condendis hominibus, non solum habuit pro fine salutem hominum: sed etiam sui ipsius gloriam: *Omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus*. Imò primarius eius finis fuit propria gloria: salus verò hominum finis intermedius: Quod enim dederit omnibus hominibus virtutem, & possibilitatem salutis: quod bonos remunerare, malosq; condemnare statuerit, totum direxit ad propriam gloriam: sic enim prodit se Dei bonitas, & illustrem facit, cum ex suo se optimum: ex nostro autem se iustum præbeat, vt loquitur Tertull. Fateor equidem, quod si finis proprius, & primarius Dei in homine condendo fuisset sola hominum salus, forsitan posset locum habere id, quod de figulo dictum est: quandoquidem Agens deficere videtur, cum suum, vel suæ actionis vnicum finem non assequitur: nec satis

Prou. 16

Tertul. l. de resur. car. c. 10.

prudens æstimatur, si defectũ permittit, quo sui finis consecutio impediatur. At si Agens præter finem intermedium, alium habet finem vltimum: nullo modo redargui debet, si non impedit (cum potest) defectum Agentis inferioris: dummodò eum non procuret; & præcipuè si defectus est talis, vt eo non obstante, Agens ille adhuc attingat suum primarium finem. Sic deficit omninò, & peccat Dux militum, qui nil aliud intendens, quam victoriam in bello de hoste referendam, volens, sciensque permittit, vel sinit suorum militum phalanges terga vertere. At si eumdem defectum permitteret Imperator, non peccaret, si (licet permissa militum fuga) medio aliquo alio stratagemmate æquè benè victoriam reportaret. Cum igitur finis Dei primarius sit propria Gloria: & hanc ipse æquè benè consequatur, siue plures homines saluentur, siue damnentur; non potest redargui, & haberi imprudens, si plurium damnationem permittat: quia numquam deficit à fine intento suæ gloriæ: quem in hominum damnatione assequitur, ostendendo suam Iustitiam: & in hominum salute, manifestando suam misericordiam.

QVÆSTIO SECVNDA.

An ex Christianis promiscuis, nempè Fidelibus Orthodoxis, Hæreticis, Schismaticis & Apostatis, plures damnentur quam saluentur.

51 VNica Conclusio. Inter eos, qui nomine Christi gloriantur, seque in illum firmiter credere profitentur, maior est numerus reproborum, quam electorum, si inter eos etiam Schismatici, Apostatæ, & Hæretici computentur. Est Suarij & communis Theologorum. Sed antequam deueniam ad probationem.

52 Præmitto primò, falsam esse doctrinam Pseudopoliticorum huius æui asserentium, vnumquemque hominem in sua fide, qualis qualis illa fuerit, posse saluari, siue sentiat cum Luthero, siue cum Caluino, siue etiam denique cum Papa: modò sit sacro baptismatis fonte regeneratus; fidemque in Christum, ac symbolum Apostolorum teneat. Hunc enim errorē euertit Apostolus, qui ad Ephesios serió asseuerauit. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma.* Quæ verba Fideles primitiuæ Ecclesiæ pro tessera habebant: quemadmodum Turcæ tenent pro tessera sententiam istam: *Vnus est Deus, & Mahomet consiliarius eius.* Voluit igitur asserere Apostolus, Vnum, atq; vnicum esse Deum, supremum Dominantium omniū Dominatorem: Vnum esse baptismum ad salutem

ad Eph. 4.

necef-

necessarium, scilicet ille, qui fuit à Christo institutus; atque adeò non nisi vnam, & vnicam esse fidem, quæ ad Beatitudinem Christianos perducit.

53 Præmitto secundò, neminem esse inter homines, qui extrà Ecclesiam Catholicam Apostolicã Romanam (cui soli vera fides, religioque alligata est) æternam vitam consequi possit, & saluari. Hæc est totius venerandæ iam olim Antiquitatis receptissima doctrina, quam astruit S. Fulgentius in communibus Fidei regulis, sic scribens. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solum omnes paganos: sed etiam omnes Iudæos, Hæreticos, atque Schismaticos, qui extrà Ecclesiam Catholicam, præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. Et de Hæreticis, & Schismaticis, prout formaliter talibus, & in sua malitia obstinatis hæc memorãda attexit: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum, siue Schismaticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit: & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari. Omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quantumlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem quamdiu in eo hæretica, vel Schismatica prauitas perseuerat, quæ ducit ad mortem*. Similia edocet Augustinus, & quidem ad eundem scopum, de Heretico loquens. *Constituamus* (ait) *aliquem castum, continentem, non auarum,*

S. Fulg. l. de fide ad Petr. cap. 38.

Idẽ c. 39

non idolis seruientem, hospitalitatem indigentibus ministrantem, non cuiusquam inimicum, non contentiosum: patientem, quietum, nullum æmulantem; nulli inuidentem, sobrium, frugalem, sed hæreticum: nulli vtique dubium est, propter hoc solum, quod hæreticus est, Regnum Dei non possessurum. His præmissis sit.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

In quo probatur Conclusio ex Similitudinibus Sacræ Scripturæ.

54 PRima igitur Similitudo desumitur ex Cant. 2. vbi Christiani Orthodoxi assimilantur lilio: Falsi verò, idest Hæretici, Schismatici, & Apostatæ cum malis comparantur spinis. *Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias.* Igitur inter Christianos promiscuos, multi erunt Reprobi, sicut multæ sunt spinæ: pauci Electi, quasi vnum lilium. Neque obstat, quod amica sponsi lilio comparata dicatur esse *inter Filias*; Nam per *Filias* non semper intelliguntur Fideles, & Orthodoxi: sed aliquando ipsi etiam Hæretici, & Iudæi: vndè Rupertus Abbas exponens præfata verba ait. *Nam Filiç, cum absolutè dicuntur, ferè numquam significationem bonam habent, vt ex illis: Filiç discurrerunt super murum; sed exasperauerunt &c. & alibi, Multç filiç congregauerunt diuitias. Itaque spinç, & filiç blasphemiç sunt Iudçorum, sectç Hereticorum.*

Cant. 2.

Rupert. Abbas hic

Gen. 49. 22.

Prouerb vlt.

Secunda

55 Secunda Similitudo habetur Exodi 12. Vbi ex Israelitis de Egypto egressis, cum sexcentis ferè millibus peditum, absque paruulis, ac mulieribus, non intrarunt terram promissionis, nisi duo dumtaxat, nempè Caleb, & Iosuè. Vndè Apostolus ait. *Nolo vos ignorare fratres: quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt: & omnes mare transierunt: & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eamdem escam spiritualem biberunt; sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto:* Vbi Expositores communiter dicunt, Terram promissam, fuisse figuram æternæ: desertum verò temporalis vitæ. In Hebræis baptizatis in mari, & in Christum venturum credentibus signatos fuisse omnes illos, qui post Christum in Ecclesia fuerunt, & sunt. In Pharaone, & suis Ægyptijs immersis, omnes reprobos Infideles. In Hebræis antè promissæ terræ ingressum prostratis, omnes reprobos ex ex Christianis: In Iosuè verò & Caleb, qui dictam Terrã intrarunt, omnes ex eisdẽ Christianis Electos. Ex quibus omnibus allegoricè infert Cornel. Christianorum saluandorum paucitatem, & multitudinẽ damnandorum. *Nam sicut* (inquit) *ex tot centenis millibus Hæbreorum soli Iosuè, & Caleb ingressi sunt terram promissam: ita ex tot centenis hominum millibus pauci sunt, qui saluantur, euntque ad Cœlum.* Porrò clarissimè liquet, ipsum, vel loqui de omnibus omninò hominibus fidelibus, & infidelibus, cum ipsemet in Exodum ex hebraica traditione, asserat, Israeli-

Exodi 12.

Deuter. 2.

1. Cor. 10.

Corne!. Num. c.7.v.30

tis ex

Exod. 12. 47.

tis ex Ægypto exeuntibus accessisse Egyptiorum vulgus innumerabile, qui eis adhærentes, vel ad Iudaismum conuersi comitari voluerunt. Præterquam quod in eo loco Num. 7. ad confirmandam suam illationem, adduxit visiones à nobis allatas, ad probandum, ex tota massa omnium omninò hominum longè plures damnari, quam saluari. Vel loqui de hominibus baptizatis, sed promiscuè sumptis, scilicet bonis, & malis, Schismaticis Apostatis, & hæreticis. Tum quia docet, cum Hæbreis commixtos fuisse Egyptios, & Proselitas. Tum quia post narratas visioness concludit hoc Epiphonemate. *Quam densi ergo flocci niuis in hyeme cadunt ex aere, tam densa hominum turba quotidiè descendit ad tartara.* Quod profectò verificari non potest de solis verè fidelibus Orthodoxis, qui in comparatione fidelium malorum, & Hæreticorum, Schismaticorum, & Apostatarum sunt adeò pauci, vt puer eos scribere valeat: vndè iurè appellantur *pusillus Grex*.

q. 2. §. 3.

56 Confirmatur amplius, Hæbreos in deserto prostratos significasse, vel omnes omninò homines, vel saltem baptizatos promiscuos; Nam Hebræi in Egypto existentes, ad exemplum Egyptiorum, quibus erant commixti, quamuis suum verum Deum colerent, hoc tamen faciebant more Samaritarum, vt ait Abulensis, & confirmat Suarez. Porrò Samaritani (vt notat Maldonatus) partim erant Iudæi, partim Gentiles: quia vnà cum Deo Iudæorum colebant Deos Assyriorum, à quibus prognati erant. Similiter

Abul. 9. 7. cap. 1. Exodi.

Suarez de relig. tom. 2. l. 1. c. 25.

Maldon in cap. 8. Ioan. v. 48.

ter Israelitæ in Egypto, Deum verum colebant, & etiam Egyptiorum Idola, immunditiasque adorabant. Sic clarè testatur Ezech. dicens. *Multiplicauit fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in Egypto.* Quem locum de cultu ab Israelitis in Egypto Idolis præstito interpretantur Hieron. & Theodor. Hinc Abulensis loc. cit. rationem reddens, quare Deus sic populum Hebræum vexari in Egypto permiserit. *Respondetur* (ait) *quod Hebræi tunc Idolorum cultui operam dabant, imitantes morem Egyptiorum: ideò illos, quos Magistros, ac præuios in scelere habuerunt, in irrogandis pænis tortores senserunt.* Adde quod Samaritæ Luc. 13. vocantur à Christo Galilæi: quia (vt notat Baron.) quamuis origine, & patria, Samaritani dicerentur: nihilominus secta, & hæresi, Galilæi appellabantur. Imò (vt docent Orig. Theophil. & Euthym.) Samaritanus idem erat apud Iudæos, quod Schismaticus, & Apostata: Samaritani enim à Iudæis fecerê Schismata, & templum sibi erexerunt in monte Garizim, quasi æmulum, & oppositum Templo Iudæorum Hierosolyma extructo. Erant igitur Iudæi prius in Egypto, posteà in deserto Idololatræ; quod probat Abulensis ex eo, quod etiam in deserto, absente Moyse, petierunt ab Aarone, vt faceret ipsis Deos: nam nisi Idolorum cultui assuefacti fuissent, non sic promptè, Moyse absente, Deos sibi præeuntes postulassent. Neque obstat, quod sap. cap. 10. v. 15. Iudæi adhuc in Egypto commorantes appellentur sancti, puri, & immaculati

4. Reg. 17.

Ezech. 23.

Hieron. & Theodor. hic

Abulēsis loc. cit.

57

Luc. 13. 1.

Baron. apud Cornel.

Orig. Theoph. et Euthymius.

culati

Sap. 10. 15.

culati. *Hęc* (sapientia) *populum iustum, & semen sine quęrela liberauit à Nationibus*: seu vt vertit Gręcus. *Populum inculpatum, irreprehensibilem, & omni culpa carentęm*: Nam licet inter eos multi fuerint mali, & Idololatriæ dediti; præcipua tamen, & sanior eorum pars erat bona, & veri Dei cultum, Orthodoxamque sententiam retinebat: & ideò respectiuè ad istos, Populus ille dicebatur sanctus, & immaculatus; sicut ob hanc rationem inter alias præcipuam, Ecclesia Catholica dicitur etiam pura, immaculata, & sancta; quamuis in ea pleriquæ sint mali: quia scilicet Orthodoxam doctrinam continet, quæ nos ad veri Dei cultum instruit, ac dirigit. Cum igitur Israelitæ, quorum corpora in deserto remanserunt prostrata, fuerint non fideles orthodoxi dumtaxat: sed fideles boni, & orthodoxi immixti, & permixti malis, Proselytis, Idololatris, & Schismaticis; ideò fit, vt significent non Christianos orthodoxos tantùm: sed Christianos promiscuè sumptos: ex quibus longè plures sunt, qui damnantur, quam qui saluantur: sicut longè plures fuerunt Hebræi, qui non intrarunt promissam terram, quam qui illam ingressi sunt.

Ecclesia dicitur sācta, ob doctrinā orthodoxā, quā cōtinet.

58 Tertia Similitudo habetur in duplici Apostolorum piscatione, altera, quam narrat Lucas cap. 5. v. 6. altera, quam refert Ioannes cap. 21. v. 6. In priori conclusa est piscium multitudo copiosa. In posteriori verò centum quinquaginta tres pisces, & non plures. In illa Dominus erat in Naui: in hac verò stabat in littore maris. Illa fuit ante Christi passionem:

Lucæ 5. 6.

Ioan. 21. 6.

nem: hæc post Christi resurrectionem: Vnde Nauis ante passionem secundum Guidonem significat præsentem Ecclesiam, in qua sunt Boni, & mali; Nauis verò post resurrectionem designat, secundum Augustinum, Ecclesiam illam bonorum in generali resurrectione, in qua erit littus, & terminus omnis amaritudinis: vt ibi ad littus educatur sagena, & exclusis malis eligantur boni in vasis suis. Ex his omnibus tale potest efformari argumentum. Prima piscium captura, quæ adeò copiosa fuit, vt & rete scinderetur, & impleta duo Nauigia mergerētur, significat Christianos promiscuos, quos nunc habet Ecclesia. Secunda verò, quæ post Christi resurrectionem ad deteram facta est, designat solummodò bonos, quos habebit æternaliter, completa in fine mundi mortuorum resurrectione. Sed in hac piscium captura numerus fuit certus, nempè centum quinquaginta triū: in illa verò fuit suprà numerum, quia copiosissima piscium multitudo. Ergo secundum hanc similitudinē, ex Christianis promiscuis pauci sunt, qui saluantur: quamplurimi qui damnantur: quia prædestinati, sunt numerus certus: Reprobi supranumerum. Vnde Augustinus serm. 154. de tempore ait. *Alius est ergo numerus: alij super numerum. Numerus est prędestinatorum, de quibus dixit Apostolus, Nouit Dominus, qui sunt eius. Super numerum autem Reprobi, de quibus Regius Vates, multiplicati sunt super numerum.* Sed clariùs hoc expressit Gregorius apud Maldonatum dicens. Pisces primæ piscationis significare Christianos promiscuos,

59

S. Aug. ser. 154. de temp.

S. Greg. apud Mald. in c. 21. Ioa. pag. 1875.

nempè Catholicos, & Hæreticos. En eius verba: *Illa ergo piſcatio, in qua ſpecialiter, in quam partem mitti rete debeat, non iubetur, præſentem Eccleſiàm deſignat, quæ bonos ſimul, ac malos colligit, nec eligit, quos trahit, quia quos eligere poſsit, ignorat. Hæc autem piſcatio poſt Domini reſurrectionem facta, in ſolam dexteram miſſa eſt, quia ad videndam claritatis eius gloriam ſola Electorum eius Eccleſia pertingit, quæ de ſiniſtro opere nil habebit. In illa piſcatione præ multitudine piſcium rete rumpitur, quia nunc ad confeſsionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipſam quoque Eccleſiam hæreſibus ſcindant. In iſta vero piſcatione, & multi piſces, & magni capiuntur, & rete non ſcinditur: quia Sancta electorum Eccleſia in continua Auctoris ſui pace requieſcens, nullis diſſentionibus dilaniatur.*

60 Quarta Similitudo habetur Matth. 3. v. 12. vbi Electi comparantur Tritico: reprobi verò paleis. **Cuius ventilabrum in manu ſua: & permundabit Aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.** Ventilator ſecundum communem expoſitionem, eſt Chriſtus Iudex: Ventilabrum eius Iudicium, in quo ſeparabit bonos a malis, ſicut ventilabro ſecernitur triticum à palea; Area eſt Eccleſia: Paleæ mali & falſi Chriſtiani, quos Chriſtus comburet igne gehennæ. Triticum iuſti, & ſancti, quos Chriſtus colliget in horreum ſuum, ideſt in regnum cælorum. Porrò quod nomine palearum intelligantur Chriſtiani mali, & promiſcui deducitur ex Auguſtino dicente. *Palea etiam funda-*

Matth. 3. 12.

S. Aug. de quæſt. Euang. ſecundũ Matth. q. 9.

men-

mentum ipsum cum frumento habet, radicemque communẽ. Nam etiam Apostatæ, Hæretici, & Schismatici antequam ab Ecclesia discederent, malè sentiendo de Christo, & fide: vel Ecclesiæ vnitatem scinderent, eius capiti obedientiam negando, habuerunt veluti paleæ cum frumento Catholicorum fundamentum, radicemque communem, scilicet Christi fidem. Et quamuis S.Pater Augustinus loc. cit. velit, hæreticos venire nomine Zizaniæ; quia *sicut Zizania oriuntur in terra frumenti, & intra frumentum crescunt; sic Hęretici de Ecclesia fidelium oriuntur, et inter fideles latent, et sub falso nomine Christiano crescunt*. Per hoc tamen non excludit, quod veniant etiam nomine paleæ, ob rationem supra assignatam. Adde, quod nomine paleæ de segete abiectæ intelliguntur etiam Schismatici: Vndè idem Augustinus distinguens ibidem à frumẽto Zizania, paleam, & corruptam spicam, siue aristam, subijcit. *Schismatici autem videntur spicis corruptis etiam similiores, vel paleis aristarum scissis, et de segete abiectis*. Idem de vera Religione cap. 7. *Schismatici* (inquit) *possunt assimilari spicis vacuis, de quibus scriptum est. Ventus corrumpit spicas: idest societas malorum: quia Schismaticos non facit diuersa fides; sed scissa societas communionis*. Ex quibus omnibus clarè patet ex Christianis promiscuis plures damnari, quam saluari: sicut plures sunt paleæ igni inextinguibili comburendæ, quam grana frumenti in horreum Regni Cælorum colligenda. nam *Non possumus negare* (subijcit ibidem Augustinus) *paleas esse malos, et tam plu-*

S. Aug. loc. cit.

Hæretici nõ solum sunt zizania sed etiã palea.

Pro paleis intelligũtur quoq; schismatici.

Aug. ib.

res, vt

res, vt inter eos prorſus boni non appareant: quomodo non apparent grana in area: nam quiſquis Aream videt, poteſt putare, quod ſola ſit palea.

61 Quinta Similitudo deſumitur ex illo Matth. 13. Vbi quatuor ponuntur Terræ, in quas ſemen verbi Dei cecidit. At tres ex illis incaſſum ſemen receperunt: & ſic figurant Reprobos; & vna dumtaxat, quæ dicta eſt *Terra bona*, recepit ſemen cum fructu; & ſignat electos. In quatuor igitur terras iactum eſt Euangelij ſemen: quia etiam Schiſmatici, & Hæretici, & Apoſtatæ, antequam vnitatem Eccleſiæ ſcinderent, & à fide catholica diſcederent, ſemen Euangelij receperunt. At ex his quatuor vna tantummodò eſt terra bona, nempè fideles Orthodoxi, qui cum gaudio, deſiderio, & cordis deuotione Verbum Dei ſuſcipiunt: & prædeſtinationem ad ſuum finem perducunt. Quod autem Chriſtus in hac parabola locutus ſit de Chriſtianis promiſcuis, non de Catholicis tantùm, patet ex eo, quod per viam, ſecus quam ſemen cecidit, Guido Carmelita pag. 183. col. 2. ex Auguſtino intelligit incredulos *Via enim* (inquit) *qua ad Deum itur ſecundum Auguſtinum eſt fides. Quia ergo iſti audiunt Verbum, videntur eſſe ſecus viam, ſcilicet fidem. Sed à via Chriſti, & veritate fidei deuiant: nec intra clauſuram agri Eccleſiæ ſemen ſeruant diuini Verbi in eis, qui abſque deuotionis cultura ipſum audierunt: nec verbo fidem adhibuerunt: vt credentes ſalui fierent, vt Lucas refert cap. 8. 12. vnde iſti primi ſunt Auditores increduli.* Per petrã deinde intelligit hereticos dicens pag. 377 col. 2.

Matth. 13.

Guido Carmelita ſuper quatuor unũ pag. 383 col. 2.

col. 2. *Cum indurantur hereticorum, & perfidorum corda obstinata malitia, & pertinacia criminosa, velut in petra in ipsis Verbum Dei radicari nequit, aut facere fructum.* Per terram spinis obsitam, intelligit malos fideles, in quibus diuitiarum sollicitudines Verbum Dei suffocant: & ideò subdit: *Ex nimia sollicitudine diuitiarum, qua Verbum Dei fructificat.* Tandem per *Terram bonam* intelligit bonos fideles, ideſt prædeſtinatos. *Terra bona* (inquit ex Remigio) *eſt fidelis electorum conſcientia, quæ verbum Dei cum gaudio, & deuotione ſuſcipit: & inter proſpera, & aduerſa fideliter conſeruans ad fructum vſque perducit.* En (proh dolor) quomodo ex Christianis promiſcuis tres pereunt partes, & vna ſaluatur.

Idē ibid. pag. 377. co.. 2.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

In qua rationibus, & Congruentijs probatur Concluſio.

PRobari poſſet primò Concluſio rationibus, & congruentijs in præcedenti queſtione, Paragrapho quinto allatis, quæ ad hanc concluſionem probandam poſſunt facillimè accommodari.

62 Probari poteſt Secundo veluti inductione, & diſtributione facta inter Europæ Regiones, in quibus Catholica Fides vigere videtur: Europa igitur, quæ inter quatuor Orbis plagas minima eſt, ſed nobiliſſima portio, diuiditur in populoſiſſimas Regiones, & Regna, Italiam nempè, Siciliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Hyberniam,

Inductio ex Paulo Zehentner.

niam, Daniam, Noruegiam, Sueciam, Poloniam, Lituaniam, Podoliam, Vngariam, Transyluaniam, Boemiam, & vtramque Germaniam, multis ac vastis terris diuitem, superiorem, & Inferiorem. Facto modo hoc calculo & distributa in Regionibus suis Europa: ipsisque Regionibus in alias, aliasque portiones diuisis: Dic mihi, quæso, quis status fuit Christianorum ab exordio nascentis Ecclesiæ in omnem, quam latè patet, Orbem dispersorum? Quis eorumdem posterioribus sæculis status? quis erit in postrema Mundi periodo? Profectò (si verum fateri velimus) in ipsa Ecclesiæ infantia, eam mortifero hæresis suæ toxico Arius ità infecit, vt innumeras Christianorum Animas per deuia falsorum Dogmatum traxerit in gehennam: Vndè Hieronymo teste, *Ingemiscens terrarum orbis, se Arianum esse vehementer miratus fuit*. Taceo de alijs quoque sectis, primis Ecclesiæ seculis per alios Hæresiarcas, Montanum, Donatum, Nestorium, Pelagium &c. disseminatis. Vix posteà adoleuit Ecclesia, quando Mahumetes Religione Christianus, nouæ factionis caput se erigens, & immortale odium contrà Christum, & Christicolas concipiens, ita perfidia sua, ac sacrilega superstitione Ecclesiam Càtholicam insecutus est, vt magna ex parte (proh dolor) eam labefactauerit, atque corruperit. Sed contrà portionem, quæ sana, & constans in fide orthodoxa permansit, quid mali, priore seculo, non est operata Dæmonis nequitia, & vafrities? Suscitauit Nouatores impios, & Pseudomagistros

S. Hier.

gistros

giſtros, Lutherum ſcilicet, & Caluinum cum ſuis aſſeclis ſcel eſtiſſimis, qui iam olim damnatas ab Eccleſia ſectas in lucem reuocantes, Vniuerſam penè Europam in varias hæreſes abduxerunt, ita, vt ex tota eius amplitudine, vix Italiam, ac Hiſpaniam à tali, ac tanta lue puram, & immunem inuenies: Nam ceteræ Europæ Regiones (& ſi Catholicæ) infinitis tamen ſcatent erroribus, & conflantur Hæreticis; vndè minimus nunc in hac quarta mundi parte eſt eorum numerus, qui orthodoxam profitentes fidem, Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſincerè obſequentes adhæreant; maximus verò eorum, qui vel cum animi pertinacia, vel ignorantia craſſa, & affectata errores obſtinatè ſuſtinent, in eiſque obdurato animo perſeuerant: ſæpe etiam erroribus impietatem iungentes, vitam ipſis beſtijs haud diſſimilem viuant. Adde nunc nouum illorum hominum chorum, qui inter ipſos Catholicos viuentes, ſolo Chriſtianorum nomine gloriantur, & reipſa ſunt Athei. Adde copiam Veneficorum, Sagarum, & Magorum, qui Chriſto abrenunciantes, cum dæmonibus fędus, & ſocietatem ineunt. Adde eos, qui numquam, vel rarò peccata ſua cum verò dolore confitentes ita perditè viuunt, vt nec Deum timeant, nec homines reuereantur. Denique adde magnum illorum Chriſtianorum numerum, quos toto Orbe Antichriſtus ſub finem mundi à fidei veritate, ad damnabiles hæreſum errores, & hinc ad Tartara adducet: & ſic veluti manu palpabis, ex Chriſtianis promiſcuè ſumptis defectu

fidei, ac vitiorum excessu multò plures damnari, quam saluari.

63 Probari potest tertiò rationibus peculiaribus ex Granado desumptis. Prima est, vt donum Prædestinationis magni fiat à Christianis: Nam videmus in naturalibus ea valdè vilescere, quæ omnibus peruia sunt: ea verò æstimari magis, quæ à paucis possidentur, vt gemmæ, Aurum, & alia pretiosa: vndè *Rarum est omne, quod magnum est* teste Sozimo Papa. Vt igitur Prædestinationis donum magis æstimaretur, debuit illud non multis, sed paucis concedi.

Sozimus Papa ep. 1.

64 Secunda est, vt Christiani ad currendum in stadio, & æternæ gloriæ brauium accipiendum in dies magis, magisque inflammentur: Palma enim, quæ vnica est, desideratur vehementius, eamque, vt reportent homines alacrius in stadio currunt, iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 9. *Vnus accipit brauium: sic currite, vt comprehendatis.*

1. Cor. 9.

65 Tertia est, vt magis innotescat peccati originalis malitia, quod causa est, vel occasio reprobationis multorum; Per ipsum enim Natura humana ad bona sensibilia diuinæ legi contraria valdè propendet: vndè maior Christianorum pars naturæ vitiatæ ductum sequitur, in eademque sequela vsque ad mortem perseuerans reprobatur. Quod verò peccatum originale sit vel occasio, vel causa reprobationis multorum: patet ex Augustino varijs in locis: sed præcipuè epist. 105. vbi ait. *Quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Et

S. Aug. ep. 105.

etiam

etiam ex D. Thoma dicente: *Electio Dei, qua vnum eligit, & alium reprobat, rationalis est: nec tamen oportet, quod ratio electionis sit meritum: sed in ipsa electione ratio est diuina Bonitas; ratio autem reprobationis est in hominibus peccatum originale, vt Augustinus dixit &c.* Hæ igitur sunt rationes, quæ possunt reddi ex parte hominis: ex parte verò Dei exclamandum est cum Apostolo: *O' Altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.*

D.Th. q.16.de veritat.ar.2. ad 9.

QVÆSTIO TERTIA PRINCEPS.

An ex adultis Fidelibus Orthodoxis inter se comparatis, plures sint, qui saluantur, quam qui damnantur.

66 NOn disserimus hic de Fidelibus adultis cũ infantibus immixtis, & permixtis: certum enim est, si inter Fideles computetur numerus paruulorum infrà septennium antè vsum rationis decedentium, plures esse, qui saluantur, quàm qui damnantur. Quod liquidò claret ex eo, quia numerus talium paruulorum penè adæquat numerum morientiũ Adultorũ, vt experiẽtia docet, & deducitur ex Ecclesiarum parochialium libris: vndè cum ex adultis multi procul dubio beatitudinem consequantur, hinc fit, vt si tales adulti aggregentur paruulorum collectioni, ex Fidelibus promiscuis multò plures sal-

Ex Fidelibus adultis, unà cum infantibus baptizatis ante septẽniũ decedentibus lõgè plures sunt, qui saluantur, quã qui damnantur.

saluentur, quam damnentur. Confirmatur: quia etiam infantes Hæreticorum filij pertinēt ad Ecclesiam fidelium, cum baptizentur in forma Ecclesiæ: nam licet peccent, qui eos fictè baptizant; ijdem tamen per illud baptisma sanctificantur. Ergo tales Infantes cum baptismo antè septennium decedentes, etiam saluantur. Ergo si maior est numerus saluandorum ex Fidelibus promiscuè sumptis, Infantibus scilicet, & adultis; longè maior erit, si his addantur Infantes Hæreticorum filij. Quod autem tales Infantes per baptisma sanctificentur, expresse docet Augustinus, dicens. *Spiritus quidem sanctus daturis fingentibus deerat iustificandis: sed accepturis creaentibus aderat abluendis per ineffabilem efficaciam potentiæ suæ; vtrumque valens facere, illos fugere, istos fouere: illos culpare; istos mundare*. Et mox. *Omnia Sacramenta cum obsint indignè tractantibus; prosunt tamen per eos dignè sumentibus*. Cardinem igitur, in quo tota sita est difficultas, & controuersia, reducimus ad solos fideles adultos inter se comparatos: & quærimus, An ex Catholicis orthodoxis adultis, qui sub Ecclesiæ obedientia viuunt, & in eiusdem gremio Sacramentis muniti moriuntur, plures sint qui saluantur, quam qui damnatur? Circa quam Controuersiam sit.

Saluantur etiā infantes hæreticorū baptizati in forma Ecclesiæ

S. Aug. l. 2. contrà Parmen. ca. 10. & 11.

* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

PARA-

PARAGRAPHVS PRIMVS.

In quo referuntur Sententiæ, quarum Tertia vt magis pia, & probabilior eligitur.

67 PRima Sententia sustinet de adultis fidelibus orthodoxis mediam partem saluari, mediam damnari. Ita Caietanus exponens parabolam de decem Virginibus, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ. *Parabola ista* (inquit) *tractat non de omnibus christianis (nam multorum extrinseca opera manifestè sunt mala) sed de illis tantùm, qui profitentur se studere factis ad continuum progreßum versus patriam cælestem.* Et mox in hæc erumpit verba. *Terribilis sententia, qua media pars tantum fidelium, quorum lucent tam bona opera, quam studia, ad obuiandum sponso prudens, ac per hoc saluanda describitur.* Hæc tamẽ opinio, vt potè quæ singularis est, asseclas non habet. Præterquamquod ex numero æquali, aut maiori, vel minori in hac, vel alijs similibus Parabolis, non potest, nisi per quamdam coniecturam, colligi, vel æqualis Electorum numerus, vel maior, vel minor: quia iuxtà Salmeronem prædicti numeri eò tantum spectant, vt probabilem, & magis verisimilem reddant parabolam: & ideò interdum numeri variantur: in præfata enim parabola quinque reijciuntur: in alia verò de discumbentibus in nuptijs, reijcitur vnus. Et in parabola seminãtis semen

Caiet. in cap. 25. Matth.

Salmer. tom. 7. tract. 38 n. 12.

ſemen, quod eſt Verbum Dei, in quatuor partes terræ mandatum, in vna dumtaxat protulit fructum Luc. c. 8. Vndè ingenioſè aduertit Abulenſis exponens parabolam de Virginibus, non diſtingui quinque fatuas, & quinque prudentes quaſi tot ſint Electi, quot Reprobi.

Abul. q. 14. in cap. 24. Matth.

68 Secunda Sententia negat ex adultis fidelibus plures ſaluari, quam damnari: imò vult à numero Reproborum longè excedi numerum Prædeſtinatorum. Ità Lyranus, Carthus, Maldonatus, Bellarm. Faſolus, Ruiz, Smiſingus, Drexellius, & Abulenſis, quos refert, & ſequitur Iulius Cæſar Recupitus tractatiuncula 2. cap. 3. qui mordicùs, & fuſius, quam cæteri omnes Theologi, hanc propugnat ſententiã, eamque multifariam, multiſque modis probare contendit, vt videbimus infrà. Item eam docet Cornel. à lapide comment. in epiſt. Iacobi v. 13. *Superexaltat miſericordia iudicium*. Paulus Zehentner in promontorio malæ ſpei lib. 1. §. 1. n. 15. & ſequentibus Gonet tract. de prædeſt. diſp. 4. digreſſione 2.

Lyran. carthuſ. Maldō. Bellar. Faſolus, Ruiz, Smiſing. Drexell. Abulen. Gonet. Cornel. Recupit. Zehentner Gonet.

69 Tertia ſententia piè affirmat, ex Fidelibus orthodoxis longè plures eſſe prædeſtinatos, quam reprobos: & conſequenter multos eſſe ſaluandos, paucos damnandos. Hanc docent Syluester in Roſa aurea tract. 2. in Euangelia ſeptuageſimæ, quem ſequitur Serra in p. 1. D. Th. tract. de prædeſt. Carthag. diſcurſu 10. de prædeſtinat. dub. penult. Granadus tom. 2. in p. p. tract. 12. diſp. 4. n. 10. Franciſcus de Chriſto in 1. d. 41. q. vlt. de reprobis, concluſione 3.

Syluest. Serra Carthagena, Granado, Frãc. de Chriſto,

Fran-

Franciſcus Suarez lib. 5. de prædeſtinat. c. 3. Lorinus in pſal. 138. v. 14., & nouiſſimè Ioannes Erardus Fullonius in commentarijs ad primum librum Machabæorum cap. 6. v. 54. & ex noſtris Carmelitis Ioan. Bapt. Lezzana loco paulò inferius citando, & Franciſcus Bonæ ſpei tom. 1. Theol. tract. 1. de Deo vno diſp. 18. de Reprobat. dub. 2. corollario 5. in fine.

Suarez. Lorinus Erardus Fullon. Lezzana. Franc. Bona ſpei.

70 Vbi aduertendum eſt, Franciſcum Suarium non includere expreſsè paruulos, vt perperam notat Recupitus: quamuis enim id videatur inſinuare: nihilominus poſteà ſe reſtringit ad ſolos Fideles adultos, & de his expreſſiſſimè dicit, plures ſaluari, quam damnari. Vt enim videre eſt apud ipſum loc. cit. loquitur de ijs, qui ſæpius in vita mortaliter peccant, & ſæpiùs poſteà per pęnitentiam reſurgunt: quique tandem in morte per Eccleſiæ Sacramenta ad iuſtificationem ſe præparant: & hi non ſunt niſi ſoli adulti; nam adulti, & non paruuli in vita ſæpè cadunt, & ſæpè reſurgunt, ac in obitu Sacramentis ſe muniunt. Adde, eumdem Suarium (teſte Fullonio loc. cit. pag. 258., col. 2. in medio) opinatum fuiſſe de decem millibus in Eccleſia poſt percepta Sacramenta morientibus, vix duo damnatum iri. Et ideò Suarij ſententiam amplectitur, & ſequitur Lezzana meus Carmelita tom. 1. in p. p. ſummæ D. Th. tract. 4. diſp. 12. Vir quidem doctrina, eruditione, ac pietate, Romana Curia, ac toto orbe celeberrimus, & inter ſacros huius æui Hiſtoricos, & Theologos nulli ſecun-

Suarez apud Fullon. intēdit, ex decē millib⁹ in Eccl. poſt percepta Sacramēta morientibus vix duos damnari.

Lezz. in curſu Theol. t. 1. tract. 4. diſp. 12. q. vlt. cōcluſ 3.

ſecundus, qui in omnibus, ſententias illas, quæ plus, aut veritatis, aut probabilitatis haberent, ſectatus eſt. Lezzana igitur loc.cit. quæſt. vlt. concluſione 3. credibilius exiſtimat, inter fideles, & Catholicos maiorem eſſe numerum prædeſtinatorum numero reproborum: non ſolum, quia magna illorum pars moritur in infantia cum ſola gratia baptiſmali (quod eſt miſcere infantes cum adultis) ſed etiam, quia maior pars fidelium moritur Sacramentis ſuſceptis (quod eſt loqui de ſolis adultis).

71 Præterquamquod, quatuor ex citatis Auctoribus pro ſecunda ſententia ad hanc tertiam vel propendent, vel ſaltem ab ea non diſſentiunt. Nam Dionyſ. Charthuſ. loc. à Recupito cit. loquitur de omnium hominum maſſa, non de fidelibus tantùm. Maldonatus verò, quamuis viſus ſit opinari, plures de ijs, qui vocati in conuiuium ingreſſi ſunt, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, reijciendos eſſe, quam detinendos: nihilominus locutus eſt non de ſolis fidelibus: ſed de Chriſtianis promiſcuis. Cæterum verba illa: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, expreſsè docet, intelligi de Iudæis, qui inuitati, noluerunt ad conuiuium venire. Nam cum ſibi obijeciſſet: *Cur ergo vnus tantùm eÿcitur, cum ex ÿs, qui in Conuiuium, ideſt in Eccleſiam ingrediuntur, non vnus tantum, ſed maior pars eÿciendi ſunt, ideſt condemnandi?* Sic quæſtionem reſoluit: *Non difficilè reſponderi poteſt, Chriſtum parabolam non contrà Gentiles, ſed contrà Iudæos propoſuiſſe, qui primo loco inuitati, non tantum venire noluerunt: ſed ſer-*

Carth. loquitur nõ de fidelibus tãtũ: ſed de maſſa omnium omninò hominũ.

Mald. loquitur de Chriſto promiſcuis: vel ſi de ſolis fidel. neq; à nobis diſſentit cũ dicat ex his nõ plures dãnari: ſed non omnes ſaluari.

uos etiam Regis, qui ipsos inuitabat contumelijs affectos, occiderunt: de illis ergo conclusit, multi sunt vocati: pauci verò electi; Idest ad fidem vocati sunt multi: sed electi ad gloriam sunt pauci. Insuper cum superiùs proposuerit difficultatem, quare cum ex ijs, qui vocati fuerunt vnus tantum eiectus sit, concludat Christus *Multi sunt vocati: pauci verò electi*? Primò afferens responsionem Augustini dicit. *Respondet D. Augustinus, illum vnum, qui eiectus fuit, omnium reproborum, qui multò plures, quam electi sunt, personam sustinuiße, ideò conclusisse Christum multi sunt vocati: pauci verò electi*. Et mox ex propria sententia subijcit. *verum potius existimo hanc conclusionem, non ad proxima verba sed ad totam superiorem parabolam esse referendam, in qua videmus, multos fuisse vocatos (Gentiles scilicet, & Iudæos) paucos veniße: & ex illis ipsis, qui venerunt non omnes electos esse*. Ex quibus omnibus patet, Maldonatum ab hac tertia Sententia non dissentire: cum non dicat ex illis ipsis, qui vocati ad Ecclesiæ conuiuium ingressi sunt, & consequenter fideles, paucos esse electos: sed non omnes electos esse.

Cornel. à lapide in varijs locis variè sẽtit: & quãuit l. cit. adhærens sẽtentia contraria: tamẽ in calce suę ratiocinationis inclinat in nostrã

172 Item Cornel. à lapide commentar. in Numeros c. 14. expresѐ docet ex omnibus omninò hominibus infidelibus scilicet, & fidelibus multos damnari, paucos saluari, iuxtà conclusionem primæ quæstionis à nobis positæ. Deindè in commentar. in c. 22. Matth. exponens illa verba. *Multi sunt vocati: pauci verò electi*, adhærens sententiæ Maldonati, nempè parabolam de nuptijs precipuè collimare

mare in Iudæos incredulos, qui inuitati noluerunt adire Conuiuium, dixit non omnes fideles saluari, & consequenter aliquos ex illis damnari: sed non statuit plures ex illis esse damnandos, quam saluandos. Tandem Commentar. in epist. Iacobi, quamuis adhæreat sententiæ negatiuæ, adductis pro ea varijs rationibus, quas posteà affert Recupitus diffusiori calamo, vt infrà videbimus: Nihilominus in calce suæ ratiocinationis inclinare videtur in hanc terciam sententiam affirmatiuam: Concludit enim sic. *Eædem rationes mihi persuadent: vt licet in nonnullis Oppidis, locis, populis bonæ indolis, & educationis, vbi scilicet insignes sunt Magistri, Pastores, Confessarij, Senatores, Gubernatores, qui assidue à puero populum in fide, & pietate erudiunt, nutriunt, & fouent plures saluari credam; tamen in multis alijs, vbi hæc desunt: vbi scilicet magna est ignorãtia, & incuria salutis, atque vbi indoles gentis peruersa, praua educatione, aut societate nutriuntur, plures damnari, quam saluari opinor, aut metuam*. Sibi igitur Cornel. pro certo suadet, ac credit plures saluari, vbi fideles à pueritia benè instruuntur, & educuntur; (& hoc profectò contingere pluribus locis, Ciuitatibus, Prouincijs, & Regnis, in quibus præcipuè receptum est Concilium Tridentinum, experientia ipsa docet) De fidelibus verò degentibus in locis, quibus insinuatæ conditiones desunt, non dicit Cornelius se credere; sed tantum vel opinari, vel metuere, quod plures damnentur, quam saluentur.

Deni-

73 Denique Paulus Zehentner, etsi loco cit. sustineat negatiuam Sententiam: nihilominus à numero 20. vsque ad 22. quibusdam cõditionibus suppositis, potius ad affirmatiuam propendet, quam ab ea discrepet. Numero enim 20. dicit sic. *Hinc fieri omninò potest, & solet, vt licet generationi inter fideles* Catholicos *(ob dictas supra rationes) maior sit numerus reproborum; tamen etiam quibusdam in locis, familijs, domibus, aulis, pagis, oppidis, vrbibus, prouincijs maior pars sit prædestinatorum, in quibus scilicet, & iuuentutis pia, ac laudabilis est institutio, & Pastorum vigilans cura, & politici regiminis secundum rectæ conscientiæ ordinem administratio.* Et numero 22. subijcit: *Itaque aio, fieri hodieque posse, imò, & solere; vt tametsi maior fidelium pars ex reprobis constet; tamen nihil impediat in communitate aliqua populo, regione vrbe, familia, domo plures saluari, vel omnes etiam iræ Diuinæ cataclysmo eximi, uel incendio infernali, si nimirum, & parentes bonam adolescentiæ promouerint educationem, & magistratus uterque causam Dei, Religionis, & conscientiæ susceperit in subditis legitimè regendis.*

Zehẽntner licet sit pro aduersarijs tamẽ, quibusdam præsuppositis cõditionibus à nobis non dissẽtit.

74 Equidem huic tertiæ sententiæ libentissimè adhæreo, eamque expansis vlnis amplector, vt potè probabiliorem, & magis piam. Sentio igitur ex Fidelibus adultis longè plures saluari, quam damnari: quia cum quodam recenti, sed pio, ac docto Theologo, sic omnino arbitror, Deum ex sua infinita misericordia, & munificentissima liberalitate, nec non intuitu meritorum Christi ex fidelibus plures saluare,

quam perdere: non enim vult mortem peccatorum ſed omnes ad pęnitentiam reuerti. Sentiat ſanè de Deo, aliter, qui voluerit: ego non ſentiam, niſi in Dei miſericordia, & miſerationibus iuxtà illud ſapientiæ 1. *Sentite de Domino in Bonitate.*

Sap. 1.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

In quo ſenſus Quæſtionis aperitur.

75 VT autem ſenſus quæſtionis innoteſcat, & manifeſtius appareat, quos fideles feriant auctoritates, & rationes, quæ adducuntur pro oppoſita ſententia, pręmittere libet, me hic non loqui de Fidelibus illis, qui nudo, vel ſolo Catholicorum nomine contenti, Eccleſiaſtica Sacramenta vel negligunt oſcitanter, vel ſacrilegè vſurpant, Verba Dei egrè audiunt, diuinas inſpirationes contemnunt, in rebus fidei iocantur, aliena bona iniquè poſſident, nec in morte reſtituunt. Dicam verbo, in quocumque flagitiorum genere, vel longo tempore perſeuerant, vel de illis numquam vero dolore, firmoque ab ijs abſtinendi propoſito, reſipiſcunt: ſed omnem vitæ ætatem in graui impietate conſumentes, tandem ex ſingulari Dei beneficientia confidunt, adhuc antè mortem per confeſſionem præteritæ ætatis ſcelera ſe abſterſuros, breuique pænitentia longa anteactæ vitæ crimina expiaturos. De his, inquam, Fidelibus non loquor: quia quamuis ex his non pauci ex mera

Non loquimur de fidelib. perditiſſimè viuẽtibus, ac pænitentiam ad mortẽ, vel ſenectam

Dei

Dei misericordia saluentur, vt infrà videbimus; nihilominus si regulariter loqui velimus, inter damnandos numerandi sunt: in eos enim collimant cum argumenta pro secunda sententia opposita deferenda: tum comminatio illa Dauidica psal. 15. *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus.* Vbi acriter Bernardus, acuens mellitum calamum sic scriptum reliquit. *Quid dissimulant homines in vita sua agere pœnitentiam, & extrema de Confessione præsumunt? Quomodo sub vnius horæ articulo, reuocari posse existimant omnia animæ membra, cuius concupiscentiæ, & desideria, per totum mundum sparsa sunt, & vbique terrarum, veluti quodam visco tenentur? Non dico (ait Dominus) quin & talium saluem aliquos; potens sum enim omnia in momento reuocare: sed non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, idest qui in sanguine perseuerant: donec multiplicatis infirmitatibus, deserantur a peccatis, antequam deserant ea: non magna talium conuenticula congregabo*. Fideles similes farinæ lugebat Paulus 2. Corinth. ij. n. 21. *Timeo ne cum venero, lugeam multos ex ijs, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam*. Qui enim suis peccatis immobiliter adhærent, thesaurizant sibi iram, nullo vmquam tempore exhauriendam; siquidem non puniuntur in medicinam, vt curentur: sed in vindictam, vt iam hinc æterna supplicia exordiantur. Idcircò S. Basilius epist. 3. ad Amphilochium perseuerantiam in malo appellat vulnus immedicabile. *Qui in malo* (inquit) *perseuerat, habet vulnus immedicabile*: quia quodammodo

Psal. 15.

S. Ber. serm. 38 inter paucos.

Posset quidem Deus perditissimè viuentes saluare, si vellet: regulariter tamen non saluat.

2. Cor. ij. n. 21.

S. Basil. ep. 3. ad Amphil

in hac

in hac vita statum damnatorum sortitur: Vt enim damnatus, nec à peccato resilit, nec medicinam suscipit; sic et ille, nec peccatum excludit, nec medicinam admittit: sed immedicabilis damnatur.

76 Vt autem apertè omnibus pateat quæstionis sensus, aduertendum est, nos hic loqui dumtaxat de jis, qui vel in bono magis, magisque proficiunt, de quibus dici potest cum regio vate psal. 83. n. 8. *Ibunt de virtute in virtutem*; vel qui nunc cadendo, nunc resurgendo vitam transigunt; & qui tandem per Ecclesiastica Sacramenta se ad iustificationem disponũt. Porrò huius generis homines maiorem fidelium partem componere ipsa experientia docet. Quod autem fideles primi generis, facilius salutem consequantur, vel ex eo constat, quia grauiores Dei offensas solerter vitare solent, ac semel admissas illicò emendare conantur: vndè non videntur eis impendi illa salutis pericula, quæ vt plurimum pænitentiæ cunctatores inuoluunt. Fideles verò secundi generis, qui quoties cadunt toties resurgunt, etiam salutis suæ bonam spem habent: quia potius sunt laudandi, quam deflendi iuxtà Chrysostomum hom. ij. in priorem ad Corinth. dicentem. *Non ita suppliciter peccator deflendus est, quam peccator, quem non pæniteat: qui enim postquam peccauerit, pęnitentiam agit, non lacrymis, sed laude dignus est: qui autem post peccatum, in eo impudens perseuerat, non tam in cadendo miser est, quam in iacendo post casum*. Vndè ipsemet Chrysost. hom. 8. in eãdem ad Corinth. hortatus eos, qui cadunt in peccatum,

Psal. 83.

Præsens quæstio procedit & loquitur de ijs vel qui eunt de virtute in virtutẽ, proficientes sẽper in bono; uel de ijs, qui post lapsum pænitentiã agunt: & cadẽdo, & resurgẽdo vitã trãsigũt, & ad mortem per Sacramenta præparãtur.

Crysost. hom. ij.

vt

vt ſurgant. *Non deſperemus* (inquit) *neque enim tam caſus grauis eſt, quam poſt caſum iacere, neque tam graue vulnus accipere, quam nolle acceptum curare.*

77 Fideles igitur, qui vel fragilitate naturæ, vel aliquando Voluntatis malitia cadunt: ſed celeriter crimina deteſtantes reſurgunt, toties ſolliciti ad reſurgendum, quoties proſtrati ſunt; & demum in morte Eccleſiaſticis Sacramentis ſe muniunt, profectò de ſua ſalute quàm optimè confidere, & ſpem bonam concipere poſſe, euidenter docet exemplum, quod habemus de Carolo milite, ſanctæ Birgittæ filio, Qui (vt infrà fuſius videbimus) cum coram Chriſto Iudice pro tribunali ſedente, à dæmonibus de quampluribus ſceleribus, & precipuè de impuris cogitationibus, & frequentatis inhoneſtis operibus accuſaretur, excuſationem à Iudice, abſolutionem, & gloriã meruit obtinere: tum quia quoties peccauit, toties reſipuit, propoſitum emendationis renouando, ac patrata delicta confitendo: tum quia in extrema vitæ periodo Eccleſiaſticis Sacramentis munitus, in omnibus Dei voluntatem exequi decreuit, lubenti animo Diuinæ ſe Voluntati confirmando. His igitur præmiſſis, & ſenſu quæſtionis explicato, ſit.

PARA-

PARAGRAPHVS TERTIVS.

In quo statuitur Conclusio, *eiusque probationes ex varijs Sacræ Scripturæ locis erutæ adducuntur*

78 VNica conclusio. Ex fidelibus adultis, qui sub Romanæ Ecclesiæ obedientia viuentes nunc cadendo, nunc resurgendo vitam transigũt, nec non in eius gremio morientes, Sacramentis se præparant, & disponunt, longè plures sunt prædestinati, qui saluantur, quam Reprobi, qui damnantur. Probatur ex varijs Scripturæ locis.

Gen. 22. v. 17.

79 Primus locus est Gen. 22. v. 17. *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas Cæli, & velut Arenam, quæ est in littore maris.* In his verbis per semen Abrahę significatur literaliter eius posteritas carnalis, sc. Iudæorum: allegoricè verò etiam spiritualis credentium, ac Christianorum, qui meritò dicuntur Abrahæ filij: tum quia eius fidem, pietatemque imitantur; tum quia Parentem habent Christum, qui filius Abrahæ secundum carnem est. Quod autem credentes, & Christiani comparati stellis, sint Electi, & prędestinati, habetur ex Augustino dicente. *Illa repetita comparatione cælestium stellarum, mihi promissa videtur posteritas cælesti fęlicitate sublimis.* Ex hoc igitur Scripturę loco tale potest efformari argumẽtũ. Numerus fidelium saluandorum comparatur numero stellarũ cęli. Sed stellę, prę multitudine ab hominibus

Fideles saluãdi quoad numerũ æquiparantur stellis cæli, & arenæ maris.

S. Aug. lib. 15 de Ciuit. Dei cap. 23.

nume-

merari, & metiri non possunt iuxtà illud Ieremiæ 33. *Sicut dinumerari non possunt stellę Cęli, & metiri arena maris*. Ergo neque præ multitudine numerari, & metiri possunt fideles saluandi.

80 Dices cum Recupito, Augustinum lib. 3. cōtra Cresconium cap. 37. per stellas bene intellexisse fideles saluandos: at verò per Arenam intellexisse fideles damnandos; Ex quo sequitur, quod, cum longè maior sit numerus arenarum, quam stellarum, longè maior est etiam numerus fidelium damnandorum, quam saluandorum.

Euasio Recupiti

Sed contrà: quia vel Augustinus ibi loquitur de Christianis promiscuis, & de his nos etiā concedimus plures damnari, quam saluari, vt probatum est quæstione secunda. Vel loquitur de solis fidelibus orthodoxis; & de his non statuit assertiuè, sed solum dubitatiuè, per arenas intelligi Reprobos; vtitur enim particula *Fortè* sic inquiens. *Fortè stellę signauerunt spirituales Christianos: maris autem arena carnales*. Sed dato, quod loquutus sit assertiuè, adhuc non officit, quod ipse per stellas intellexerit prædestinatos, & per arenam reprobos: Plus enim standum est consonantiæ vnius scripturæ cum alia, quam vnius sancti Patris expositioni. Quòd autem non solum per stellas, sed etiam per arenam intelligantur prædestinati saluandi, non reprobi damnandi constat ex consonantia Sripturarum. Habetur enim Ieremiæ 33. *Sicut dinumerari non possunt stellę Cęli, & metiri arena maris: sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & Leuitas*

Precluditur

Aug. ib.

Plus stādum est cōsonantiæ vnius scripturæ cum alia quā expositioni vnius S. Patris.

Ierem. 33.

seruos meos. Quibus verbis Propheta allegoricè signat per semen Dauid, Christum, atque adeò Fideles Christi vestigijs insistentes: & cum loquatur de Sacerdotibus, & Leuitis ministrantibus Deo, eiusque sacrificijs, & cultui sedulò assistentibus, non videtur posse per illos intelligere Christianos carnales, & reprobos: sed tantum spirituales, & electos. Qualis autem fuerit sanctitas Leuitarum exprimitur à Blessense sequentibus verbis. *Leuitici ordinis gradus non solum extraordinarias abdicat vanitates. Sed exterminat etiam naturales affectus: vt non præsumat quis in eo ministrare, nisi prius in ipso prorsus extincta sit affectio parentelæ: locutus est enim Dominus ad Moysen dicens Deuter. 33. Non seruiat mihi sacerdos, aut Leuita, nisi prius dixerit Patri suo, & Matri, Non noui vos.* Horum igitur Electorum numerum comparat Propheta numerositati innumerabili, non solum stellarum, sed etiam arenarum, quæ à superficie, vsque ad profundum conseruantur, & in quantitate adeò minima, vt ferè sit inuisibilis, conspissantur.

Petrus Blessensis.

82 Confirmatur primò hęc numerositas Electorum, & prædestinatorum fidelium, & quod per arenam etiam electi intelligantur: ex illo Psalm. 138. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Quæ verba Michael Ayguanus mei Ordinis Generalis; vulgò dictus Incognitus, sic discurrendo exponit. *Propheta ponit hic Amicorum Dei incomprehensibilem numerositatem &c. Et*

Ps. 138.

Nõ solũ per stellas, sed etiã per maris arenam intelliguntur electi.

Incognitus hic

expo-

exponitur de Apostolis, & Iustis per eos conuersis. Quamuis enim Apostoli numero essent pauci, quia duodecim; tamen per eos innumerabiles fideles sunt generati. Et hoc est, quod ait Christus, dinumerabo eos scilicet Apostolos, qui faciliter numerari poterunt; sed Nati per eos super arenam multiplicabuntur, quasi dicat: Erunt innumerabiles ad modum arenę. Quid clarius ad fauorem nostræ sententiæ?

Dices tum Recupito locum hunc non esse ad rem, cum ibi non sit sermo de solis electis: sed de fidelibus tum bonis, tum malis.

Euasio Recupiti

Sed contrà: quia illi dinumerati, & super arenam multiplicati dicuntur Amici Dei: sed Amici Dei sunt solum prædestinati, & electi: Ergo Propheta hic loquitur dumtaxat de prædestinatis, & electis, & de his dicit, esse innumerabiles ad modum arenæ.

Præclusio eiusdem.

83. Confirmatur secundo hęc innumerabilis numerositas electorum ex illo Apoc. 7. vbi Ioannes postquam audisset ab Angelo, numerum signatorum ex omni Tribu filiorum Israel ascendisse ad summam centum quadraginta quatuor millium, *Post hęc* (subijcit) ***Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, et populis, et linguis etc.*** Quasi diceret iuxtà communem Interpretum. Post hæc, nempè post recensitos Iudæos signatos, quos vtpotè paucos, scilicet vnam gentem dumtaxat iam numerare potui, & reperi 144. millia de illa; vidi deinceps ex Gentilibus initio Ecclesiæ post Iudæos conuersis, Turbam magnam, & ingentem,

Apoc. 7. 1.

quam dinumerare nemo poterat, vtpotè quæ erat ex omnibus Gentibus totius orbis collecta : quamuis enim Turba illa esset finita, imò pauca respectu pereuntium : vndè facile poterat ab Angelo numerari : tamen nullus hominum, atque adeò neque Ego Ioannes eam despiciens poteram numerare.

Apoc. 15.

84 Confirmatur tertiò ex illo Apoc. 15. *Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igne*. Vbi insinuatur, cælestis Hyerusalem Ciues, ideſt prædestinatos, & electos ad vitam æternam, stabili vestigio super mare vitreum gradi, vt per mare, in quo Aquarum guttæ, penè innumerabiles sunt, innumera eorum multitudo significetur. Quod expendens Andreas Archiep. Cesareæ. *Mare vitreum* (inquit) *eorum multitudinem qui salui fiunt, futuræque quietis puritatem, tum ipsorum quoque Sanctorum significare arbitramur : hi enim virtutum radijs ornati, instar Solis lucebant.*

Andr. Arch. Cesar. c.24 in Apoc. tom. 1. Bibliot. IV. PP.

Ps.90.7.

85 Confirmatur quarto ex psal.90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*. Quæ verba Incognitus noster pag. 612. col. 1. exponit de Christo, & suis fidelibus, qui Dęmones deijciunt, & vincunt eorum tentationibus resistendo. Dicit igitur primò, quod cum Christus Diàbolum in deserto vicit, ita Dæmonum potestatem eneruauit, vt etiam à suis fidelibus debellati succumberent; subdit posteà Christum duo latera habere, dextrum scilicet, ad quod collocabuntur in Iudicio prædestinati : & sinistrum, in quo, vt habetur Matth. 25. ponentur præsciti; & expendit, per latus dextrum prædestina-

Incogn. tus hic pag. 612 col. 1.

tos:

tos: per ſiniſtrum verò reprobatos ſignari; ſubijcit vlterius reprobatos quandoque eſſe in ſtatu gratiæ, ſicut aliquando fuit Iudas, & tunc de Dæmonibus victoriam referre; prædeſtinatos verò multò fortiùs, & pluries ipſos Dæmones ſuperare; tum quia frequẽtiùs ab ipſis infeſtantur: illos enim magis tentant Dæmones, quos vident meliores, vt dicit Greg. Tum etiam, quia Dæmones maximè tentant homines, cum morti appropinquant vt dicit idem Greg. Certum eſt enim, quod in morte prædeſtinati de Dęmonibus victoriam ſemper habent: præſciti verò numquam, & tandem his verbis concludit. *Et ſic multò plures Dæmones vincut prædeſtinati, quam præſciti: & hoc notans Pſalmiſta, poſtquam dixit, quod mille cadent à latere, ideſt præſciti: ſtatim ſubdit. Et decem millia à dextris tuis. Ponitur etiam hic numerus determinatus pro indeterminato, vt ſenſus ſit, multò plures Dæmones vincuntur à Prædeſtinatis, quam à Præſcitis.*

S. Greg. l. 4. moral. c. 14 & lib. 24 cap. 27.

Idẽ lib. 32. mor. c. 22.

Incogn. loc. cit.

86 Ex quibus duo notatu digna colligi poſſunt. Primum eſt, quod de fidelibus plures ſunt, qui ſaluantur, quam qui damnantur: nam longè maior eſt numerus decem millium, quam numerus millenarius. Cum igitur fideles prædeſtinati, & ſaluandi vincant à dextris Dęmonum decem millia: & mille dumtaxat reprobi à ſiniſtris ritè, & rectè infertur, fidelium Orthodoxorum longè maiorem partem ſaluari, quam damnari. Secundum eſt, quod in præfatis ſcripturæ locis numeroſitatem electorum exprimentibus, tum ex veteri, tum ex nouo Teſtamento erutis, redolet,

Duo corollaria notatu digna.

neſcio

nescio quid suaue, & amabile pro fidelibus saluandis, quod non redolet pro fidelibus damnandis: Nam in eis vel exprimitur, vel saltem insinuatur innumera fidelium prædestinatorum numerositas: cum nihil tale habeatur de numero reproborum; Vndè ex illis verisimilius apparet, Fidelium adultorum sub obedientia Romanæ Ecclesiæ viuentium, & morientium, quamplurimos esse, qui saluantur, paucos verò, qui damnantur.

Ex scripturis tã noui, quã veteris testamẽti exprimitur multiplicitas saluandorũ ex fidelibus.

87 Secundus locus eruitur ex parabola de Nuptijs, quæ habetur Matth. 22. *Tunc dixit Rex: ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores*. Vbi est sermo de vno illo, qui repertus à Rege sine veste nuptiali proijcitur à Conuiuio; & signat eos, qui habentes fidem, non animatam charitate, neque bonis operibus decoratam in die Iudicij à Christo condemnabuntur, vt dicit Diuus Hieronymus relatus à Guidone in expositione huius loci. *Si quis in tempore Iudicij inuentus fuerit sub nomine Christiano non habere vestimentum nuptiale, hoc est vestem supercælestis hominis, sed vestem pollutam, idest veteris hominis, hic statim corripitur, & ei dicitur: Amice, quomodo huc intrasti?* Cum igitur ex quamplurimis in Ecclesiæ conuiuio discumbentibus, vnus tantum proijciatur, clarè liquet, magnam fidelium adultorum multitudinem esse saluandam: paruam verò condemnandam; siquidem fideles, qui fidem nuptiali charitatis veste, sanctisque operibus ornarunt, & in conuiuio permanserunt, tot numero, & copia fuerẽ, vt

Matth. c. 22. v. 12. & 13

nuptia-

nuptiarum locum impleuerint; fideles vero, qui ſine veſte nuptiali ad nuptias intrarunt in arctum vnius contrahuntur, vt ex arcta hac collectione eorum paucitas inferatur, comparatiuè ad numeroſitatem ſaluandorum.

Dices cum Recupito in illis Nuptijs, ideſt in Eccleſia plures repertos eſſe non habentes veſtem nuptialem, quam habentes: quia ex contextu, & ex conſequentia, quam Chriſtus infert, apparet in illo vno includi multos: concludit enim parabolam dicens. *Multi ſunt vocati: pauci verò electi*. Confirmat hanc ſuam reſponſionem auctoritate ſancti Auguſtini, qui pſal. 61. mouens eamdem difficultatem *Impletæ* (inquit) *ſunt Nuptiæ diſcumbentium: Proiectus eſt inde ſolus vnus, & dicit: multi enim ſunt vocati: pauci verò electi: Cur non potius, omnes vocati, multi electi, vnus proiectus? Si diceret multi ſunt vocati, & plures electi, pauci verò reprobi: in paucis fortè intelligeremus veriſimilius vnum illum. Nunc verò dicit, quod Vnus proiectus eſt, & ſubdit: Multi enim ſunt vocati: pauci verò electi. Qui ſunt electi, niſi qui remanſerunt? Proiecto uno, electi remanſerunt. Quomodo proiecto vno de multis pauci electi, niſi quia in illo vno multi?* Ergo ex Auguſtino in illo vno figurati ſunt plures, reſpectu quorum Chriſtus ibi pronunciat, paucos eſſe electos; & ſic locum hunc adductum, non noſtræ, ſed ſuæ fauere ſententiæ.

Reſponſio Recupiti

S. Aug. in pſal. 61.

88 Sed contrà: quia nos etiam concedimus in illo vno proiecto figurari plures: ſed quod negamus, eſt, illos plures in vno proiecto ſignatos, eſſe tantum

Impugnatio eiuſd.

malos

malos fideles Orthodoxos: diximus enim non ſolum iſtos, ſed etiam infideles, vel ſaltem malos fideles, cum hæreticis permixtos ab illo vno proiecto ſignificari. Quod liquidò patet ex eodem Auguſtino ab ipſo Recupito adducto: ipſe enim immediatè priùs, quã verba in reſpõſione allegata proferret. *Quid autẽ* (dixerat) *illi diuerſi errores Inimici Chriſti, omnes tantùm dicẽdi ſunt? Nonnè, & vnus? Planè audeo, & vnũ dicere: quia vna Ciuitas, & vna Ciuitas: vnus populus, & vnus populus: Rex, et Rex. Quid eſt una Ciuitas, et una Ciuitas? Babylonia una: Hieruſalem una etc. Illa Rege diabolo: iſta Rege Chriſto.* Ex quibus verbis duo colligi poſſunt notatu maximè digna. Prius eſt, quod Auguſtinus loquitur non ſolum de malis Catholicis: ſed etiam de Hæreticis, vt infertur ex illis verbis, *Quid autem illi diuerſi errores Inimici Chriſti*: Hæretici enim ſunt inimici Chriſti, eius fidem, ſuis erroribus inquinatam profitentes. Ergo per Auguſtinum in illo vno proiecto, non ſolum mali Catholici: ſed hæretici quoque ſignantur, atque adeò, quod ipſe dicit contra nos non eſt: quia nos concedimus, Catholicorum cum Hæreticis permixtorum maiorem partem damnari, minorem ſaluari. Poſterius eſt, quod Auguſtinus duas conſtituit Ciuitates, duoſque populos in eis degentes: Babyloniam vnam ſub Rege Diabolo: Hieruſalem alteram ſub Rege Chriſto. Ergo Auguſtinus in illo vno proiecto, non ſolum ſignat Chriſtianos promiſcuos, ſcilicet malos Catholicos, & hæreticos: ſed etiam ipſos infideles cũ fidelibus immixtos:

Ex verbis Aug. duo colligũtur ſpeciali conſideratione digna.

alias

aliàs Infideles peculiarem constituerent populum, & tertiam Ciuitatem, in qua degerent, extra Hierusalem, & extra Babyloniam: & ità nec essent prædestinati, nec reprobi, quod quam maximum foret absurdum, ipse videat. Id autem, quod dicit, nempè, in Ecclesia plures repertos esse non habentes vestem nuptialem, quam habentes, verum est, si loquatur de Christianis promiscuè sumptis falsum de solis fidelibus inter se comparatis: ex his enim etiam multi sunt, qui decedunt cum fide sine charitate: sed pauci sunt relatiuè ad eos, qui cum fide, & charitate decedunt:

89 *Tertius locus erui potest* ex parabola ouium Matth. 18. & Lucæ 15. *Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis: nonnè relinquet nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit?* Vbi etiã dato, & admisso, quod Recupitus tamquam verum asserit (& de quo nos infrà videbimus, sit ne verum vel non) nempè comparationem currere inter numerum, & numerum: & consequenter cum per nonaginta nouem oues in deserto relictas, iuxtà communem sensum Patrum, intelligat Angelos, sicut per vnam erranté homines; infert indè similem proportionem habere homines cum Angelis, quam habet vna ouis ad nonaginta nouem; Nihilominus ex hoc ipso infero ego multitudinem fidelium saluandorum, quam ipse impugnat: & paucitaté damnandorũ, quam ipse propugnare conatur: quod sic ostendo. Quamuis dicta Parabola generatim explicetur de

Matth. 18. Luc. 15.

Ex centum ouibus vna tantùm errat.

Per oues 99 intelliguntur iusti: per centesimã pænitentes.

Angelis, & Hominibus: particulatim tamen, & genuinè quoad litteram applicatur, & explicatur de solis hominibus fidelibus, Iustis scilicet, & pænitentibus: & ità eam explicuit ipse Christus inquiens: *Dico enim vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pænitentiam agente, quam super nonaginta iustis, qui non indigent pænitentia.* Tunc sic. Comparatio in dicta Parabola per Recupitum currrit inter numerũ & numerum. Sed iuxtà ipsius Christi comparationem, per oues nonaginta nouem intelliguntur homines Iusti: & per vnam homines, peccatores quidem, sed pænitentes. Ergo similem proportionem habent homines Iusti cum peccatoribus pænitentibus, quam habet vna ouis ad nonaginta nouem. Ergo longè plures sunt homines fideles saluandi, quam damnandi: cum omnes homines errantes sint pars centesima totius numeri collecti ex iustis, & peccatoribus. Adde hic parabolam de decem drachmis, quæ habetur Luc. 15. Vbi meus Guido pro drachma intelligit animam: *Hæc drachma* (inquit) *Anima rationalis est, & per eam Homo ad imaginem Dei factus.* Vndè misticè sanctus Cyrillus noster, *Superiori parabola ouium* (ait) *Docebamur esse Creaturæ Dei, qui fecit nos, & cuius oues pascuæ sumus; nunc ostendimur ad imaginem, & similitudinem Dei facti: Drachmæ enim insculpta est Imago Regis.* Ex hac igitur parabola sic liceat argumentari. Decem Drachmæ sunt omnes fideles Animæ, Dei imagine, ac similitudine decoratæ: sed de ijs Animabus Nouem seruatæ sunt, & vna deperdita

Luca 15. v. 14

Guido Carm. l. cit. pag 617.

s. Cyrill. Alex. Carm.

Ex tribus dragm. vna deperditur, nouem saluantur.

dita: Ergo plures sunt Animæ fidelium, quæ saluantur, quam quæ damnantur: sicut plures sunt Nouem, quam Vnum.

90 *Quartus locus* sumitur ex Matth. 25. vbi proponitur Herus quidam, qui peregrè proficiscens vocatis tribus seruis suis *tradidit illis bona sua; namque vni dedit quinque talenta, alij autem duo; alij verò vnũ.* Et quia duo ex illis cum lucro negotia fecerunt, talentaque duplicia suo Domino reportarunt, vtrique dictum est. *Euge serue bone, & fidelis, qui super pauca fuisti fidelis: intra in gaudium Domini tui.* Tertius verò à dominico gaudio fuit exclusus: quia ob desidiam, & negligentiam abiens fodit in terram, ibique sui Domini pecuniam sepeliuit: & ideò de ipso dictum est: *Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores.* In duobus igitur prioribus seruis ad Domini gaudium introductis signantur fideles adulti prædestinati: in Tertio verò à dominico gaudio excluso, & in tenebras exteriores proiecto, figurantur fideles adulti reprobi. Ergo etiam hæc parabola insinuat, ex fidelibus adultis longè plures saluari, quam damnari: cum duos ad Beatitudinis gaudium Dominus introducat, vnumque tantummodo excludat. Adde parabolam, quæ habetur Lucæ 19. de viro quodam nobili, qui decem seruis dedit decem mnas: qui omnes (vno solummodo excepto) multiplicarunt acceptas mnas; easque multiplicatas proprio Domino restituerunt: vnde singuli ad proportionem lucri, condigna præmia assequuti sunt. Qui enim cum mna vna

Matth. 25. 14.

Ex tribus seruis, duo inuitantur ad gloriã: vnus excluditur.

Luc 19. 12.

Ex decem, qui habuerunt mnas. nouē assequuti sūt præmia: vnus nequaquā.

decem acquisiuit, decem Ciuitatum dominium impetrauit, meruitque audire: *Euge bone serue, qui in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem Ciuitates*. Item qui cum mna vna quinque fecit mnas dominium quinque Ciuitatum obtinuit: eique dictū est. *Et tu esto super quinque Ciuitates*: & sic de singulis alijs. Igitur siue hæc parabola sit eadem cum præfata Matthæi, sed diuersimodè repetita (vt acutè obseruat Cornel.) siuè sit omninò diuersa, vt cum Chrysostomo, & Euthymio censet Iansenius, & alij: semper redolet maioritatem numeri fidelium saluandorum: nec non minoritatem fidelium damnandorum. Aduertendum est hic nos attulisse pro corroboratione nostri asserti præfatas parabolas: quia etiam parabolis vtitur Aduersarius ad probandam suam conclusionem. Cæterùm iam diximus cum Salmerone num. 67. ex parabolis, quæ (vt constat) variæ sunt, non posse inferri, & formari iudicium certum de multitudine, seu paucitate saluandorum.

Ex parabolis nōpotest formari iudiciū certū de numero saluandorūvel damnādorum.

1. ad Thim. 4. 10.

91 *Sextus locus* habetur 1. ad Tim. 4. *In hoc enim laboramus, & maledicimur: quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium, & maximè Fidelium. Hoc præcipe, & doce*. In his verbis voluit docere Apostolus iuxtà expositionem Anselmi, & Theophilacti apud Cornel. hic, Deum, tamquam omnium Saluatorem, omnibus omninò hominibus Christum Redemptorem, & media, quibus saluari possint, exhibuisse, vel parasse. At tamquam præcipuum Saluatorem fidelium, hisce actu contulisse Fidem, spem, & Gra-

Ansel. & Theophil.

Deus Saluator est omniū, sed maximè fidelium.

& Gratiam, quæ ſunt maxima, & proxima ſalutis adiumenta. Vel iuxtà expoſitionem Chryſoſtomi, & Ambroſ. apud eumdem, Deum dici Saluatorem omnium hominum, quia eſt Seruator, & Conſeruator corporis, & Animæ, cuiuſque in præſenti vita: *Sed maximè Fidelium*: quia eos non tantum in præſenti: ſed etiam in futura vita ſeruabit, & ſaluabit. Ex quibus omnibus ſic poteſt confici argumentum. Deus ex ſua miſericordia, & intuitu meritorum Chriſti exhibet, & actu confert Fidelibus, non ſolum fidem, & ſpem, ſed etiam vberiora Gratiæ auxilia, quæ ad ſalutem proximè conducunt. Ergo ex ſua miſericordia, & intuitu meritorum Chriſti pleroſque eorum ſeruat, & ſaluat. Antecedens conſtat ex eo, quod Deus iuxtà D. Paulum, *eſt Saluator omnium, ſed maximè fidelium*. Conſequentia probatur: quia maior pars fidelium ſibi frequenter applicat, benèque vtitur auxilijs illis à Deo exhibitis, & collatis: quia maior fidelium pars (vt infrà videbimus) quamuis peccando ſæpè labatur, & in peccatum incidat: nihilominus ſæpè etiam per pænitentiam reſurgit: aliquando verò conteritur: pluries ſaltem atteritur, & attritioni exemologeſim coniungit, præcipuè in mortis articulo. Ergo Deus ex ſua miſericordia, & intuitu meritorum Chriſti pleroſque fidelium adultorum ſeruat, & ſaluat, cum ſit *Saluator omnium, & maximè fidelium*.

Chryſoſtom. & Ambr. apud Cornel.

92 Confirmatur primò, quia maior fidelium pars non ſolum pluries in vita, ſed etiam in mortis arti-

articulo elicit actus fidei, & spei: protestatur enim se credere in Deum, & in eius misericordia confidere: sed actus fidei, & spei eliciti ab homine etiam peccatore sunt meritorij, si minus de condigno, saltem de congruo: quia de congruo merentur auxilia ad salutem proximè conducentia: quibus tum in vita, tum in fine vitæ benè vtentes fideles, aliquando conteruntur, vel saltem atteruntur, suaque peccata confitentur: & sic per Sacramenta præparati, gratiã obtinent sanctificantem, in qua morientes saluantur. Ergo maior Catholicorum fidelium pars, cum ad minus in morte fidei, & spei actus eliciat, per eos, ex cõgruitate, impetrat à Deo (qui dicitur, & est præcipuus eorum Saluator) auxilia opportuna, quibus verè de peccatis doleat, & saluetur.

Actus Fidei, & Spei sũt meritorij de congruo.

93 Confirmatur secundò, magis ex quadam collecta, qua sancta Mater Ecclesia morientes fideles Deo commendat hisce verbis: *Lætifica Domine animam eius in conspectu tuo: & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & ebrietatum, quas suscitauit furor, seu feruor mali desiderij; licet enim peccauerit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non negauit, sed credidit: & Zelum Dei in se habuit: & Deum, qui fecit omnia adorauit*. Ecclesia igitur Deo commendat fideles morientes, vt eorum misereatur, eosque saluet; Sed vndè mouetur Ecclesia ad sic orandum? certè ex eo, quod licet morientes peccauerint, Deum tamen non negarunt, imo fidem seruantes, eum fideliter, tamquam Verum Deum adorauerunt. At

Ecclesia in collecta pro fidelib. morientibus.

hæc verba non proferret Ecclesia, nisi piè crederet, maiorem fidelium partem in exstrema vitæ periodo fidei protestationem, vel per se, vel per Sacerdotes facere, fideique actum elicere, per quem de congruo merentur auxilia ad pænitentiam, conuersionemque perfectam proximè conducentia: Eò igitur collimat talis Ecclesiæ deprecatoria commendatio, vt piam credulitatem, quam ipsa habet de fidelium salute, propalet: dicere enim, quod licet morientes peccauerint, non tamen Deum negarunt, sed fidē eius seruarunt, idem est, ac si diceret: Verùm quidem est, ò mi Deus, quod fideles morientes sæpiùs peccando, dum viuerent, te offenderunt: sed non minus verum est, quod te numquam negarunt, imò Fidem inter peccata seruantes, te Deum verum adorarunt: intuitu igitut seruatæ fidei firmiter spero, & piè mihi persuadeo, Te eis, si minus de condigno saltem de congruo, gratiam efficacem, vt de suis peccatis doleant, collaturum, eosque per Sacramenta præparatos, ac per gratiam iustificatos misericorditer saluaturum.

Maior fideliū pars, tū in vita tum in morte elicit actus Fidei, & spei, per quos meretur de congruo vberiora auxilia vsq; ad iustificationem.

94 Adde quod eademmet Ecclesia in alia quadam collecta pro fidelibus iam defunctis, ferè eadē verba repetens concludit: *Licet enim peccauerit, te tamen non negauit: sed signo Fidei insignitus, te qui omnia & eum inter omnia fecisti, fideliter adorauit.* Hic ego peto ab Ecclesia, quid ipsa per talem deprecatoriam commendationem intendat? Forsan, quod fideles iam in peccatis mortuos Deus saluos faciat intuitu

Ecclef. in collecta pro mortuis

solius

solius fidei, quam inter peccata seruauerunt? Absit: benè enim scit ipsa doctrinam Iacobi Apostoli dicentis, *Fidem sine operibus mortuam esse*: imò cum sit veritatis magistra, ipsamet docet, Fidem charitate nudatam, & nullis bonis operibus decoratam, fidelibus in suis peccatis voluntariè morientibus, nevtiquam ad salutem prodesse. Forsan, quod Deus, fideles iam à suis culpis absolutos in morte, intuitu fidei inter patrata delicta seruatæ, liberet de temporalibus Purgatorij supplicijs? Facilè hic esse poterit Ecclesiæ sensus. Admisso igitur, quod hoc intendat Ecclesia, Iterum peto. Qui nam sunt illi fideles, qui post mortem in ergastulo Purgatorij clauduntur? Illi profectò sunt, qui ex hac vita à delictis absoluti quoad culpam discedunt, non tamen quoad pænam: qui enim cum lethali peccato diem claudunt extremum in tenebras exteriores, nempè in tartareum carcerem proijciuntur. Cum igitur Ecclesia Deum in hac secunda collecta deprecetur, vt fideles iam mortuos, à peccatis, quoad culpam absolutos, à pænis Purgatorij liberet, piè credula, & moraliter certa supponit, eos in mortis articulo, perfectæ conuersionis gratiam, intuitu seruatæ fidei de congruo meruisse, eamque tum ex liberali Dei bonitate, tum intuitu meritorum Christi fęliciter obtinuisse: & sic saluatos, & à supplicijs Infernalibus exemptos fuisse. Ex hoc igitur Apostoli loco probabilissimè, ac rectè inferre possumus maioritatem numeri fidelium saluandorum, quod sic ostendo. Duo sunt,

Orat Ecclesia vt defuncti fideles à pęnis purgatorij soluãtur

sunt,

ſunt, quæ imponit Apoſtolus diſcipulo ſuo Timotheo. Primum eſt, vt præcipiat: ſecundum verò, vt doceat: poſtquam enim dixit: *In hoc laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum viuum, qui eſt Saluator omnium, & maximè fidelium*: concludit dicens: *Hoc pręcipe, & doce*. Sed quid præcipere debebat, & quid docere Timotheus ex Apoſtoli præſcripto? Debebat quidem fidelibus præcipere, vt firmiter ſperarent in Domino, vt potè omnium, ſed maximè ipſorum Saluatore, non obſtantibus maledictionibus, & laboribus, eis ob talem ſpem ab infidelibus infligendis. Quod autem intentum Apoſtoli fuerit, vt Timotheus fidelibus præciperet in Deo viuo ſperare, clarè liquet ex eo, quod inter alia præcepta, quæ Timotheus ex præſcripto Apoſtoli dare debebat, erat ſpes: *Præcipe* (inquit) *diuitibus huius ſæculi non ſperare in incerto diuitiarum*: *ſed in Deo viuo*. Hanc igitur ſpem præcipere tenebatur Timotheus, nempè, vt fideles firmiter ſperarent in Domino, quippe qui non ſolum in præſenti vita, vt omnes reliquos homines: ſed etiam in futura, quoad corpus, & Animam, erat ipſos ſaluaturus, vt potè omnium, ſed ipſorum maximè Saluator. Id tandem quod docere ex pauli præſcripto Timotheus tenebatur, erat, quod qui ex ipſis, vel in vita, vel ſaltem in morte Fidei, & Spei actus eliceret, foret de cōgruo ex Dei miſericordia impetraturus auxilia vberiora, vt verè de ſuis criminibus doleret, & ſic iuſtificatus ſaluaretur. Rectè igitur ex præfato loco Pauli inferimus maiorē

Præceptū Apoſtoli eſt, ut ſperemus in Deo viuo.

fidelium adultorum partem ſaluari, cum maior fidelium pars non ſolum in mortis articulo, ſed etiam per omnem fere vitam in Deum credat, & ſperet, actuſque fidei, & ſpei, & viuens, & moriens eliciat.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

In quo veritas Concluſionis Sanctorum PP. auctoritatibus fulcitur.

S. Greg. hom. 34. in Euãg.

95 P*Rima Auctoritas ſit* magni Gregorij dicentis. *Suprema illa Ciuitas, et Angelis, et hominibus conſtat, ad quam tantum credimus humanum Genus aſcendere, quantos illic contigit electos Angelos remanſiſſe.* Ex quibus verbis clarè infertur, ſaltem ex fidelibus Chriſtianis plures ſaluari, quam damnari: nam vt docet D. Thom. plures fuerunt Angeli, qui permanſerunt in gratia, & ſalui facti ſunt, quam qui damnationi fuerunt obnoxij. Cum igitur per D. Gregoriũ tot ex hominibus ſaluantur, quot ex Angelis permanſerunt: intendit ipſe inter homines, ſaltem ex fidelibus adultis plures eſſe ſaluandos, quam damnandos.

D.Th.1 p. q.63. art.9. in Corpore

Plures fuerunt Angeli ſaluati, quã dãnati.

Reſpondet primo Recupitus. Gregorium in dicto loco non ſentire de multitudine Angelorum id, quod poſteà ſenſit D. Thomas, nimirum excedi ab ea incomparabiliter numerum omnium entium materialium.

Recup. l. cit. c. vlt. pag. 91.

Prima Recup. euaſio.

96 Sed contrà quia parum refert, non ſenſiſſe Grego-

Gregorium de multitudine Angelorum id, quod postea sensit D. Thomas: vtriusque enim opinio est incerta coniectura, quamuis probabilis. quid enim certi potest de hac re definiri? profectò nihil, vt sapienter docuerunt Beccanus, & Amicus. Cum enim tota res pendeat à diuina voluntate, hoc nobis, non nisi per reuelationem innotescit: per reuelationem autem non habemus, nisi quod Angeli sint in maximo numero, vt colligitur ex Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei: et decies millia centena millium assistebant ei*. Vbi Hieronymus. *Non quo iste ministrorum Dei numerus definitus sit* (inquit) *sed quo maiorem multitudinem humanus sermo explicare nequiuerit*. Cæterum, an Angeli sint plures, an æquè multi, an pauciores, quam homines incertum omninò est, nec Ratio naturalis certum eorum numerum attingere potest.

Præclusio eiusdem.

Beccanus de Angel. q. 4. Amicus to. 2. disp. 3. sect. 7. in fine. Dan. 7.

S. Hier.

Incertũ est, an Angeli sint plures, an æquè multi, an pauciores, quã homines.

97 Respondet secundo, quod si hoc sensit Gregorius, ex eius testimonio colligi oppositum, nempè multò maiorem partem Angelorum esse damnatam, quam saluatam: & sic illis, qui remanserunt, posse coæquari numerum hominum saluandorum. Cœterum hoc dici non posse, patet ex Matth. 18. vbi dicit Christus, quæsisse ouem, quæ perierat relictis nonaginta nouem in deserto: per quas intelliguntur iuxtà communem sensum, Angeli: sicut per vnam ouem homines: & sic similem proportionem habent homines cum Angelis, quam habet vna ouis ad nonaginta nouem; itàut omnes homines sint pars

Secũda euasio.

centésima totius numeri collecti ex Angelis, & hominibus: Idem etiam constat ex eo, quod singulis hominibus assignantur singuli Angeli postremi Chori, ijque ex communi assertione, ità dantur singuli singulis, vt idem Angelus non detur pluribus. Vndè fit, vt Angeli Beati postremi Chori, saltē adęquēt omnes homines, qui fuerunt, qui sunt, qui erunt. Non possunt igitur tot esse homines beandi, quot sūt Angeli, qui remāserūt quia nō soli Angeli postremi chori remanserūt: sed pręter eos octo alij Chori, quorū vnusquisq; vt perfectione, ità & numero excedit postremū.

Eiusdē explosio. 98 Sed contrà quia verè D. Gregorius videtur sensisse, Angelos saluatos, hominibus esse pauciores, quam sententiam sequutus est posteà Gulielmus; vterque enim affirmat, tot homines esse saluandos, quot sunt Angeli in cælo: vt Ecclesia triumphans constet ex duabus partibus æqualibus, & verum sit illud Matth. *Erunt sicut Angeli Dei*, scilicet in numero. Neque oppositum conuincitur ex parabola ouis centesimæ; Tum quia vt diximus suprà num. 90. parabola particulatim, & genuinè intelligitur de iustis, & pænitentibus. Tum quia in Parabolis finis, & scopus spectandus est: vndè fit, vt quæ ad scopum pertinent, sint partes parabolæ necessariò applicandæ rebus per illam significatis: quæ verò ad scopum nō pertinēt, sint tantum Emblemata, & Ornamenta Parabolæ, vt docent cum Origine S. August. & Chrysostom. his verbis: *In parabolis non oportet nimia cura singulis verbis perangi: sed cum quid per parabolam inten-*

Guliel. Paris. l. 2. de vniuerso.

Matth. 2. v. 30.

Angeli saluati sūt pauciores, quā homines.

In parabolis finis, & scopus attēdēdus est.

Orig. S. Aug. l. 16. de ciu. Dei. S. Chrysost. h. 65

dat Dominus, didicerimus indè, vtilitate collecta, nihil vlterius, anxio conatu, inuestigandum est. Hinc optimè S. Basilius: *Sanè* (ait) *quæ afferuntur similitudines, nequaquam esse omninò singulis earum rerum, àd quas allatæ sunt, partibus respondentes: sed illud agunt, vt mentẽ ad id, de quo agitur argumentum dirigant.* Porrò scopus & finis præfatæ parabolæ, siue id, in quo Christus ponit, & explicat comparationem (vt rectè notat Cornel. in c. 18. Matth.) non est, quod sicut oues nonaginta nouem sunt plures vna: ità Angeli sint plures hominibus, vt placet Recupito; sed scopus est hic: quod sicut Pastor centum ouium, si vel vna ex eis errauerit, relictis nonaginta nouem, vadit, & quærit illam, vt eam incolumem ad ouile reducat. Sic Christus Pastor Angelorum, & Hominum, relinquens in cælo Angelos Deo fruentes, qui numquam peccauerunt, descendit in terram factus Homo, vt ouem centesimam, quæ errauerat, nempè totum Genus humanum, quod in Adamo peccauerat, redimeret, & in vitam æternæ salutis reduceret. Et ità exponitur Parabola à P.P. apud Cornel. Adde, quod quamuis vetustissimi Patres à Cornel. relati per oues nonaginta nouem intellexerint Angelos bonos, & per centesimam homines; Nihilominus Maldonatus (quem pro sua sententia iam adduxit Recupitus) in expositione huius parabolæ, vult comparationem currere, non inter Angelos, & Homines: sed inter solos Homines: En eius verba: *Sed dubium non est, quin de solis hominibus Christus loquatur, &c.* Sensus igitur

S. Basil. in reg. breuior: interrogat. 55.

Hilar. Ansel. Gregor: Cyrill. Hieron. Ambr. Irenaus Orig. Theoph. & alij plures.

99

Mald. in expositione parabola ouis centesimæ existimat, comparationẽ currere,

nō inter Angelos & homines ſed inter ſolos homines.

igitur eſt, non equidem Chriſtum reliquiſſe nonaginta nouem oues, quæ non errauerunt, vt vnam, quæ ſola errauerat, quæreret: ſed tanti vel vnius hominis ſalutem facere Chriſtum, vt ſi ſolummodo centum eſſent homines, quorum dumtaxat vnus errauiſſet, nonagintanouem relicturus eſſet, vt illam vnam quæreret; quemadmodum Boni Paſtores facere ſolent. Si igitur Comparatio fit inter ſolos homines, vt ſolidè Maldonatus intendit: ex hac parabola rectè infertur, ex fidelibus adultis plures ſaluari, quam damnari, vt ſuprà num. 90. probatum eſt.

100 Neque huic maiori ſaluandorum numeroſitati officit ſecunda ratio à Recupito adducta: nempè, quod ità deſtinantur ſinguli Angeli ſingulis hominibus ad cuſtodiam, vt idem Angelus non detur pluribus. Nam totus eius diſcurſus incerto nititur fundamento. Incertum enim eſt, an idem Angelus, qui vnius homints cuſtos fuit, eo defuncto non fiat cuſtos alterius. Profectò nos non ambigimus, imò vltrò fatemur, & aſſerimus, quod ſi Angeli infimæ claſſis poſtremæ Hierarchiæ, ex qua communiter deſtinantur ad hominum cuſtodiam, non ſuperantur ab omnibus hominibus, qui à principio mundi, vſque ad diem Iudicij futuri ſunt, probabilius eſt, ſingulos homines ſingulos habere Angelos ad ſui cuſtodiam ſibi deputatos: nec cuſtodes præcedentium fieri cuſtodes ſubſequentium: hoc enim cæleſtis Regis munificentiam magis commendat. Nihiloſecius tamen ſi Angeli ab hominibus ſuperentur, vt inferri videtur

Incertū eſt, an Angeli cuſtodes hominum præcedētiū ſucceſsiuè fiant cuſtodes ſubſequentium.

ex

ex sententia Gregorij, necessariò dicendum erit, custodes præcedentium, successiuè fieri custodes hominum subsequentium: & hoc probabile existimat: Suarez tract. de Angelis & idem videtur supponere Origenes qui ait. *Vnusquisque Angelorum in consummatione sæculi aderit in Iudicio educens eos secum, quibus præfuit, quos instruxit.* Imò Magister id expresse docet his verbis. *Ideoque dici oportet, vnum, eumdemque Angelum bonum, vel malum pluribus hominibus deputari ad custodiam, vel exercitium, siue eodem tempore, siue diuersis temporibus.* Et post pauca subdit. *Cæterum, siue ita sit, siue non, non est dubitandum, vnumquemque habere Angelum sibi deputatum, siue pluribus simul destinatus sit, siue vni singulariter. Nec est mirandum, vnum Angelum pluribus hominibus ad custodiam deputari, cum vni Hominum plurium custodia deputetur: ità vt eorum quisque suum dicatur habere Dominum, vel Episcopum, vel Abbatem.*

Id tamē probabile existimat Suarez de Ang. l. 6. c 17. n. 2.

Orig. ho. 2. in Numer.

Magist. l. 2. d. 2. docet vnū Angelū pluribus hominibus ad custodiā deputari.

101 Secunda auctoritas sit Ioannis Damasceni in serm. de his, qui in fide hinc migrarunt &c. Vbi *Iam hoc* (inquit) *Quisquis es, qui dicta nostra in dubium reuocas, considera quod, qui vel parum de fermento virtutum possederit, & tempus non habuerit, vt ex eo panem faceret, et voluerit quidem: licet vel ob desidiam, vel negligentiam, vel fragilitatem, vel quotidianam procrastinationem nequiuerit, præterque spem inopinata morte hinc abreptus fuerit, non appellabit à iusto* Iudice, *et Domino etc.* Per quæ verba vult Damascenus per fidelium suffragia pro mortuis oblata saluari omnes illos, qui dum viue-

S. Io. damasc. serm. de his, qui in fide hinc migrarunt & sāctis operationibus, & uiuorū beneficijs multum iuuātur.

viuerent, aliquid virtutis habuere : quamuis parum fuerit, nec ad perfectionem peruenerit ob vitæ fragilitatem, seu negligentiam : ac per consequens neminem alium esse defunctorum, qui nequeat per suffragia liberari, & beatitudinem consequi, nisi qui totam vitam in peccatis duxerit, nullam omninò conscientiæ curam gerens. Vndè ex Damasceni doctrina inferre possumus, eos omnes saluari, qui saltem inceperunt per Charitatis gradus ambulare, nempè quorum principale studium fuit, detestari, dolere, & propositum facere recedendi à peccato illudque iterum non committendi: imò resistendi concupiscentijs eius, quæ in contrarium charitatis mouent vt loquitur D. Th. Hi enim fideles incipientes, statim ac in charitate sunt, incipiunt proficere, & vel parum de fermento virtutum possidere: & quamuis non confecerint panem, idest in statum proficientiũ, vel perfectorum non peruenerint ob aliquam ex caussis ab ipso Damasceno assignatis; nihilominus proficere voluerũt: & sic ipsũ voluisse profectũ potuit ad salutẽ prodesse: satis enĩ fuit pro acquisitione virtutũ, eas acquirendi voluntas. Porrò Cum maior Fidelium portio in statu incipientium decedat : sequitur ex Damasceno maiorem fidelium partẽ saluari, ac post mortem capacem reddi, vt beneficis viuorum suffragijs adiuuetur, quod ipse in præfato sermone pro viribus probare nitebatur. Hæc Damasceni Auctoritas itá aduersarios torquet, vt ad eam soluendam quo se vertant, nescire videantur : Vndè

D.Th.2. 2. q. 24. art. 9. in corp.

Resp.

102 Respondet primò Recupitus ex hoc testimonio Damasceni non probari intentum: quia dicit tantùm *saluari eos, qui non habuerunt virtutes perfectas ob desidiam, negligentiam, frágilitatem &c.* Et hoc dicit esse potius pro ipso, quam contrà ipsum: quia Damascenus non dicit saluari eos, qui vitijs indulserunt, sed eos, qui virtutes perfectas non habuerunt: addendo, quod voluerint, sed ob desidiam nequiuerint. Qui viuendi modus restringitur ad eos, qui ad perfectionẽ aspirant, sed negligenter.

Respōsio Recup

103 Sed Contrà: quia etiam ij, qui vitijs aliquando indulgent, & peccata committunt: si posteà ea detestentur, & peccata confitentur, adhuc dicuntur habere, vel parum de fermento virtutis, & possidere virtutes, & si non perfectè: & hoc eis sufficit per Damascenum, ad assequendam salutem: sic enim in statu incipientium collocati voluerunt ire de virtute in virtutem, charitatemque per augmentum roborare, quod est voluisse proficere, ac virtutum panem conficere, idest virtutes in gradu perfecto possidere: quamuis eas non possederint, vel ob desidiæ, negligentiæ, fragilitatis, seu quotidianæ procrastinationis mendas: vel ob temporis defectum, quia morte extemporanea præuenti fuerint. Vult igitur Damascenus, Fideles in statu incipientium viuentes ferè omnes saluari. Tunc sic. Sed Fideles perfecti sũt pauci, proficientes sunt plures: Incipientes innumerabiles, vt videbimus infrà in solutione argumentorum ex Sacræ Scripturæ figura septima erutorum:

Impugnatur.

M Ergo

Ergo per Damaſcenum, innumerabiles ſunt ex fidelibus, qui ſaluantur. Hanc autem innumeram ſaluandorum numeroſitatem eſſe de mente Damaſceni, cõſtat ex reſponſione ab ipſo data cuidam obiectioni ſibi factæ, quæ talis eſt. *Inſuper, ait Aduerſarius, ſi hæc ità ſe habent, ſaluabuntur omnes, & aberrabit nullus. Valdè benè, & ò vtinam. Quid enim aliud ſitit, vult, petit, deſiderat: & in quo alio ità gaudet, & lætatur Optimus Dominus, quam ne quis à muneribus ſuis excidat?*

S Damaſc. ib.

104 Profectò iſto loquendi modo, quo Damaſcenus vtitur ad ſoluendam obieſtionem ſibi factam, apertè videtur intendere, ſi minus omnes, ſaltem quamplurimos Fidelium adultorum ſaluari pauciſſimis damnatis. Cum enim præfata reſponſione exhibita, aſſeruerit per fidelium ſuffragia pro Defunctis oblata, ſaluari eos, qui inter deſidiam, ac fragilitatem viuentes aliquid virtutis, quamuis parum habuerint, certè ſignificare voluit, neminem defunctorum eſſe, qui nõ valeat per ſuffragia liberari, niſi qui longo tempore in peccatis perſeuerauerit, vel totam vitam in peccatis ducens, ſe in fine vitæ veniam impetraturum per pænitentiæ Sacramentum ſperauerit, nulla interim de peccatis pænitentia peracta.

105 Reſpondet ſecundò Ruiz, Ob hanc doctrinam Damaſceno attributam, ſuſpectam ſibi reddi orationem illam Damaſceni, & ideò adhærere corũ ſententiæ, qui putant eſſe ſuppoſititiam, vel deprauatam. Cuiuſcumque tamen ſit ea doctrina, ità eſſe temperandam exiſtimat, vt ſuffragia viuorum nihil

Reſpõſio Ruiz de prædeſt. diſp. 54. ſect. 1.

omninò

omninò valeant ad ſalutem æternam peccatoris, qui ſine vera pęnitentia deceſſerit, etiam poſt vnum peccatum mortale, quamuis ante illud habuerit aliquid virtutis, aut multum. Addit Recupitus, poſſe eum ſermonem à Bellarmino in lib. de Scriptor. Eccleſ. recenſeri inter ſuſpectos, vt potè, in quo fiat mentio de Anima Traiani precibus Gregorij ab Inferis reuocati.

106 Sed contrà primò: quia tunc Damaſceni oratio poſſet, vel ſuppoſititia, vel deprauata exiſtimari, quando aliquid vel contra fidem, vel contrà bonos mores contineret: Sed neutrum horum continet Damaſceni Oratio. Nam ipſe, nec talem ineptiam docuit, nec per ſomnium imaginatus eſt, nempè poſſe fideles ſaluari, quamuis ſine pænitentia deceſſerint. Id igitur, quod aſſeruit, eſt ſaluari fideles illos, qui ſi non integrum panem, virtutes ſcilicet omninò perfectas poſſederunt: aliquid tamen (& ſi parum) fermenti virtutum habuerunt. Hoc autem parum virtutis, quod habuerunt, adiunctum deſiderio, & voluntati integrum virtutis panem habendi, ſufficiens per Damaſcenum fuit ad æternæ ſalutis aſſecutionem. Vt enim fideles ſaluentur, ſat eſt ſeruare mandata, atque adeò viuere, & decedere in ſtatu incipientium, quorum principale ſtudium eſt à peccatis recedere, eorumque concupiſcentijs reſiſtere, & conſequenter præcepta ſeruare: hoc enim eſt, vel parum virtutum habere

Impugnatur

Sermo Damaſceni nõ eſt ſuppoſitius, aut deprauatus.

107 Contrà ſecundò: quia non poteſt aliquid,

vt ſuppoſititium, vel depratum haberi, quod à vetuſtiſſimis, & recentibus Theologis, vt verum, vel ſaltem vt probabile habetur. Sed ſermo Damaſceni, & animæ Traiani ab inferis liberatio in eo contenta, tum à vetuſtis, tum à recentibus Theologis, & præcipuè à doctore Angelico Theologorum Anteſignano pro veris, aut probabilibus habentur: Ergo non non debent ſuppoſititij, vel deprauati exiſtimari. minor probatur quia D. Thomas non ſemel, ſed bis, & ter probabilem exiſtimat Traiani liberationem ab inferis: *De facto Traiani* (inquit) *hoc modo poteſt probabiliter exiſtimari, quod precibus Beati Gregorij reuocatus, & ità gratiam conſecutus ſit, per quam remiſsionẽ peccatorum habuit, & per conſequens immunitatem à pœna; Sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt à mortuis miraculosè ſuſcitati, quorum plures conſtat fuiſſe Idolatras, & damnatos fuiſſe. De omnibus enim ſimpliciter dici oportet, quod non erant Inferno finaliter deputati: Sed ſecundum præſentem propriorũ meritorum Iuſtitiã &c.* Hæc D. Th. quem poſteà ſequuti ſunt quamplurimi vetuſti ſcholaſtici. Adde inter recentes Caſtaldum qui tom. 1. de poteſtate Angelica controuerſ. 3. per totam: præcipuè verò puncto 7. fuſiori calamo, vt probabile, imò verum, factum hoc de Traiano propugnat, & pro eo, præter relatos, pluſquam alios triginta Auctores adducit: ac etiam duo oracula in Reuelationibus S.S. Brigittæ, ac Methildis contenta: prĕterquam quod Nauarrus negãtes hiſtoriam prædictam acriter, ac vehementer reprehendit. Verus igitur

S. Th. q. 6. de verit. ar. 6. ad 4. in 1. diſt. 43 q. 2. ar. 2 quæſt. 1. & in 4. d. 45. q. 2 ar. 2. q. 1 ad 5.

D. Th. ſequuti ſunt D. Bonau. Duran. Riccar. Ægid. Argent. Capr. Sylueſt. Maior, Gabriel Palud. & inter recentes Io. Th. Caſtal. to. 1 diſt. 2. q. 1. a. 5. contr. 3. pũct. 7

Brigitta & Methild. in reuel.

igitur, ac legitimus Damasceni partus est sermo ille: sicuti vera historia illa est de liberatione Traiani.

108 Tertia Auctoritas est illorum P.P. apud Magistrum, & D. Th. docentium, numerum Electorum subrogandum esse in locum eorum, qui ceciderunt, Angelorum: Istorum etiam aliqui dicunt tot homines esse prædestinatos, quot ex Angelis cæciderunt. Quod videtur insinuare Augustinus dicens: *Ciuitas Dei nulla Ciuium suorum numerositate fraudabitur: sed vberiore copia fortasse regnabit*. Et S. Bernar. asserens: *Tolle hanc* (Ecclesiam) *& ipsa Sanctorum Angelorum pro imperfectione sui numeri Gloria claudicabit: nec Dei Ciuitas de sui integritate gaudebit*. Id quod videtur etiam indicari in psal. 109. *Iudicabit in nationibus implebit ruinas*: vbi, quot Angeli lapsi sunt, totidem fideles homines ad eorum ruinæ instaurationem subrogandi insinuantur. Porrò ex horum P.P. sententia colligi, longè plures ex fidelibus esse saluandos, quam damnandos, sic ostendo. Tot Fideles saluabuntur iuxtà relatos Patres, quot Angeli cæciderunt: sed ipsemet Recupitus concedit numerum Angelorum esse incomparabiliter maiorem numero omnium hominum: & tertiam Angelorum partem cæcidisse, vt deducitur ex illo Apoc. 12. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum*, idest Angelorū: Ergo maior pars fidelium hominum requiritur, vt suppleat tertiam partem Angelorum lapsorum: ergo ex fidelibus longè plures sunt qui saluantur, quam qui damnantur.

Nauar. in Ench. de orat. cap. 24. miscell. 13.

Magist. l. 1. d. 9. S. Tho. 1. p. 9. 23 art. 7. in corp.

Aug. in Enchir. cap. 25.

S. Bern. ser. 68 in Cant.

Et auctor lib. de diligendo Deo cap. 3.

Tot fidel. subrogandi sunt ad restaurandam Angelorum ruinā, quot Angeli ceciderunt.

Apoc. 12

Resp.

S.Th.1. p. q. 50. art. 3.

Respõsio Recup.

109 Respondet primò Recupitus, hoc argumento probari plusquam intenditur. Nam si Angelorum multitudo iuxtà id quod dicitur à S. Thoma incomparabiliter superat numerum, non solum omnium hominum: sed etiam omnium entium materialium: vtique tertia pars Angelorum excedet numerum omnium hominum: & sic ad supplendam hanc tertiam partem non sufficeret vniuersitas hominum.

Impugnatio eiusdem

110 Sed contrà: quia incertum est, an multitudo Angelorum superet multitudinem omnium hominum (quod docet D. Th.) an verò superetur ab hominum multitudine vt num. 98. ex D. Gregorio nos intulimus: vndè ibidem diximus non esse improbabile, Angelorum multitudinem à multitudine hominum superari: Ergò falsum est assumptum Recupiti, nempè præfato argumento nos probare plusquam intendimus.

Secũda Recup. Respõsio

Apoc. 12

111 Respondet secundo dubium esse, an tertia pars Angelorum cæciderit: Tum quia tertia pars iuxtà multos interpretes, non accipitur præcisè, sed pro magna parte. Tum quia illud Apoc. 12. de tertia parte stellarum tracta per caudam Draconis explicatur à plerisque de Sanctis viris tempoie Antechristi trahendis ad peccatum: & sic non sumus in casu.

Eiusdẽ impugnatio.

112 Sed contrà: quia quamuis dnbium sit, an tertia pars Angelorum præcisè, & arithmeticè ceciderit; probabilissimum tamen est ex loco Apoc. cit. tertiam stellarum, idest Angelorum partem, saltem vul-

vulgariter, & geometricè accipiendam esse, scilicet tertiam idest magnam partem, vt ipsemet Aduersarius admittit: quod idem est, ac plures cum Lucifero Angelos cæcidisse, sed longè plures in cælo remansisse: Ergo dato, quod vult Aduersarius nempè à numero Angelorum numerum omnium hominum incomparabiliter superari, necessariò sequitur, maiorem hominum fidelium partem saluandam, vt in integrum, instauretur ruina tertiæ partis damnatorũ Angelorum. Quod autem Angeli, qui ceciderunt sint plures: sed longè plures, qui remanserunt, innuit primò Sacra Regum historia vbi Elisæus sic fatur. *Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis*. Quæ Prophetæ verba quoad primam partem ad Angelos bonos; quoad secundam verò ad malos siue Dæmones à Sacræ Scripturæ interpretibus, referuntur. Secundò idẽ ipsa ratio suadet: quia (vt eleganter Angelicus Doctor) *peccatum est contra inclinationem naturalem rationalis naturæ: ea verò, quæ contra naturam sunt, in paucioribus eueniunt: & è contrà, quæ sunt secundum naturam, vt plurimum contingunt*: Ergo Angelicæ naturæ conditio secundùm se requirit, vt multò plures sint Angeli boni, quam mali. Ex quibus omnibus constat ex illis Apoc. verbis, siue præcisè, & arithmeticè siue vulgariter intelligantur, semper inferri, multò plures ex fidelibus esse saluãdos, quam damnandos: quamuis ex Angelis multò plures sint qui remanserunt, quam qui cæciderunt.

Plures Angeli ceciderũt: sed lõgè plures remanserunt.

4. Reg.

S. Tho. loc. cit.

113 Adde 1. quod non desunt Auctores, qui

præ-

præfata Apoc. verba præcisè,& arithmericè ſumant, ſcilicet totidem adamuſſim fideles homines ad inſtaurationem ſubrogandos, quot Angeli çeciderunt; alioquin Dei Ciuitas fraudaretur aliqua ſuorum Ciuium numeroſitate, quod eſſet contrà mentem Auguſtini: vel Angelorum gloria pro ſui numeri imperfectione claudicaret, nec de ſua integritate gauderet, quod eſſet contrà mentem Bernardi. Imò Auguſtinus in Enchyrid. c. 62. explicans illa Pauli verba. *Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & in terra ſunt; In Chriſto* (inquit) *reſtaurantur, quæ in cælis ſunt, cum id, quod indè in Angelis lapſum eſt ex hominibus redditur*. Inſtaurat ergo Chriſtus ea, quæ in cælis ſunt: cum ſedes gloriæ, demonum lapſu vacuas, & numerum Angelorum hoc eodem lapſu imminutum, adamuſſim per homines reſtaurat, & implet: cum vt ait Gregorius. *Illic humiliati homines redeunt: vnde Apoſtatæ Angeli ſuperbiendo ceciderunt*. Et quamuis ex huiuſmodi intelligentia ſequeretur plures eſſe homines quam Angelos, & Dæmones ſimul iunctos; hoc tamen non eſſet inconueniens, vt Cornel. exiſtimat: quia licet Dionyſ. & S. Th. loc. cit. doceant, Angelos eſſe in maximo numero, & quaſi innumerabiles, ac ſuperare numerum rerum corporearum; intelligendi ſunt de exceſſu omnium materialium ſubſtantiarum, non quoad numerum, ſed quoad ſpeciem, vt eos interpretantur Caiet. Ferrar. & Bannes. Cæterum incertum eſt, vtrum Angeli ſint æquales, an plures, ſeu pauciores hominibus: imò eos reliquas om-

S. Aug. in Ench. cap. 62. ad Eph. 1. 10.

S. Greg. lib. 31. moral. cap. 35.

S. Dion. l. de cælesti Hierarchia, & S. Th. loc. cit.

Qui dicut Angelos excedere omnes ſubſtantias materiales intelligẽdi sũt de exceſſu, non

omnes materiales ſubſtantias excedere, ſiue ab ipſis excedi, nobis conſtare, niſi per reuelationem neutiquam poteſt.

quoad numerũ ſed quoad ſpeciẽ Cater. Ferr. & Bannes.

114 Adde ſecundò: quod cum Sanctus Gregorius doceat, tot eſſe ſaluandos homines, quot Angeli remanſerunt, neceſſariò ſequitur, numerum omnium hominum ſuperare numerũ Angelorum: quod expreſsè docet Magiſter 2. d. ij his verbis. *Cum Electi tot ſint, quot, & boni Angeli ſunt, plures conſtat eſſe omnes ſimul bonos, & malos homines, quam boni Angeli ſint. Et cum tot Electi ſunt, quot Angeli boni: & Angeli boni plures ſint quam mali: pluresque ſint homines mali, quam boni, non eſt ambigendum plures eſſe bonos homines, quam ſint mali Angeli: & plures eſſe malos homines, quã ſint mali Angeli, vel boni Angeli.*

Magiſt. in 2. de ij docet, numerũ omniũ hominũ excedere numerum omniũ Angelorum

115 *Quarta Auctoritas* eſt illorum Patrum, qui apud eumdem D. Th. loc. citato aſſeruerunt, plures eſſe prædeſtinatos ex hominibus, quam reprobatos ex Angelis: & hoc docet Anſelmus: & inclinare videtur Auguſtinus qui ait. *Ciuitas Dei nulla Ciuium ſuorum numeroſitate fraudabitur: ſed vberiore copia fortaſsè regnabit, neque enim numerum, aut ſanctorum hominum, aut immundorum Dæmonum nouimus*. Ex hac igitur ſentẽtia etiam liquidò conſtat plures ex fidelibus eſſe ſaluandos, quam damnandos: Nam ſi plures ex fidelibus ſaluantur, etiam ſi non excedant, & adæquent numerum Angelorum damnatorum, vt mox probatum eſt; à fortiori longè plures ſaluabuntur, ſi eorumdem numerum non ſolum adæquent, ſed excede-

Plures fuerunt ex hominibus prædeſtinati, quã ex Angelis repprobati.

S. Anſelmus lib. 1 cur Deus homo, cap. 18.

S. Aug. in Ench. c. 25. & l. 21. de Ciuit. c. 1.

cedant, vt præfati Patres vel sentiunt, vel insinuant.

116 Respondet Recupitus, hos Auctores supponere, quod mumerus Angelorum, qui ceciderunt nescitur: & sic non loqui assertiuè, sed dubitatiuè de numero hominum beandorum suprà numerum Angelorum damnatorum: Quod patet ex illis Augustini verbis. *Neque enim numerum sanctorum hominum, aut immundorum Dæmonum nouimus*: quibus expressè dubitare videtur de numero Dæmonum: & sic dubitat, excedatur nec ne à numero hominum beandorum.

Effugiũ

Sed contrà primò, quia quamuis Augustinus videatur dubitare: nihilominus cæteri Auctores à D. Th. suppresso nonine adducti, nullatenus dubitant; sed assertiuè affirmant, plures ex fidelibus hominibus esse saluandos, quam ex Angelis damnatos fuisse.

Præclusio eiusdem.

117 Contrà secundò: quia licet Augustinus loquatur dubitatiuè, non per hoc habet hanc opinionem pro falsa: sed tantum suspensus manet, neutramque opinionem vel reijcit; vel approbat: vndè neque assentit, neque dissentit, ab hoc, quod homines beandi Angelorum damnatorum numerum superẽt: nam *Dubium* (iuxtà Isidorum lib. Ethymol.) *est motus indifferens ad vtramque partem contradictionis*: *seu æquilibrium intellectus inter duo extrema*; Vndè fit, vt homo inter duas constitutus partes, quarum altera affirmat, altera negat, remaneat suspensus, neutrique vel dissensum, vel assensum præbeat: quia non habet sufficientia motiua, quæ inclinent, & moueant ad assen-

S. Isid l. Ethymolog.

Qui est dubius, suspẽsus manet: & est ad vtrãque contradictionis partẽ indifferens.

assensum pro vna parte magis, quam pro altera.

118 Contrà tertiò: quia Augustinus dubitare tantum videtur de numero fidelium saluandorum suprà numerum damnatorum Angelorum: non tamen dubitat, sed assertiuè affirmat equalem esse numerum fidelium, qui saluantur, & Dæmonum, qui reprobati sunt: & hoc solum sufficit nobis ad probandum id quod intendimus, nempè ex fidelibus multò plures saluari, quam damnari: supposito iam quod Aduersarius intendit, nempè numerum omnium hominum ab Angelorum numero incomparabiliter superari. Quod autem æqualitas fidelium saluandorum, & Angelorum damnatorum sit dè mente Augustini, habetur expresse à Magistro lib. 2. d. 9. litera I, vbi ait. *A quibusdam tamen putatur, quod homines reparentur iuxtà numerum Angelorum, qui ceciderunt, vt illa cælestis Ciuitas, nec suorum Ciuium numero priuetur, nec maiori copia regnet. Quod Augustinus in Enchirid. sentire videtur, hoc asserens, de hominibus* (fidelibus) *plus saluari, quam corruit de Angelis, sed non minus: ità dicens. Superna Hierusalem nulla ciuium suorum numerositate fraudabitur: sed vberiore copia fortassè regnabit. Neque enim numerum, aut sanctorum hominum, aut immundorum Dæmonum nouimus. In quorum locum succedentes filij Catholicæ matris, quæ sterilis apparebat in terris in ea pace, de qua illi ceciderunt sine vllo temporis termino permanebunt. Sed illorum Ciuium numerus, siue qui est, siue qui fuit, siue qui futurus est, in contemplatione eius Artificis est, qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea, quæ sunt.*

Tot homines saluari, quot Angeli dãnati sũt, est de mẽte Aug. iuxtà magist. in 2 d. 9 litera I.

Ecce apertè dicit de hominibus non minus saluari, quam corruit de Angelis: sed plus non asserit.

119 Quinta auctoritas est Chrysost. 2. ad Cor. c. 10. hom. 22. in morali, vbi habet hæc verba. *Ex dilatione periculum, ac metus nascitur: ex eo autem, quod quis moram, ac cunctationem fugiat, perspicua, & certa est salus.* Ex quibus tale potest erui argumentum. Qui post peccatum non perseuerat in eo per longum tempus: nec protrahit pænitentiam ad Senium, seu mortem non incurrit periculum, aut metum damnationis: sed est perspicuè certus de salute, ex sententia Chrysostomi. Sed maior fidelium pars, quæ quoties cadit, toties resurgit, moram, ac dilationem pænitentiæ fugit, nec illam protrahit ad Senium, seu mortem. Ergo maior fidelium pars fugit periculum damnationis, & est perspicuè certa de sua salute, si minus certitudine Theologica, saltem morali. Et in hoc sensu Paulus Zehentner, quamuis contrariæ sententiæ propugnator, exponit verba Chrysostomi in suo promõtorio dicens: *Verè in hac materia D. Chrysost. affirmat: Ex dilatione periculum, ac metus nascitur. Ego clarius assero, & liberè: quamdiu scelerati mortales inter flagitia trahunt pęnitentiam, tamdiu habent suę reprobationis signum, spiritualis naufragij periculum, atque adeò & promontorium, malę spei. Pergit Chrysost. Ex eo autem quod quis moram ac cunctationem fugiat, perspicua, & certa salus. Ergo, quos singulorum lapsuum citò, serioque pęnitet: qui insuper sanctissima iterum proposita concipiunt aduersus nouos Dęmonis insultus, toties quoties*

S. Ioan. Chrys. hom. 22. in morali.

Paulus zehentner l. 4. §. 12. n. 28. pag. 741.

pro-

prostrati sunt : aio, hos signum habere suę prędestinationis, adeòque & promontorium bonę spei.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

In quo validissimis rationibus corroboratur Conclusio.

120 PRima Ratio sumitur à Suario, quæ potest in hanc formam reduci. Qui post peccatum conteritur, vel atteritur, dummodò Attritionem cum Sacramento pænitentiæ coniungat, veniam peccatorum assequitur, ità vt si tunc animam efflaret, immediatè saluaretur; vtpotè qui decederet ex Attrito vi Sacramenti contritus: sed fideles adulti saltem quoad maiorem partem, quamuis sæpè mortaliter peccent, tamen etiam sæpè per confessionem resurgunt: & sic cadendo & resurgendo vitam transigunt. Ergo cum antequam moriantur communiter præparentur per Sacramenta, ad quæ sufficit Attritio, vi eorumdem Sacramentorum probabiliter saluabuntur; vel ex eo maximè, quoniam paruo illo tempore, quod vsque ad mortē restat, facilè est in accepta gratia sine nouo peccato mortali perseuerare. Minorem certam facit experientia. Consequentia claret ex terminis: Maior constat ex trito illo apud Scholasticos axiomate, Sacramenta scilicet nouæ legis facere ex attrito contritum: seu (quod tantumdem est) Attritionem in Sacramento pænitentiæ obtinere contritionis effectum: atque adeò vim habere gratiam, iustitiam, salutem-

Pænitēs attritus vi sacra mēti veniā assequitur, acsi esset cōtritus.

temque conferendi. Quod clariſſimis hiſce verbis Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 4. de Contritione aſſeruit. *Illam contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pænarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat ſancta Synodus, verum donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non quidem adhuc inhabitantis, ſed tantum mouentis, quo pęnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamuis ſine Sacramento pęnitentię per ſe ad iuſtificationem perducere nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pęnitentię impetrandam diſponit: Hoc enim timore vtiliter concuſsi Niniuitę ad Ionę prędicationem, plęnam terroribus pęnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt.*

Triđct. ſeſſ. 14. cap. 4.

121 Confirmatur primò: quia multi etiam toto vitæ tempore ſceleſtiſſimi in extrema vitæ periodo (dummodò non repentinè decedant) ex timore gehennæ vehementiſſimè vſque ad lacrymas conterũtur, & ſaluantur. Ergò à fortiori ſaluari exiſtimantur, qui nõ perditè, ſed mediocriter viuunt, nũc cadendo, nũc reſurgendo, & tandẽ attriti per Sacramenta pręparantur: ſed hoc faciunt plerique fidelium: Ergo plerique fidelium ſaluantur. Prima Conſequentia conſtat ex illo Ezech. 18. *Si autem impius egerit pęnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quę operatus eſt; & cuſtodierit omnia: & fecerit iudicium, & iuſtitiam: vita viuet, & non morietur.* Exquo patet peccatorem etiam in morte de peccatis ſuis pænitentem, ſaluari:

Ezech. 18. 21.

dum-

dummodò custodierit omnia præcepta Domini, non actu, sed proposito (vt explicant Interpretes cum Cornel.) neque enim vno die, vel hora poterit peccator moriens omnia Dei præcepta seruare; neque tamen per hanc impotentiam expectanda erit, seu differenda peccatorum remissio ad longum tempus, cum idem Propheta c. 33. v. 12. asserat, peccatorem quacumque die fuerit conuersus indulgentiam habiturum. Antecedens, in quo potest esse difficultas duplici medio probatur, nempè duplici Patrum auctoritate, & duplici Scripturæ exemplo, altero deprompto ex veteri, altero ex nouo testamento. Prior auctoritas est Augustini, qui ait. *Nouimus aliquos à iuuentute in omni scelere, & damnabilitate, vsque ad ætatem decrepitam perdurasse: & repentè cælitus inspirata salutè, raptos esse ad regna cælorum. Nouimus etiam aliquos perfectos ex labore multorum annorum prolapsos in vltimo vitæ suę perijsse.* Auctoritas posterior est Gregorij, qui explicans illam interrogationem à Deo factam Iob. *Indica mihi si nosti omnia, in qua via habitat lux: & tenebrarum quis locus sit, vt ducas vnūquodque ad terminos suos? Multos enim* (inquit) *videmus quotidiè, qui iustitię luce resplendent: & tamen ad finem suum nequitię obscuritate tenebrantur: & multos cernimus peccatorum tenebris obuolutos: et tamen iuxta vię terminum, repentè reddi luce iustitię liberos.* Veniamus modo ad exempla. Primum habetur in persona Manassis Regis, de quo dicitur 2. Paralip. v. 12. *Postquam coangustatus est orauit ad Dominum, et exaudiuit*

Præcepta sufficit, vt custodiantur si minus actu, saltē proposito.

Ezech. 33. 12.

S. Aug. lib. de prædest. contra Pelagianos.

S. Greg. l. 29. moral. c. 9.

Iob. c. 38

In fine vitæ sicuti multi boni pereunt: ita multi mali saluantur.

122

2. Paral. 12.

ora-

S.Hier. hic

orationem eius. Quem locum expendens D. Hieron. refert ex Hebræorum traditione præfatum Manassem in babylonicam abductum captiuitatem, in vas æneum fuisse coniectum, admotoque igne paulatim excruciatum: dein in eo (cum vndique circumclusus, nullum excundi, imò nec respirandi locum inueniret) inuocasse omnia numina Idolorum, quæ colebat: & cum non fuisset ab eis exauditus, nec liberatus, recordatum fuisse, quod à suo Patre Ezechia crebrò audiuerat *Cum quæsieris Dominum Deum tuum inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*; vndè cum Dominum inuocasset, illicò exauditum, & liberatum, ac translatum fuisse in regnum suum, in modum Abachuc: Adfuit enim Angelus oranti Regi (vt explicat Glycas citatus in Glossa) qui rupto illo simulacro, seu vase æneo, in quo inclusus fuerat, eum Hierosolymam reduxit. En mirabilia, quæ in homine scelestissimo in ipso mortis articulo constituto, operata est pænitentia? Patrauerat ipse tam multa sacrilegia, vt excederet omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eum. Tam multum sanguinem innoxium effuderat, vt impleret Hierusalem vsque ad os. Tam multa flagitia commiserat, vt ipsemet de se ipso fateretur in sua oratione, quæ in fine Paralip. seu Bibliorum habetur. *Peccaui super numerum Arenę maris*. Et vt omnia verbo concludam, fuit ille tam impius, vt non solum in regno: sed etiam in ipso tormento idolatrarit: nec prius ad verum Deum redierit, quam omnia falsorum Idolorum numina

Deut. 4. 19.

Glycas apud Glossam

Mirabilia, quæ Deus operatus est ob salutē Manasse.

4. Reg. 21. 9

Ibidem v. 16.

In fine Paral. seu Bibl.

mina

numina tentasset: eaque inania esse (experientia Magistra) comperisset. Et his non obstantibus, in ipso imminentis mortis articulo fuit à Deo ineffabili misericordiæ modo liberatus: & tamquam insignis Propheta Angelico ministerio in patriam transuectus, ac in pristinam dignitatem restitutus. Quod expendens citatus Glycas protulit ex D. Athanas. hæc suauissima verba. *Tot tantaque facinora Manasses patrauit, vt diuinus ille Athanasius dicere non dubitauerit: si Manaßem Deus seruauit: equidem ausim dicere, quod etiam Diabolum ipsum seruaturus esset, si reuerti ad Deum voluisset*. Ex quibus meritò infertur, neminem debere suorum multitudine peccatorum à venia impetranda deterreri: nam si Deus secundum Athanasium etiam Diabolo parceret, si pæniteret: multò magis parcet fidelibus quantumuis perditissimis, si ad Manassis exemplum etiam in ipso mortis articulo resipuerint?

Glycas ex Diuo Athan.

Deus etiã Diabolo parceret si pæniteret.

123 Secundum exemplum sit in persona Boni latronis, cuius peccata adeò diuturna, & inueterata fuerunt, vt etiam in Cruce suspensus blasphemaret. *Latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei*. Quę verba significant vtrumque latronem simul (saltem initio) blasphemasse, vt sancti Patres Hieron. Chrysost. Ambros. cum alijs non improbabiliter opinãtur. His tamen non obstantibus in vltima vitæ linea resipiscens, illicò paradisum impetrauit: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Quod expendens Arnoldus. *Considerare neceßè est* (inquit) *quid possit pænitentia,* O *quando*

Matth. 27. 24.

Etiã bonus latroChristũ blasphemauit. Hieron. Chryso. Ambr. & alij. Luc. 23. 43. Arnol. tract. de

septem verbis Christi Domini in Cruce

quando bonus Dominus tribulato corde clamantem ad se seruum suum, etiam in vltimo peccati puncto non negligat. Vndè infert August. serm. 120. neminem debere de salute desperare: quia, quod vnus obtinuit latro, omnes, qui pariter ingemuerint, etiam in mortis articulo impetrabunt: nam venia à latrone obtenta spem cæteris omnibus præbet, suorum delictorum remissionem assequendi. En eius dulcissima verba. *Dum Deus tanto debitori refundit immanis delicti cautionem, humano Generi conscripsit securitatem: vt consolatio, ac spes fieret totius Populi absolutio vnius desperati: & priuatum donum in publicum cresceret beneficium.* Ex his igitur exemplis tale potest argumentum desumi. Manasses, & bonus latro, qui totius ætatis curriculo perditissimè vixerunt, nec ante cogitarunt de resipiscentia, quam cum mori inciperent, adhuc in ipso mortis articulo actum perfectæ contritionis elicuerunt, & verè conuersi ad Deum saluati sunt. Ergo à fortiori saluabuntur, qui non perditè, sed mediocriter viuunt, & qui si nunc cadunt peccando, resurgunt illicò pænitendo: ac demum in morte Sacramentis muniuntur; sed hoc faciunt plerique fidelium: Ergo plerique fidelium saluantur.

In bono latrone datur spes veniæ toti generi humano

S. Aug. ser. 120.

124 Respondet primò Recupitus ad argumentum principale, non obstare, quod maior fidelium pars cum Sacramentis decedat: quia sæpè contingit, vt vel Sacramenta suscipiantur tantùm ex quadam consuetudine, & respectu humano, nequid patiatur existimatio. Vel suscipiantur bona fide, & ex timore

Respõs. Recup.

more gehennæ, non tamen cum proposito, & dolore sufficienti: quæ quidem bona fides sæpè excusat à nouo peccato: non tamen pertingit ad effectum Sacramenti ex defectu veri doloris, qui cum suis requisitis difficilè habetur ab homine habituato in peccatis. Quare talis confessio morientium sæpè, neque est deformis, quia per bonam fidem excusatur à Sacrilegio: neque formosa per gratiam ex defectu materiæ proximæ, quæ est supernaturalis dolor: sed erit informis, idest sine deformitate sacrilegij, & sine forma gratiæ, ac proinde insufficiens ad salutem. Quod si multi ex ijs videntur post malam vitam benè mori, hoc ideò est; quia videntur aliqua signa doloris externi exorta à timore: latet autem defectus doloris interni, non pertingentis ad dolorem super omnia, saltem temporalia: sed stantis cum aliqua implicita voluntate, quod si abesset mortis periculum rediretur ad præteritas voluptates.

125 Sed contrà: quia etiam concesso, quod possit dari confessio valida sed informis, quam sententiam sustinent cum D. Th. plures alij Theologi; Non per hoc aduersarij responsio soluit argumentũ. Nos enim non negamus, posse aliquando accidere, quod aliqui suscipiant Sacramenta ex consuetudine, ac humano, & non diuino respectu; Vel quod ea bona fide suscipiant, & ex timore gehennæ, non tamen cum sufficienti dolore, & proposito. Id igitur, quod mordicùs negamus, est, quod hoc contingat respectiuè ad maiorem partem fidelium: Nam maior fi-

D.Th. in 4.d.17 q.3. ar.4 quæst. 1.

delium pars per Sacraméta se præparat ad iustitiam, non humano respectu, sed diuino, ac cum proposito, & dolore sufficienti; cum maior fidelium pars, de qua nos loquimur, non sit habituata in peccatis, vt supponit Aduersarij responsio: Nam fideles quo ad maiorem partem vitam transigunt nũc cadendo, nunc resurgendo: vndè si dici possunt in peccatis habituati, possunt quoque dici habituati in pænitentia. Adde esse prorsus incredibile, quod tanta Religiosorum, ac Monialium multitudo, quæ degens in claustris, addicta Dei obsequio viuit: quod tanta numerositas Prælatorum, Presbyterorum, & Ecclesiasticorum, quæ diù, noctùque Deo inseruit; quod tanta, & ferè innumera secularium còpia, qui piam agunt vitam, ac oratoria, congregationes, sodalitatesque frequentantes, vel singulis hebdomadibus, vel saltem semel in mense pabulo Sacramentorum se spiritualiter nutriunt: quique specialem ergà Virginem Deiparam, ergà Custodes Angelos, ac ergà Sanctos aliquos magni nominis deuotionem firmam, constãtemque profitentur, non impetrent in extremo mortis puncto, in quo agitur de æterna eorum vel salute, vel damnatione, à summa Dei liberalitate, intuitu meritorum Christi, ac Virginis, Angelorum, Sanctorumque intercessione, Gratiam aliquam specialem, vi cuius eliciant siue actum perfectæ Contritionis, siue saltem Attritionis supernaturalis, qua muniti Sacramenta suscipiant, & sic saluentur.

Fideles qui quoties cadunt, toties resurgunt nõ possũt dici absolutè, et simpliciter habituati in peccatis.

126 Respondet secundò ad Confirmationem, argu-

argumentum nihil facere contrà ipſum, qui tantum dicit contingere hoc in pauciſſimis. Inſuper argumentum à bono latrone ductum, multipliciter contrà nos retorquet.

Retorſiones Recup. quibus probat latronis exemplũ nõ nobis prodeſſe ſed ſibi.

127 Primò, quia ſi bonus latro in fine vitæ traductus eſt à reprobis ad electos, tunc temporis Iudas etiam in fine vitæ traductus eſt ab electis ad reprobos. Vndè infert, quod ſi aliqui, qui malè vixerint, conuerſi in morte augent numerum electorum: aliqui etiam, qui exiſtimati ſunt bonæ vitæ, peruerſi in morte auxerint numerum reproborum.

Prima retorſio

128 Secundò: quia pænitentia Latronis, ſi comparetur ad pænitentiam adultorum fidelium, qui conuertuntur in morte non fuit pęnitentia ſera; quippè cum verſatus eſſet in ſyluis, credibile eſt ad eum non hactenus perueniſſe Chtiſti notitiam, niſi valdè confuſam: & ſic latro, vt notat Greg. 18. moral. c. 23. ſubita repletus gratia fidem accepit in Cruce. Quamobrem cum primò vocatus eſt ad fidem per notitiam Chriſti, non diſtulit aſſenſum: ſed illicò pręſtitit, ac pænitentiam egit: ac proindè pænitentia latronis, poſt Chriſti notitiam, feſtina fuit, non ſera. Quod adnotans Emiſſenus *Ille* (inquit) *nec ſalutis tempora, nec remedia ſtatus ſui ad momenta vltima, infelici fraude poſuit: nec redemptionis ſuæ ſpem in deſperationis nouiſsimum recenſuit: nec Religionem ante, nec Chriſtum ſciuit. Quod ſi ſciuiſſet, fuiſset forſitan inter Apoſtolos non poſtremus in numero, qui prior factus eſt in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad conſe-*

Secũda retorſio.

S. Greg. 18. mor. cap. 23.

Euſeb. Emiſſ. hom. de bono latrone.

quen-

quendum fidem non fuit extrema illa hora, sed prima. Non possunt igitur ex hoc latronis exemplo concipere fiduciam pænitendi in morte adulti fideles, de quibus est præsens quæstio, Quia hi post acceptum lumen fidei differunt veram pænitentiam per annos: quam bonus hic latro non distulit per horam.

129 Tertiò retorquet: quia pęnitentia latronis fuit quidem parua extensiuè, sed fuit maxima intensiuè cum summis actibus fidei, spei, & charitatis: quos ratione circumstantiarum eximios, impossibile est, non nisi in paucissimis, imò vix in paucissimis inueniri. Probat deindè latronem habuisse fidem, spem, & charitatem in gradu heroico varijs, & multis SS. PP. auctoritatibus,(quas nos ex industria, breuitatis ergò prætermittimus: quia suo nec prosunt intento, nec nostro obsunt, qui vltrò concedimus, & fatemur, latronem simul cum fide actus eximios spei, charitatis, & contritionis elicuisse, & multa simul pietatis officia complexum esse; nam, vt inquit Arnol. loc. cit. *Orat, adorat, credit, timet, compungitur, confitetur, prędicat, amat, confidit;* idque cum ijs extraordinarijs circumstantijs, quas impossibile est moraliter in alijs reperiri). Concludit tandem Recupitus à latrone non posse trahi argumentum ad alios qui malè vixerint. Imò posse trahi argumentum oppositum, cum vnus, qui malè vixit non reperiatur saluatus, nisi per excessiuos actus fidei, spei, charitatis, & pænitentiæ.

Tertia retorsio.

Arnol. loc. cit.

130 Quartò retorquet, multò minus à latrone

trahi

trahi posse argumentum ad alios, qui malè vixerint, si uerum est, quod plures affirmant, non solum martyrium subijsse patientiæ, sed etiam propriè, & rigorosè acceptum: Nam martyrij donum vix, aut ne vix quidem reperitur in paucis. Vndè potius ab eo sumi potest argumentum contrarium, nempè, non contingere, eos, qui malè vixerint inter saluandos connumerari, nisi culpas diluant martyrio.

Quarta retorsio.

131 Quintò retorquet: quia facta consideratione de loco, de modo, de tempore, inuenitur, factum esse latroni hoc priuilegium in Caluario, ex præsentiali assistentia Christi, ac Deiparæ: Christi tunc temporis mundum redimentis: Deiparæ verò, quæ media inter Christum, & latronem in eo temporis articulo astabat. Quod si quando Christus in Cruce pendebat, & ex eo largissimi riui sanguinis defluebant: quando opus Redemptionis feruebat: quando Crucifixus per tot ora, quot vulnera è Cathedra pænitentiam prædicabat, è duobus latronibus consortibus, non vtrumque conuertit, sed vnum; quid sperandum est de ijs, qui postquam malè vixerint, moriuntur, non cum Christo in Cruce: sed inter amicos decumbentes in culcitra?

Quinta retorsio.

132 Sed contrà primò: quia quamuis conuersio similis conuersioni latronis ratione circumstantiarum, loci, temporis, & personæ contingat in paucis: & fortasè vix in paucissimis inueniatur: Nos tamen ab eius exemplo argumentum trahimus ad hoc tantùm, quod sicut latronis pænitentia (licet in mortis

Impugnatur Recupiti responsio.

tis

tis articulo) ei profuit ad salutem; quamuis non malè solummodo, sed perditissimè semper vixerit; ità etiam, ac multò magis prodest in eodem articulo fidelibus per Sacramenta Ecclesiastica præparatis, qui vitam, nec simpliciter malam, nec absolutè bonam, sed mediocrem, nunc peccando, nunc pænitendo traduxerunt. Et quia maior Fidelium pars sic mediocriter viuit, & in extrema vitæ linea hortatu Sacerdotum saltem ex timore gehennæ, Attritione cum Sacramento adiuncta, facillimè ad veram pænitentiam pertingit; indè fit, vt salutis assecutio contingat, vt in pluribus, deficiat vt in paucioribus. Omnes igitur retorsiones à Recupito factæ probant non posse ab exemplo latronis trahi argumentum ad illos, qui simpliciter malè vixerint: sed non sumus in casu: quia iam nos initio paragraphi secundi num. 75 exclusimus fideles illos Catholicorum nomine solummodo contentos, qui simpliciter malè viuunt, & in omnibus scelestissimè se gerunt: ex ijs enim (quamuis quamplurimi ex Dei misericordia saluentur) loquendo regulariter ferè nullus saluatur. Igitur hic dumtaxat loquimur de fidelibus, non simpliciter: sed ad summum secundum quid malè viuentibus, qui scilicet alternatim modo cadendo, modo resurgendo vitam mediocrem trasigentes, toties de peccatis pænitentiam agunt, quoties peccauerunt; & dicimus fideles istos, vt potè frequentationi Sacramentorum assuetos, non minus, (ne dicam multò magis) saluandos esse, quam latro, qui per totum vitæ curri-

Ab exẽplo latronis, qui perditissimè vixit rectè trahi potest argumẽtũ ad eos, qui mediocriter viuunt.

Peccatores viuentes, quãuis regulariter loquendo, damnẽtur.

curriculum ſceleſtiſſimè vixit, & ſolum imminente morte reſipuit.

133 Adde, quod quamuis, qui ſimpliciter malè viuunt, etiam malè (regulariter loquendo) moriantur, quippè qui non prius peccata deſerunt, quam ab eis deſerantur, ità, vt in vltimo vitæ puncto operari potius in illis videatur neceſſitas, quam voluntas; nihilominus Deus, qui mortem peccatorum non vult, ſed vt magis conuertantur, & viuant, etiam de illis plurimos, ne dicam innumeros ſaluat, vt aſſerunt Auguſt. & Gregor. relati num. 121. Nam in ipſo mortis articulo eorum mentes Deus illuſtrat, vt animaduertant, ſe amplius peccare non poſſe: illoſque ſua gratia mouet ad faciendum de neceſſitate illa virtutem, nec non ad deteſtanda peccata, quando iam amplius peccandi eis eſt ablata facultas; & tunc Deus acceptans illam peccatorum deteſtationem, iam verſam de neceſſaria in voluntariã, ſibi eos reconciliat, & ſaluat. Et quidem neceſſitatem illã verſam in virtutem ad ſalutem prodeſſe audacter pronuncio; ſed nõ tantum auderem, niſi fideiuſſor mihi eſſet S. Pet. Cryſ. qui ſer. 42. cuius initium *Ieiunij bona, fratres &c.* mellita hæc verba calamo verè aureo exarauit. *Hæc eſt Chriſti magna, larga, ſola miſericordia, quæ iudicium omne in diem ſeruauit vnum: & hominis totum tempus ad pænitentiæ deputauit inducias; vt quod de vitijs infantia ſuſcipit, rapit adoleſcentia, inuadit iuuentus, corrigat vel Senectus; & de peccato, vel tunc pæniteat, quando ſentit, iam ſe non poſſe peccare;*

Nihilominus etiã de his innumeri ex Dei miſericordia ſaluãntur.

Etiam ſenibus, ac moribũdis in peccato habitualis, ſi in morte faciunt de neceſſitate virtutẽ pænitẽtia illa poteſt ad ſalutem prodeſſe

S. Petr. Chryſol. ſer. 42. cuius initium. Ieiunij bona fratres.

& tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus. Faciat de necessitate virtutem: moriatur Innocens, 134 *qui totus vixit in crimine.* Ex quibus omnibus duo præcipuè colligi possunt contrà retorsiones Recupiti. Primum est, benè à latronis exemplo trahi posse argumentum, etiam ad illos perditissimos fideles, qui orthodoxorum nomine indigni, cuiuscumque generis flagitia patrantes, in eisque impudentissimè perseuerantes, pænitentiam protrahunt ad mortem. Secundum est, quod si non pauci fideles, etiam perditissimi, facientes in mortis articulo de necessitate virtutem iustificationem consequi possunt, & saluari, vt aurea lingua pronunciauit Chrysol. quantò maiori pietate credendum est, saluari fideles illos, qui mediocriter viuunt: & toties à peccatis voluntariè resurgunt, quoties in illa cadũt, & labũtur, ac tandem Sacramentis susceptis ad imminentem mortem se præparant? Nonnè facilius isti necessitatem propinquæ mortis in virtutẽ vertere valent, qui toties in vita deseruerunt peccata antequã desererentur ab eis? Nonnè in extrema illa vitæ linea de peccatis verè dolebunt, qui toties in vita non fictè doluerunt, dolore pertingente ad cruciatum super omnia saltem temporalia? Nonnè firmiter tunc proponent, etiamsi mortis cessaret periculum, non amplius ad præteritas voluptates redire, qui toties in vita tale propositum elicuerunt, quamuis ab illo posteà, vel ex fragilitate, vel ex malitia defecerint. Cum igitur fideles adulti quoad maiorem partem sic se gerant, vt nunc

A latronis exẽplo duo colligũtur valdè notãda.

Cũ multi perditissimi homines ex mera Dei misericordia saluentur: est piè credẽdũ multò plures saluari ex fidelibus qui nec simpliciter malam, nec simpliciter bonã sed mediocrem vitã agunt.

nunc cadāt, nunc pæniteāt: nec non Sacramentorum susceptionem in suæ vitæ curriculo frequentent; & tandem per eorumdem susceptionem præparati decedant: quis inficiari rationabiliter potest, Deum fidelibus, quo ad maiorem partem, gratiam impertiri, vt per eam iustificati ad salutis portum appellēt?

135 Contrà secundò: quia omnes retorsiones allatæ facili negotio diluuntur, & generatim retunduntur exemplo Manassis, qui non in Caluario, vt bonus latro: sed in Babylonia; non tempore legis gratiæ, sed scriptæ, quæ ad saluandum minus virtutis, & efficaciæ habebat: non cum Deiparæ, & Christi assistentia, qui non dum nati erant: sed solum ex immensa Dei misericordia, liberalique munificentia, in ipsis, (vt ità dicam) mortis faucibus, Diuino, eoque efficacissimo adiutus auxilio, perfectissimæ Contritionis actum elicuit; quæ saltem minus facilis est, quam actus Attritionis. Ergò à fortiori, facilius in fine vitæ possunt orthodoxi fideles ad Deum conuerti: Tum quia Euangelicam legem profitentur; quæ ad saluandum validior, & efficacior est, quam Mosayca; Tum quia moriuntur in gremio Ecclesiæ extrà quam non est salus; Tum quia se præparant ad mortem per ipsius Ecclesiæ Sacramenta, quæ in benè dispositis infallibiliter causant gratiam; Tum quia non coguntur ad se perfectè conterendum, (quod difficile, aut saltem non adeo facilè est) sed sufficit, vt atterantur, & sic attriti per Sacramenta præparentur. Cum igitur totum hoc præstent non pauci, sed plerique fidelium

Exēplū Manassis generalitter retūdit omnes Recupiti retorsiones.

facilius saluantur, qui quoties cadunt, toties resurgunt, & in morte per sacramēta se prę parant, quā qui in peccatisvsque ad senectā, seu mortem perseuerant.

delium; indè fit, vt non pauci, sed plerique fidelium saluentur: & sic rationabiliter ab exemplo, tum Manassis, tum latronis, ad plerosque fidelium trahi non solum potest, sed debet argumentum. Sed his omnibus prætermissis, vt plenius retorquenti satisfaciamus, iuuat singulas eius retorsiones speciatim retundere.

Retũditur prima Recupiti retorsio.

136 Primã igitur retundo sic. Ideò bonus latro traductus est à Reprobis ad Electos, quia peccata confessus veniam sperauit. Et ideò Iudas traductus est ab Electis ad Reprobos, quia peccatum confessus veniam desperauit; sed Fideles ferè omnes, qui in morbo extremo cum sufficienti attritione per Sacramenta se præparant, non veniam desperant cum Iuda: sed firmiter sperant cum latrone: Ergo fideles ferè omnes sic præparati, & sperantes, non augent cum Iuda numerum reproborum: sed cum Latrone numerum electorum. Consequentia tenet ex forma: Minor constat experientia: paucissimi enim fidelium in fine vitæ Indulgentiam desperant: siquidem, si desperarent, non se Sacramentorum susceptione munirent. Maior verò probatur quoad vtramque partem. Quoad primam de spe latronis probatur ex illo Lucæ 27. *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Vbi videtur bonus latro, eximio fiduciæ actu sperasse salutem ab eo, qui (vt exprobrabant Principes Sacerdotum, & Seniores Matth. 27.) alios saluos fecerat: se ipsum non poterat saluum facere. Quod expendens Bernardus. *Ab eo* (inquit) *fiducialiter petit*

Luc. 27.

Bernar. tract. de pass. Domini c. 9

auxi-

auxilium, qui indigere videbatur auxilio. Et Arnold. *Sperauit* (ait) *illo temporis articulo, quo ferè ab ipsis Apostolis salus desperabatur*. Hinc idem ibidem, Latronē spei exemplum appellat dicens: *Inter cætera pietatis opera, latro noster nobis occurrit spei exemplum*. Quoad secundam de Iudæ desperatione probatur ex D. Fulgentio. *Iudas* (inquit) *peccati sui pænitentiam gessit, sed salutem perdidit, quia Indulgentiam non sperauit: dignè quidem pænitentiam gessit, quia peccauit tradens sanguinem iustum; sed ideò sibi fructum pænitentiæ denegauit: quia peccatum traditionis suæ, ipso, quem tradidit, diluendum sanguine non sperauit*. Cum igitur ferè omnes fideles morientes, in vltimo vitæ puncto per Sacramenta se præparent, signum euidens est, quod remissionem peccatorum non desperant cum Iuda, sed sperant cum latrone: ac per consequens ferè omnes cum latrone numerum Electorum: non cum Iuda numerum augent reproborum.

Arnol. tract. de secundo Christi verbo.

Latro proponitur, vt spei exēplum.

S. Fulg. ep. 7. c. 5.

Iudas perijt, quia nō sperauit

137 Secundam retorsionem retundo sic. Ad bonum latronem, cum versaretur in syluis, non confusè, sed præsentialiter Christi notitia peruenit: Ergo eius pænitentia non festina, sed sera fuit. Consequentia patet: quia post habitam claram Christi notitiam, adhuc sua latrocinia per annos ferè triginta prosequutus est: ergo eius pænitentia in fine vitæ, sera fuit, non festina. Antecedens verò probatur: quia ex D. Anselmo refert Carthusianus, Beatissimam Virginem cum filio, & sponso in Ægyptum fugientem, in latrones incidisse, inter quos bonus hic

Retūditur secūda retorsio.

Pænitētia latronis potius sera, quā festina dici potest.

S. Dion. Carth. lib. de vita Christi par. 1 cap. 13.

latro,

latro, tunc adoleſcens reperiebatur, quippè qui erat latronum Principis filius: videns igitur Chriſtũ in gremio Virginis, filij diuinitatem, & ſanctitatem matris admiratus, ſupplicationibus ad Patrem effuſis, eos à latronũ manibus liberauit. Et adijcit Landulphus, quod antequam eos dimitteret, amplexatus Chriſtum infantulum, eumque oſculatus, ſe ei lacrymoſis ſupplicationibus commendauit, vt ſui meminerit miſereri, ſi quando occaſio ſe obtulerit. Et tandem Damianus apud Salmeronem aſſeuerat, idcircò bonum latronem reſipuiſſe: *Quia Beata Virgo inter Crucem filij, & Crucem latronis poſita, filium pro latrone deprecabatur: hoc ſuo beneficio antiquum latronis obſequium recompenſans.*

Pet. Da. apud Salmer. tom. 10. trac. 40. Deipara recõpenſans Latronis obſequium, orauit in Caluario, et exorauit pro eius cõuerſione

138 Adde, quod, ſiue pænitentia latronis ſera fuerit, ſiue non, nihil, vel parum refert: quia nos in præſenti non controuertimus, an pænitentia fideliũ morientium debeat dici feſtina, vel ſera: ſed abſolutè pronunciamus, eſſe longè probabilius, quod eorum pœnitentia, quamuis facta in extrema vitæ periodo, eis ad ſalutem prodeſſe valeat, ſicut bono Latroni profuit: vndè non immeritò, ſed rationabiliter poſſunt fideles morientes (illi præcipuè, qui vitam peccando, & pœnitendo ttanſegerunt, de quibus in præſenti loquimur) à Latronis exemplo fiduciam verè pœnitendi in morte concipere; Quod ſi Latro, qui poſt acceptam Chriſti notitiam, per plures annos diſtulit pœnitentiam, & tamen in morte eximijs fidei, ſpei, & charitatis actibus ad Deum perfectiſ-

Fideles ab exẽplo Latronis rationabiliter poſſunt in morte ſe

fectissimè conuersus est; quantò facilius, & frequentius in fine vitæ ad Deum conuerti possunt fideles illi, qui vitam mediocriter, nunc cadentes, nunc resurgētes trāsegerunt? Profectò piè, imò pijssimè credendum est, omnes illos verè pænitere, & saluari. Vndè sicut de bono latrone potuit dicere Sāctus Leo Papa. *Exiguo temporis puncto longorum scelerum reatus aboletur. Inter luctantis animi dira tormenta, hærens patibulo trāsit ad Christū: & cui propria impietas intulit pænā, Christi Gratia detulit ad coronam*. Ità de fidelibus nunc cadentibus, nunc resurgentibus, & in fine vitæ pœnitentibus potuit asserere S. Greg. Papa; *Sæpè contingit, vt plerique Deum deserant, & vitæ suæ tempora in desiderijs carnalibus expendant: sed tamen à superna gratia respecti in extremis suis ad Deum redeant, quibus subsequente Iustitia totum dimittitur, quod antè deliquerunt*. Hinc illa verba Iob. *Lumen illius super terminos terræ* sic explicantur ab eodem Gregorio ibidem: *Termini enim terræ sunt fines hominum peccatorum*. Ex quibus Gregorij verbis clarè colligitur id, quod à nobis asseritur, scilicet, vt non rarò, sed sæpè: non pauci, sed plerique fidelium in fine vitæ saluentur. Quod si hoc affirmat Gregorius de fidelibus, qui totum vitæ curriculum in carnalibus desiderijs expendunt; à fortiori nos affirmamus, maiorem fidelium partem saluari: quia maior fidelium pars diuidit vitæ suæ tempora, & nunc Deum per peccatum deserit: nunc ad eumdem per pænitentiam conuertitur: & tandem moriens, Sacramentorū præsidio se munit; ex quo fit, vt

riò, & verè pænitendi fiduciam cōcipere

S. Leo Papa serm. 4. de passione.

S. Greg. lib. 27. moral. cap. 11. vel 25.

Iob c. 37. 3.

Idem Gre. hic

Ex verbis D. Gregorij à fortiori colli-

totum

gitur, maiorē fidelium partem saluari.

totum ei dimittatur, quod deliquerat: & sic salutem assequatur.

139 Tertiam retorsionem retundo sic. Non inficior, sed vltrò concedo, pænitentiam latronis fuisse maximam, immò talem, qualis vix in paucissimis valeat inueniri: neque contendo à latrone regulariter trahi posse argumentum ad alios, qui simpliciter malè vixerunt, ità vt posteà pænitentes in morte saluentur cum eximijs, ac heroicis illis actibus, quibus latro salutem obtinuit: non hoc contendo: scio enim, quod pronunciauit Bernardus; *In toto Canone scripturarum non inueniri hominem sic saluatum*: idest cum talibus circumstantijs, & cum actibus fidei, spei, charitatis, ac pænitentiæ in gradu heroico intensis. Id igitur, quod contendo, & propugno est, posse rationabiliter, ac meritò, à latronis exemplo trahi argumentum ad fideles, de quibus loquimur, scilicet, qui hodie cadendo malè viuunt, cras resurgendo viuunt benè; & tandem in morbo extremo per Sacramenta se præparantes, saltem attriti decedunt: sic enim attriti, & præparati assequuntur gloriam, quam consequutus est latro, licet non quoad omnes gradus, quos ipse meruit ob eximios illos fidei, spei, charitatis, & pænitentiæ actus, quos in extremis elicuit.

Retūditur tertia retorsio.

S. Bern.

Maior fideliū pars gloriam assequitur sed non quoad omnes gradus, quos latro meruit.

140 Quartam retorsionem retundo sic. Hæc retorsio supponit falsum, nempè nos à latrone argumentum trahere ad fideles, qui malè viuunt; Nam fideles, de quibus loquimur, non malè viuunt simpliciter,

Retunditur quarta retorsio.

citer, ſed ad altius, ſecundum quid: licet enim quamdiù in peccato commiſſo perſeuerant, malè viuere dicantur: quamdiù tamen perſeuerant in Gratia per pænitentiam rehabita, viuunt ità benè, vt ſi tunc, in eo gratiæ ſtatu morerentur procul dubio ſalutem conſequerentur. Falſum quoque eſt, quod fideles, de quibus loquimur debēt mori martyres ad exemplum latronis, ad hoc, vt inter electos adnumerentur: Experientia enim docet, non ſolum iſtos, ſed etiam ipſos fidelium ſceleſtiſſimos, abſque martyrio mori, & ſaluari.

Non tenētur fideles mori martyres.

141 Quintam demum retorſionem retundo ſic. Quod pænitentia latronis ratione circumſtantiarum fuerit ſingularis, non prohibet, quin ab eo trahi poſſit argumentum ad fideles, qui in fine vitæ quocumque modo ſaluantur. Ratio à priori eſt: quia quotieſcumque aliquis effectus in vno ſingulari cognoſcitur per ſuam cauſam, poſſumus ab vno ſingulari inferre vniuerſaliter ad omne id, in quo reperitur talis cauſa. Vt ſi cognoſcam hoc album eſſe viſibile, quia coloratum: ex hoc poſſum inferre, quodlibet coloratum eſſe viſibile. Vndè cum in caſu noſtro cauſa, per quam latro ſalutem obtinuit, fuerit vera pænitentia, quam egit, deteſtando, & dolendo de peccatis, cum firmo propoſito ea iterum non committendi. Ergo ab eius exemplo poſſumus vniuerſaliter inferre, quod omnis qui verè deteſtatur peccata, & de eis dolet, ac firmiter proponit nō amplius peccare, ſalutem aſſequetur, ſicut & ipſe latro aſſe-

Retunditur quinta retorſio.

Quando aliquis effectus cognoſcitur per ſuā cauſam &c.

quutus eſt. Porrò,quia maior fideliũ adultorum,pars ſæpius in vita, & tandem in morte hos omnes veræ pænitentiæ actus exercet; ideò à latronis exemplo, quamuis ſingulari, licet etiam inferre,maiorem fidelium partem ſaluari, ſicut & ipſe ſaluatus eſt. Non eſt igitur neceſsè, vt quælibet conuerſio, ad hoc vt ſaluet morientes, ſit eiſdem circumſtantijs veſtita, quibus latronis pænitentia veſtita fuit: non enim eſt neceſsè, vt qui ſalutem aſſequitur, moriatur in Caluario ſuſpenſus cum Chriſto in Cruce: ſed ſufficit vt eiſdem, vel alijs circumſtantijs veſtita ſit, dummodò verè pæniteat, & de peccatis doleat. Vndè ex hoc, & ex eo, quod è duobus latronibus Chriſtus non vtrumque conuerterit, ſed vnum, non rectè infertur parum ſperandum eſſe de ijs, qui poſt vitam malè actam, non in Cruce cum Chriſto: ſed inter amicos, & notos in culcitra decumbentes moriuntur. Nam vt quis aſſequatur ſalutem, vel nihil, vel parum refert, ſi vel in Cruce ſuſpenſus, vel in culcitra decumbens,diem claudat extremum; quod vel ex eo patet, quia etiam malus latro non in culcitra, ſed in Cruce cum Chriſto decumbens,mortuus eſt: & tamen,quia obduratus in ſua malitia, nec contritionis actum elicuit: nec ſua delicta confeſſus eſt, damnationi tanquam reprobus, fuit obnoxius. Id igitur, quod requiritur ad ſalutis conſequutionem eſt, vt moriens verè conteratur, vel ſaltem atteratur, Sacramentis ſuſceptis: & quia hoc præſtant plerique fidelium, ideò pleroſque fidelium per Sacramenta iuſtificatos

cum

cum bono latrone saluari, firmiter sperandum est, pièque credendum.

142 Nos igitur à boni latronis exemplo possemus quidem trahere argumentum ad illos fideles, qui cuiuscumque generis flagitijs addicti scelestissimè viuunt: cum Deus, qui in momento potest omnia reuocare ex fidelibus huius farinæ non raro, sed sæpè: non paucos, sed multos saluet, vt suprà cum D. Gregorio probauimus; quia tamen hoc facit Deus, non regulariter, sed per speciale priuilegium ex mero suæ munificentissimæ voluntatis beneplacito; ideò nos à latrone non trahimus argumentum ad prefatos hominum perditissimos: sed ad eos dumtaxat, qui si ex fragilitate cadunt, resurgunt illicò, toties resurgentes, quoties prostrati: cum eorum lapsui non tam voluntatis peruersitas causam det, quam violenta malarum illecebrarum occasio, natiua eorum imbecillitate superior; vndè fit, vt si millies cadant, millies resurgant, parati maiori semper conatu præliũ cum vitijs facere. Ex quo patet præcipuum sibi esse studium, emendare statim admissa peccata; vndè meritò, immò potiori iure, ad bonam spem erigi possunt, & à bono latrone stabilem fiduciam trahere. Nam si latro, qui per omnem ætatem pessimam egit vitam, tandem in ipso mortis articulo diuino excitatus auxilio potuit perfectæ contritionis actum elicere, & eo mediante saluari. Quantò magis fideles, qui non simpliciter malè, sed mediocriter nunc peccando, nunc pænitendo viuunt, sperare firmiter possunt,

Qui quoties labũtur toties se erigunt, possunt rationabiliter firmam spem de propria salute concipere.

ſunt, fore, vt in ipſa mortis neceſſitate ſufficienter attriti, ac Sacramentis muniti, ſempiternam conſequantur ſalutem?

143 Neque obſtat, quod eis morientibus deſit, quæ latroni adfuit præſentialis Chriſti Saluatoris, & Deiparæ Virginis aſſiſtentia: ſiquidem eis non deeſt huiuſmodi aſſiſtentiæ effectus: cum enim per Sacramenta ſe præparantes applicent ſibi merita paſſionis, & ſanguinis Chriſti: cum etiam ſibi meriti ſint efficaciſſimam Deiparæ interceſſionem ob ſpecialem affectuoſamque deuotionem, qua ei fuerunt addicti: profectò paſſione Chriſti influente, & Virginis interceſſione adiuuãte, iuſtificationis gratiam, atque adeò æternæ ſalutis beneficium feliciter conſequuntur.

144 Quod clariſſimè liquet, & deducitur ex memorando Caroli Sanctæ Birgittæ filij exemplo, quod Paulus Zehentner contrariæ ſentẽtię ſectator in epilogo Promontorij malæ ſpei conſignauit his verbis.

Exemplum Caroli S. Birgittæ filij quo noſtra doctrina mirabiliter confirmatur.

Hoc doceo ab exemplo Caroli militis Sanctæ Brigittæ filij, quo cum olim mater ex Suecia in Palęſtinam pietatis cauſa religioſam ſuſcepit peregrinationẽ: ſed nempè in ipſa via, Comitem dulciſſimũ, & moleſti itineris ſuaue vehiculum, Carolum ſuum Brigittæ mors abſtulit, & Neapoli vita defunctum reliquit. Ità Brigitta dupliciter viduata, & marito, & filio, Ieroſolymam tamen ſingulari cum deuotione perrexit. Et quoniam poſteà frequens Caroli ſui memoriam recurrebat meſtæ Parenti, magnis tenebatur deſiderijs cognoſcendi ſtatum eius iam mortui. Neque

defuit

defuit bonus Deus ardentibus votis; totumque illud, quod circa filium suum in arcano post mortem iudicio gestum fuit vigilanti, & præcanti obiecit specie sequenti ad raptũ humanæ cognitionis accommodata. Itaque Brigitta sibi visa fuit videre Christum pro Tribunali sedentem, & cęlesti exercitu vndique stipatum, in quo Regina Angelorum eminebat forma augusta, & velut patrocinaturæ similis. Antè Iudicem anima Caroli supplex aderat decretoriam sententiam cum ingenti metu expectans. Dextrum eius latus cingebat Genius tutelaris, sinistrum Demon accusator: hic relata in tabula peccata exhibuit Christo, reumque esse Carolum, ac sibi deberi in socium damnationis ostendit, ex quamplurimis sceleribus pręsertim ob sextum Decalogi pręceptum, & cogitationibus obscęnis, & operibus inhonestis, frequenter violatum, mille testium instar esse propriã eius conscientiam. Sed Angelus mox omnem diaboli accusationem sic diluit, Caroli Matris iteratis ad Deum precibus, & lachrymis iugiter manantibus, & multiplici in egentes misericordia, eam impetrasse filio suo gratiam, vt etiam num puer cereus in vitium flecti, supremam Numinis maiestatem cęperit reuereri: quam quoties offendisset, toties statim ingemuisse posteà, propositum emendationis renouasse, delicta expiasse. Illud etiam maximè causam iuuare Caroli, quod is demum antè vltima fata serum statuerit, sincerè in omnibus [sunt verba formalia apud sanctam Brigittam] Dei voluntatem exequi, Diuinę voluntati voluntariè se confirmando; Auditis itaque partibus Iudex sententiam pro Carolo pronunciauit. Angelus verò Sanctam Brigittam docuit, filio suo militi tam mitem, tam

& feli-

& fęlicem non dandum fuiße calculum, nisi à puero, & bonę fuißet voluntatis, & nęuos suos solerter emendare studuisset: semper post vulnus peccati, statim vsus medicina pęnitentię.

A narrato exemplo tria inferuntur notatu dignissima.

145 Tria igitur in hoc exemplo sunt pro nobis notatu dignissima: Primum est, quod dictus Carolus (ac per consequens omnes fideles, qui eum imitantur) saluatus est; quia vitam transegit cadendo, & resurgendo, toties se erigens per pænitentiam, quoties onere peccatorum prostratum se viderat. Secundum, quod in fine vitæ non actu omnia Dei præcepta seruauit, sed proposito tantum, diuinæ se voluntati conformando. Tertiũ, quod non fuisset saluatus, nisi, dum viueret, delicta sua per pœnitentiam expiasset toties à peccatis resurgens, quoties in ea ceciderat: sed omnia hæc faciunt plerique fidelium, vt patet ex supradictis. Ergo plerique fidelium saluantur: Quibus consideratis citatus Zehentner (quamuis totus videatur esse pro contraria sententia) post factam Caroli causæ narrationem, in hæc verba prorumpit, quæ nostrũ confirmant intentum.

Dico igitur quotquot etiam hodie post lapsum grauem, citò se recipiunt ad frugem, radium cęlestis gratię secuti, quoties illustrat, mouetque animum ad meliora, profectò salutis suę magnam concipere poßunt fiduciam, in eorum numero collocandi, de quibus Sapiens Deo locutus fatetur. Bonæ spei fecistis filios tuos. Sap. 12. v. 18.

PA-

PARAGRAPHVS SEXTVS.

In quo destruitur fundamentum Recupiti, & conuincitur veritas conclusionis ex facilitate mediorum ad finem salutis.

146 PRobatur Vlterius Cõclusio Ratione destruẽte præcipuum sententiæ Recupiti fundamentum. Omnis assequutio finis magnam habens difficultatem in medijs, deficit in pluribus, contingit in paucioribus. Ergo ex aduerso, quælibet assequutio finis habens facilitatem in medijs deficit in paucioribus, & contingit in pluribus: sed assequutio Gloriæ respectu fidelium adultorum magnam habet facilitatem in medijs. Ergo assequutio Gloriæ respectu fidelium adultorum, deficit in paucioribus, & contingit in pluribus. Maior est ipsiusmet Recupiti, vt videbimus infrà in solutione argumentorum. Primum consequens constat ex illo Philosophorum pronunciato. *Contrariorum eadem est disciplina.* Minorem subsumptam sic probo. Media proximè conducentia ad finem salutis, vel se tenent ex parte Dei, vt sunt auxilia gratiæ, & Sacramenta: vel ex parte nostra, vt sunt actus Contritionis perfectæ, aut Attritionis supernaturalis cum Sacramento coniunctę: sed vtraq; media sũt facilia: Ergo vtraq; facilè ad salutis finem conducunt. Minor quoad primam partem patet: quia, Deus semper stat ad ostium, & pulsat, vt

ei cor

ei cor mentis aperiamus, eiusque gratię auxilia amplectamur, iuxtà illud Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso*, vndè Concil Senonense decret. 15. de fide ità explicat prædicta verba. *Neque tanta Gratię necessitas libero prçiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu: nec momentum quidem prętereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset: cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cęnabit cum illo.* Adde quod etiam Sacramenta, vt experientia docet, sunt facilè applicabilia. Quoad secundam verò partem eadem minor sic probatur: & primò, quod Contritio sit facilis, vel non adeò difficilis, eleganter probat Martinus Pellegrini in aureo suo opusculo de Contritione perfecta, & sanctificante per totum. Sed dato, quod Contritio sit difficilis, vel non adeò facilis, eò quod homo, etiam speciali gratia præuentus, difficulter se per illam disponat; Non tamen est adeò difficilis Attritio supernaturalis quæ in lege Euangelica, Sacramento adiuncta, sufficiens est ad iustificandum, vt definit Tridentinum sess. 14. cap. 4. Facilis igitur, vel saltem minus difficilis est Attritio: & facilè, vel saltem minus difficile est fideli adulto actum Attritionis elicere: & consequenter est ei facile, vel saltem minus difficile in statum salutis semetipsum conducere.

152 Confirmatur primò: quia homo per ipsum Recupitum ex se est magis propensus ad amorem sui, quam ad amorem Dei, etiam vt finis naturalis; sed ex eo quod magis propendet ad amorem sui, &

minus

minus ad amorem Dei, facilè est ei actum attritionis elicere: difficilè verò elicere actum contritionis: ergo &c. Maior asseritur ab Aduersario, cuius tamen veritas examinabitur in solutione argumentorum. Minor probatur quo ad vtramque partem. Quoad secundam sic. Vt contritio sit proxima dispositio ad gratiam procedere debet ex supernaturali dilectione Dei: Ergo cum homo magis propendeat ad amorem sui, quam ad amorem Dei difficilè est ei, vel saltem minus facilè contritionis actus elicere, quæ procedit ab amore Dei, quam elicere actum attritionis, quæ procedit ab amore sui. Consequentia patet ex terminis. Antecedens probatur. Tum quia ex dilectione Dei procedit pœnitentia adultorum, quæ est ad iustificationem necessaria, vt docet Trident. Tum quia Pœnitentia, quæ extrà Sacramentum hominem cum Deo reconciliat, est charitate perfecta, vt idem Trid. affirmat. Tum quia peccatorum remissio soli dilectioni tribuitur, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Tum quia *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*, vt inquit Augustinus ser. 7. Tum quia contritio, quæ proximè disponit ad Gratiam non perfectè conuertit peccatorem ad Deum absque supernaturali dilectione eiusdem: quoniam omnis alia conuersio inferior est ista: hæc verò ex genere, & obiecto suo formali, est omnium suprema, quia est ad Deum diligibilem propter se. Quoad primam verò partem eadem minor sic probatur. Attritio concipitur ex

Recupit. tom. 2. Theol. l. 2. q. 14. num. 45

Triden. sess. 7. c. 6
Luca 7.

August. ser. 7. de tēp. circ. inic.

pænæ infernalis metu: Ergò ex eo, quod homo magis propendet ad amorem sui quam Dei, facilius elicit actum attritionis per quem euitat gehennã, quod est maximum malum suum, quam actum contritionis, quo debet dolere de peccatis ob dilectionẽ Dei. Consequentia patet: quia qui magis amat se, quam alium, magis propendet ad euitandum malum suum, quam ad prosequendum bonum alterius. Antecedens definitur à Trid. vbi statuit dolorem ex gehennæ metu conceptum, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ: *Non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: sed verum donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis: quo pænitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.* Quam doctrinam etiam antè Concilium docuerunt duo primaria Scholarum lumina D.Th. & Scotus. Et post Concilium omnes ferè Theologi id etiam communissima voce fatentur, vt rectè ostendit Suarez disp. 20. sect. 1.

Trid. sess. 14. c. 4.

S. Th. 1. p. qu. 80. ar. 4. ad 2 & in 4. d. 17. q. 3. Scot. in 4. d. 14. q. 4. a. 3. & com. Theol. lo. 18.

148 Confirmatur secundò: quia multa reperiuntur discrimina (vt accuratè obseruat Beccanus) inter Leges Mosaicam, & Euangelicam: Nam illa erat vmbra: hæc veritas. Illa iram Dei operabatur: hæc virtutem. Illa temporaria fuit: hæc æterna. Illa vni populo data: hæc toti mundo. Illa seruorum fuit: hæc filiorum. Illa continebat Moysen: hæc Christum. Illa grauabat: hæc leuat. Illa Cælum claudebat: hæc aperit. Illa mortificabat: hæc viuificat. Sed parum referrent hæc discrimina, nisi facilior

Ad Ro. 1. & 4. Ad Ephes. 2. Isa. 11. Ad Galat. 4. Ad He. 1. & 2. Act. 15. Ad He. 9. 1. Cor. 2

cilior esset assecutio salutis in lege Euangelica, quam in lege Mosaica. Ergo facilius salutem consequuntur fideles in Ecclesia, quam olim Iudæi in Synagoga. Tunc sic. Sed ideò præcipuè pauci Iudæorum saluabuntur in lege Mosaica: vel quia non conferebatur eis tanta gratiarum copia, quanta fidelibus in lege Euangelica: vel quia ad consequendā salutem erat illis indispensabiliter necessaria contritio, quam non tam facilè, sicut attritionem elicere poterant. Ergo ideò præcipuè fidelium plerique saluantur, vel quia confertur eis maior gratiarum copia; vel quia non est eis absolutè necessaria contritio: sed sufficit vel contritio, vel sola attritio cum Sacramentis coniuncta, quam facilius elicere possunt, vt superius probatum est: siquidem facilius est homini dolere de peccatis, vt valeat æterna inferorum supplicia, bonorumque cælestium iacturam euitare, quod fit per attritionem, quam vt doleat de eisdem ob solū amorem Dei, illaque detestetur, quia Dei bonitati displicent, quod fit per contritionem. Contritio enim, quæ est summus, ac perfectissimus pænitendi modus, solius Amoris Diuini partus est: oditque peccatum, quia illud odit Deus: nec aliam causam habet detestandæ offensæ, quam quod ità mala est, vt summæ Dei bonitati displiceat: Attritio verò est detestatio peccati ad euitandam pœnā peccato debitam, nempè supplicia æterna, & amissionem cælestium bonorum: ex quo fit, vt peccator facilius atteratur, quam conteratur, cum magis propendeat ad amandum se,

In legè veteri ad iustificatio nem requirebatur necessariò cōtritio: In lege gratiæ sufficit attritio Sacram. adiūcta.

quam Deum, vt vult ipſemet Recupitus.

149 Confirmatur tertio: quia ſi qua eſſet difficultas in attritione elicienda, proueniret ex eo, quod regulatur à lumine fidei, quæ obſcurè proponit fæditatem peccati, & pænam gehennæ, quæ ſunt mala abſentia, & à ſenſibus abſtracta: Actus verò attritioni contrarij regulantur à cauſa naturali, quæ clarè proponit bona ſenſibilia præſentia, ad quæ magis propendet voluntas: Sed hæc facilitas, quæ magis inclinat hominem ad bona ſenſibilia, neque impedit facilitatem, neque vllam affert difficultatem eliciendi, ſi minus contritionem, ſaltem attritionem: ergo &c. Maior aſſeritur ab Aduerſario, vt videbimus infrà in ſolutione argumentorum. Minor verò probatur: quia videmus homines à motiuis inſenſibilibus, tam in ordine naturali, quam ſupernaturali abſque vlla difficultate moueri. Et quidem in ordine naturali clarè patet: nam turpitudo peccati indubiè eſt inſenſibilis: Item gloria, dignitas, fama, deſiderium ſciendi &c. ſunt quædam bona inſenſibilia: & tamen pro his, bona etiam ſenſibiliſſima contemnuntur: Quis enim (ſi mentis impos non eſt, & petulantiſſimè impudens) non ſe abſtinebit in loco patulo à delectabiliſſima actione cum obiecto quantumuis formoſo, & amabili? & tamen victoria inclinationis adeò vehementis rationem induit ſpiritualis qualitatis, ſicut eam induit in aliorum mente, fama, & infamia: æſtimatio, & contemptus. In ordine autem ſupernaturali etiam conſtat: nam motiuum

Facilitas qua mouetur homo à bonis ſenſibilibus non impedit facilitatẽ attritionis.

uum diuinæ fidei e. g. non est sensibile, sed omninò spirituale, nempè ipse Deus, vt prima Veritas: imò ipsamet Dei reuelatio est quadam obscuritatis caligine aspersa; nihilosecius tamen quando nitido euidentis credibilitatis pallio circumamicta refulget, profectò nulla est difficultas ei assentiendi, & super omnia credendi: quæ enim magna difficultas occurrit in credendo, legitimum successorem D. Petri esse Christi Vicarium? Certè hoc ab Orthodoxis facillimè creditur: neque vlla se obijcit difficultas, nisi ponatur ab homine maligno, & malitiosè cœco, qui potest etiam ineptè credere, Christum, infinitam Patris sapientiam, Ecclesiam suam, vel tanquam hydram, vel tanquam monstrum acephalum, vel tanquam confusionis synagogam ædificasse; Et tamen præfatum dogma Christianæ Religionis est cardo, & diuina fide credendum. Esto igitur, quod voluntas ex se, idest diuino lumine destituta magis inclinetur ad bonum sensibile præsens, & clarè cognitum, quã ad bonum abstractum, futurum, & obscurè cognitum. Nihilominus diuino illustrata lumine non impeditur à sensibilibus, quin facilè in actum attritionis erumpat: imò ipsa turpitudo peccati, & gehennæ pæna (quamuis vel omninò insensibiles, vel sub lumine obscuro fidei, vel sub vmbra abstractiuæ cognitionis absconditæ) tanquam acutissimi stimuli peccatores ad attritionem lacessunt, ad eamque tanquam impulsores propellunt.

150 Sed huic facilitati per attritionem conse-

quen-

Suarez disp. 15. sect. 4. requirit in articulo mortis, etiam cōtritionem cū Sacramen. pœnit.

quendi salutem obstare quodammodo videtur sententia Suarez cum paucis alijs, qui quamuis approbet sufficientiam solius attritionis cum Sacramento coniunctæ pro tempore vitæ: nihilominus putat, saltem in mortis articulo solam attritionem non sufficere: sed pænitentem in eo articulo per Sacramentum Confessionis iustificatum, adhuc ad contritionem eliciendam teneri.

Ratio autem, cui ipse innititur, est: quia homo ratione charitatis, quam ergà Deum, & se ipsum habere debet, tenetur in mortis articulo viam magis tutam eligere; sed tutior via, præter Sacramentum Confessionis, est adhibere medium contritionis. Ergo &c. Maiorem sic probat: quia opinio, quæ affirmat, solam attritionem cum Sacramento coniunctam ad iustificationem sufficere, non est certa: ergo poterit esse falsa. Dato igitur, quod sit falsa, moriens non iustificaretur, si cum sola attritione confiteretur: vt enim aliquis iustificetur, non pendet ex probabilitate suæ opinionis, sed ex ipsa Sacramenti iustificatione: ergo in tali casu propria charitas pænitentem morti proximum obligat ad contritionem, ne se æternæ damnationis periculo exponat. Adde, quod quamuis opinio nostra certa esset, adhuc tamen possemus dubitare, ne quid ex parte nostra, vel ministri omissum sit, quod ad validitatem Sacramenti sit necessarium. His tamen non obstantibus propugno sufficientiam solius attritionis in mortis articulo.

Dico

151 Dico igitur, etiam in mortis articulo ad Pænitentiæ Sacramentum contritionem vtilem quidem esse, non necessariam.

Probatur manifestè ex varijs Pontificum, & Conciliorum decretis. Nam c. Ægrotantes de Consecr. dist. 4. ex Concil. Carthagin. 3. cap 34. habetur, grauiter peccare Sacerdotem, qui pænitenti in mortis articulo absolutionem negat: quoniam ex eius defectu, posset contingere, vt ille damnaretur. Hinc liceat nobis argumentari sic. Si contritio ad pænitentiæ Sacramentum esset simpliciter necessaria, sequeretur hominem nunquam damnari posse ex defectu solius absolutionis à Sacerdote negatæ: consequens est contrà Pontificum, & Conciliorum decreta: ergo, & antecedens. Sequela probatur: nam pænitens morti proximus, vel habet contritionem, vel non? si primum? ergo saluatur etiam si careat absolutione: si secundum? ergo damnatur non ex defectu solius absolutionis: sed etiam ex defectu contritionis, quæ per Suaresium indispensabiliter, & necessariò requiritur.

In mortis articulo vtilis est cõtritio, non necessaria.

Cap. ægrot. de conseru. dist. 4. ex Conc. Cartha. 3. c. 34.

152 Confirmatur: quia certum est in lege gratiæ peccatorum remissionem non debere difficiliorem esse, quam in lege scripta, quæ erat damnationis, & mortis lex: sed longè difficilior esset: quia in lege scripta, contritio sola semper sufficiebat: in lege autem gratiæ, necessaria esset etiam contritio, & præter contritionem requireretur confessio: Ergo Christus, qui Auctor est legis gratiæ, non alleuiasset

gra-

graue iugum veteris legis: ſed potius, adiecto cumulo, aggrauaſſet; quod nemo eſt, qui credat, vel poſſit credere: præſertim quia ſine vlla probabili ratione hoc aſſerunt Aduerſarij. Adde quod quilibet nouitatis amans eodem prorſus iure, idem de Baptiſmo adultorum poſſet aſſerere, nempè quod ad eum ſola attritio non ſufficeret, ſed etiam requireretur contritio; cum non ſit maior ratio de vno Sacramento, quam de alio: omnia enim argumenta ab Aduerſarijs prolata, ſi quid probarent de neceſſitate contritionis ad Sacramentum pænitentiæ, probarent de neceſſitate eiuſdem ad Baptiſmum.

152 Ad rationem verò Suareſij reſponderi poteſt diſtinguendo maiorem. Tenetur viam tutiorem, & methaphyſicè certam eligere: nego maiorem; Tenetur viam tutiorem, & moraliter certam eligere, concedo maiorem: & hac conceſſa nego minorem, ad cuius probationem diſtinguo iterum antecedens. Non eſt certa certitudine methaphyſica, itaut methaphyſicè tollat omne dubium: concedo antecedens: Non eſt certa certitudine morali, & quæ omne practicum dubium oppoſitæ partis tollat: nego antecedens: Vndè etiam nego conſequentiam, quod noſtra opinio poſſit eſſe moraliter falſa: quia ſolum differt à tuta ſecundum magis, & minus intrà eumdem certitudinis gradum: nam etiam ſi quis conetur ad contritionem habendam, nunquam de illa erit methaphyſicè certus. Ex quo patet, quod ille, qui confitetur in articulo mortis cum ſola attritione

Vt via ſalutis ſit tutior ſufficit, vt ſit moraliter certa: quãuis non habeat methaphyſicam certitudinem.

tione cognita non se exponit probabili damnationis periculo: quia contraria Suaresij, & paucorum aliorum sententia, licet possit esse methaphysicè vera; moraliter tamen esse vera non potest; Nam adeò clara sunt Concilij verba, quibus vniuersaliter, & sine vlla restrictione dicit, hominem per attritionem cũ Sacramento ad gratiam disponi, vt moraliter certam faciant opinionē de sufficientia attritionis cum pænitentiæ Sacramento coniunctæ, ità vt eam in dubium non liceat reuocare.

153 Adde, quod si quis, vt propriæ saluti consuleret, teneretur adhibere remedia methaphysicè, & non moraliter certa, sequeretur, teneri iterum baptizari; quia incertum est, vtrum cum legitima intentione fuerit baptizatus; Teneri etiam, semel elicita contritione, pluries illam repetere: non enim certè scit, vtrum prima vice fuerit verè contritus. At verò quod sola attritio cum Sacramento sufficiat, est ità moraliter certum post Tridentinum, vt nullus dubitationi locus esse possit. Certius enim est hoc, quam quod habuerit veram contritionem, seu baptismum; Vndè si non tenetur ex præcepto iterum conteri, seu baptizari; multò minus tenetur independenter à confessionis Sacramento conteri; vt igitur, pænitens morti proximus propriæ charitati satisfaciat, sat est, quod vtatur remedijs, non methaphysicè, sed moraliter certis. Adde vlterius, quod si præcepto confessionis adderetur mandatum contritionis, iugum Euangelicæ legis esset graue, non

Addere contritionem praecepto confessionis esset reddere nimis graue Euangelicae legis iugum. Contritio remittit peccata in voto confessionis: nō confessio in voto contrit.

leue, quod contradiceret Christo dicenti: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Adde insuper, quod ex contraria sententia sequeretur etiam confessionis Sacramentum remittere peccata in voto contritionis suo tempore exercendæ, quod esse falsum, constat ex Tridentino sess. 14. cap. 4. docente, potius contritionem peccata remittere in voto confessionis: Absolutio enim sacramentalis est vltima sententia decretoria, soluens reum ab omni vinculo peccatorum, quo ligatus tenebatur iuxtà illud Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur &c.* Demum ex nullo capite tenetur homo, etiā moriens, conteri cum confessionis Sacramento. Non enim tenetur ex præcepto charitatis ergà Deum: quia licet hoc obliget in fine vitæ: non tamen obligat ad detestanda peccata iam confessa, & remissa. Neque ex præcepto charitatis ergà se: quia iam supponitur per confessionem iustificatus, & de sua iustificatione certus. Neque ex virtute ipsa pænitentiæ, qua debet Deo pro illata iniuria satisfacere, quia Deus est magis contentus satisfactione, quam ei in pænitentiæ Sacramento exhibemus: pænitentiæ enim Sacramentum operatur in virtute meritorum Christi, quæ medio hoc Sacramento nobis communicantur, vt ex Trident. sess. 6. cap. 7.

154 Collige primò contrà hæreticos nostri tē-poris: quod quamuis attritio sit timor seruilis, est tamen bonus, quia honestus, & ordinatus. Vndè nota, timorem seruilem duplicem esse: alterum cum serui-

litate,

litate, sine seruilitate alterum: Prior est malus, quia homo per illum abominatur peccatum, ob id dumtaxat, quia ipsum reddit pæna dignum: & simul hunc actum, siuè expresſè, siuè implicitè includit: *Si pæna imposita non eſset, omninò vellem peccare*. Posterior bonus est: quia homo per illum, vel detestatur peccatum, eò quod eum reddit æterna pæna dignum, vel quia eum priuat iure, quod ad beatitudinem habebat: Vndè neque expresſè, neque implicitè includit hunc actum. *Peccarem, si peccato pæna æterna imposita non eſset*. Timor igitur seruilis cum seruilitate malus est, quia saltem virtualiter includit actum illum, *si non eſset pæna, peccare vellem*: & simul excludit omnem alium actum nempè: *Magis peccatum detestarer, quam pænam*: *Quia* (vt inquit Augustinus) *viuit in eo peccandi voluntas, quæ tunc speratur in opere, quando speratur impunitas*. Timor verò sine seruilitate excludit etiam virtualiter actum illum: *Si non eſſet pæna, peccarem*, & omninò includit alium actum perfectiorem, scilicet, *magis eligo pænam, quam peccatum*. Est igitur talis timor bonus, imò honestus, & ordinatus; Honestus, quia licet actus attritionis proximè ordinetur ad euitandam pænam, ex cuius timore elicitur; non tamen excludit Deum vltimum finem, sed ad eum implicitè dirigitur, & refertur. Est etiam ordinatus, quia modus vitandi peccata propter pænas à Deo impositas, est maximè connaturalis homini peccatori, qui ad detestandum peccatum maximè ducitur timore supplicij; Deus autem quantum fieri

August. conc. 25. in Psal. 118.

potest se accommodat modo operandi connaturali hominis in eius salute procuranda. Sicut ergò in quauis benè ordinata Republica duplex est modus excitãdi, & impellendi Ciues ad virtutes consectandas, & vitia declinanda; alter per amorem præmiorum: alter per timorem pænarum; Ità Deus summus Gubernator hoc duplici modo homines ad salutem excitat, & impellit: tum præmiorum amore, & spe: tum pænarum timore, & metu.

155 Collige secundò ex dictis, tam tempore vitæ, quam in articulo mortis solã attritionem, etiam cognitam, ad pænitentiæ Sacramentum sufficere: quod ità clarè astruitur à Tridentino sess. 14. cap. 4. vt qui tantam claritatem non videt, esse omninò cæcum oporteat. Dicit enim, *Attritionem, quamuis sine Sacramento ad iustificationem conducere nequeat; potest tamen eum ad gratiam in Sacramento impetrandam disponere*. Quæ verba rem adeò perspicuè definiunt, vt meritò dicat ipse met Suarez cõtrarium asseri non posse sine errore. Et quod plus est eam definit vniuersaliter, & sine vlla restrictione, vndè sufficientiam solius attritionis cum Sacramento, etiam ad mortis articulum videtur clarissimè insinuare, & ostendere. Neque obstat, quod ibi Concilium dicat, per attritionem non causari: sed impetrari gratiam in Sacramento: Nam nomine *Impetrationis* Conciliũ intellexit causalitatem vel physicam, vel moralem propriam Sacramenti: quia eodem modo loquitur etiam de contritione: Vndè Isambertus refert, Faculta-

Triden. sess. 14. c. 4.

Sola attritio etiam cognita sufficit ad Sacramentum pænitẽtiæ.

Isamb. disp. 14. de pæni. n. 5.

cultatem Parisiensem 1. Iulij anno 1636. doctrinam de contritionis necessitate in Sacramento, & attritionis insufficientia omninò damnasse, ac pronunciasse, illam esse perturbatiuam quietis animarum; communi, & omninò tutæ praxi Ecclesiæ contrariam: efficaciæ Sacramenti imminutiuam; & insuper temerariam, ac erroneam. Neque interpretandum est Concilium de dispositione remota, ac si intendisset dicere, attritionem esse solum remotam dispositionem ad gratiam: quasi proximè disponeret hominem ad contritionem impetrandam, & per contritionem ad gratiam. Nam ex hoc sequeretur, neminem cum attritione confiteri, qui ex opere operato, & infallibiliter, non eliceret actum contritionis, cum effectus Sacramenti sint infallibiles, quod tamen esse contrà experientiã videmus. Adde, attritionẽ aliter disponere ad gratiam, quando iungitur Sacramento, aliter quando est sola: sed quando est sola potest impetrare contritionem: Ergo in Sacramento non solum impetrat contritionem, sed etiam aliquid plus, nempè gratiam. Adde vlterius, quod Concilium comparat attritionem contritioni in hoc, quod sicut contritio disposuit omni tempore ad gratiam, ità attritio ad eamdem disponit, quando Sacramento coniungitur: sed contritio fuit omni tempore dispositio vltima, & proxima ad gratiam: ergo etiam attritio absolutioni in Sacramento coniuncta, est ad eamdem gratiam vltima dispositio, & proxima. Vellem tamen hìc, tanquam valdè proficuum, vt vnusquisque ani-

Attritio cum Sacramento est vltima dispositio ad gratiam.

Consulēda est fidelibus contritio in articulo mortis.

animaduerteret, quod quāuis cōtritio etiam in mortis articulo necessaria non sit; adhuc tamen Christianis omnibus suadenda est, & morientibus, ac sospitibus simul, etiam cum fastidij periculo explicanda. Consultum enim est, eam ad confessiones singulas adhibere, si non tanquam necessariam, saltem tanquam magis vtilem, & meliorem: sicut etiam vtilissimum est, illam eo tempore elicere, quo quis se exponit ad pericula quælibet adeunda, vel longorum itinerum, vel difficilium nauigationum, vel imminentis conflictus, & similia. Vtile demum, & bonum est vnumquēq; fidelem conteri ad quotidianum conscientiæ examen antè somnium, vt sic singuli se componant ad mortis imaginem, veluti ad ipsam mortem: hoc enim facientes, euadent periculum, quod incurrit nobilis ille, ac diues Cardinalis Bellarmini amicus, qui à mortifero crimine ad morbum mortiferum cum incidisset, ab eodemque instructus de pænitentiæ virtute, & ad actum contritionis eliciendum inuitatus, non semel, sed pluries respondit, se illa, quæ de contritione asserebat, non intelligere: sed suprà suum captum esse: & paulò post miserrimè mortuus est, relictis suæ damnationis patentibus inditijs.

156 Collige tertiò faciliorem esse in lege gratiæ, quam in lege scripta consecutionem salutis: Tum quia media à Deo instituta ad eam assequendā, nimirum Sacramenta, sunt omnibus, & singulis fidelibus adultis peruia, & facilè applicabilia: Tum quia,

cum

Facilior est asʃecutio ſalutis in lege gratiæ, quã in lege ſcripta.

cum homo (quod ipſe Recupitus aſſerit, & nos pro nunc permittimus: quamuis abſolutè non concedamus) magis propendeat ad amorẽ ſui, quam ad amorem Dei, etiam vt finis naturalis, ſed ſuper omnia diligibilis: conſequenter facilius inclinat ad euitandum malum ſuum, quam malum Dei: nec non ad proſequendum bonum ſuum, quam bonum Dei: quilibet enim, qui magis amat ſe, quam alios, magis conatur euitare malum, & proſequi bonum ſuum, quam malum, & bonum alterius. Facilius eſt igitur fidelibus in lege gratiæ elicere actũ attritionis, qui procedit ex metu pænæ gehennalis, & iacturæ cæleſtium bonorum, quam erat Iudæis in lege ſcripta elicere actum contritionis, cuius formale motiuum eſt peccatum, vt offenſiuum Dei finis ſupernaturalis ſuper omnia diligibilis. Ex quo fit, vt fideles facilius conſequantur ſalutem in lege Euãgeliea, quam conſequebantur Iudæi in lege Moſayca: nam in Moſayca ad ſalutem neceſſariò requirebatur contritio: in Euangelica verò ex meritis Chriſti ſufficit tantum attritio coniuncta cum Sacramento, quæ delictorum veniam meretur, qualem prius ſola obtinebat contritio.

157 **Pro coronide huius doctrinæ, vt ſciat vnuſquiſq; quomodo, regulariter loquendo, & ſecundũ ordinarium, & cõmunem curſum gratiæ, fiat peccatoris conuerſio, iuuat hìc afferre dulciſſima quædam verba, quæ B. Andreas Auellinus Clericorum Regularium ſplendidiſſimum iubar in libello de ſpe, & metu**

tti nuper Neapoli impresso, exarata reliquit cap. 59. quæ latinè fidelissimè transcripta sic sonant. *Abstinere se à malo, ac diuina seruare pręcepta ex timore pœnarum temporalium, & æternę, quamuis bonum, & honestū sit: non tamen est meritorium* (de condigno) *qui enim* [*vt Augustinus asserit*] *ex timore pręceptū seruat, quamuis id agat, quod bonum est, non tamen illud agit, vt agere tenetur. Nihilosecius tamen seruilis timor à Deo est, & valdè vtilis: quia declinare facit hominem à malo, eumq; ad charitatem disponit, quę ad cor hominis ascendens seruilem timorem foris expellit: qui enim ex seruili timore declinat à malo, & pręcepta seruat, benefacere consuescit; bonusque habitus, quem facit, Spiritui Sancto pręparat habitaculum, qui corda hominum diuina charitate perfundit: & hæc posteà introducta, seruili timore expulso, operatur, vt omnia deinceps ex amore Dei fiant; & vt peccator doleat se offendisse Deum, à quo, & esse, & innumera accepit beneficia; crescente autem amore decrescit timor. Et quamuis homines deberent se abstinere à malo, & benè operari ex Dei, & virtutis amore potius, quam ex timore pęnarum sibi, vel ab humanis legibus, vel à diuinis scripturis comminatarum: nihilominus quia peccatores animæ gustum vel contaminatum habent, vel deprauatum ab inordinato mundanarum rerum amore, quas corporeis perspiciunt sensibus, à quibus pręoccupati, gustare nequeunt spiritualia, diuinā scilicet bonitatem, ac virtutem; Idcircò narrare audientes grauissimas pœnas, quas sine fine patientur peccatores, qui in hoc mundo, nec pęnitentiam de peccatis agunt, nec diuina seruant mandata, solo pęnarum*

timore

timore [quę si non essent, adhuc in suis perdurarent peccatis] vitam emendant in melius. Sicuti, exempli gratia, infirmus, si mentis impos non est, se abstinet à rebus noxijs [licet in eis sibi complaceat] solum per hoc, quod scit res illas, morbo grauescente, posse sibi mortem inferre: libenterque potiones, à quibus abhorret, medicinasque amarulentas absorbet: & vt sanitatem adipiscatur, mortemque deuitet, vim facit sibi ipsi: relictisque rebus, quæ placent, eas solummodò sumit, quę displicent. Ita peccator audiens, hominem in peccato perseuerantem, ad æternas inferni pœnas descensurum: quamuis in peccatis sibi complaceat, eique displiceat, lenocinantia sensus oblectamenta deserere; nihilominus vim sibi infert, & omninò dimissa voluptate, qua in peccatis afficiebatur, incipit benefacere, & pręcepta seruare, vt æternam mortem euadat: sicque ambulans per viam mandatorum Dei [quamuis ea cum labore, pęna, & displicentia seruet] paulatim ad charitatem se disponit: audiens enim, bona opera ex solo timore pęnarum facta, cęlestis glorię meritoria [de condigno] non eße, iam indè in bonis operibus aßuetus, ad Deum ex toto corde se conuertit, dirigitque ad eius honorem omnes suas cogitationes, locutiones, & operationes: & sic deinceps cum delectatione, & complacentia seruat mandata Dei virtute charitatis, quę iam dilatauit cor suum iuxtà illud Prophetę: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

159 Hæc B. Auellini doctrina cõsona prorsus est catholicæ Theologiæ. Quinque enim sunt actus, qui ordinariè contritionem pręcedunt. Primus est fidei.

Secundus timoris seruilis. Tertius spei. Quartus amoris. Quintus timoris filialis, quem sequitur vera contritio. Deus igitur aperiens oculos peccatoris dormientis proponit ei magnitudiuem æternæ pænę peccatis ipsius paratæ, quem fidei actum vbi mens elicuit, commota illicò voluntas, tangitur salutari pænarum metu, & peccatum horrere incipit, quo illas promeruit; *Illuxerunt* (inquit Dauid) *fulgura tua orbi terræ: vidit, & commota est terra*. Sed aliundè tamen firmissima diuinæ misericordiæ fiducia in certissimam spem erigitur consequendæ veniæ: & abstersa omni dubitatione accedere audet ad thronum gratiæ, ibique expectat, exposcitque auxilium opportunum. Indè verò crescente luce, tum peccati fæditatem, tum bonitatem diuinam ad ignoscendum paratam manifestante, raptus in admirationem, & Dei, & sui, incipit, partim illius amore, partim sui odio exardescere, donec tandem Deum agnoscens, vt Patrem, peccatum iam non vt malum suum, sed vt malum Dei considerat, horretque illud, quà tale, idest vt malum quodammodo immensum, ac infinitum: vndè prorumpit statim in detestationem, dolorem, ac propositum, tam graue puniendi malum, & nunquam deinceps illud committendi, quæ (vt vides) vera, & perfecta contritio est, ab explicatis illis quinque actibus distincta. Et hic est ordinarius gratiæ progressus: non est tamen necessarium, vt ità semper progrediatur: sed post actum fidei (qui necessarius semper est immediatè) potest voluntas per gratiam

adiuta,

adiuta, in actum perfectæ contritionis erumpere, sine actibus timoris seruilis, spei, amoris, & timoris filialis formaliter elicitis.

PARAGRAPHVS SEPTIMVS.

In quo suadetur eadem veritas ex bonitate, & misericordia, qua Deus respicit in suos fideles.

160 ALtera ratio sumitur ex bonitate, & misericordia Dei: vndè sic conficio argumentum. Paucitas fidelium saluandorum magnum afferret præiudicium bonitati, & misericordiæ diuinæ: Ergo non est asserenda. Antecedens probatur: quia magnum est præiudicium diuinæ bonitati, & misericordiæ, auferræ ab ea, vel minuere quod est ei maximè proprium nempè misereri semper, & parcere: necnon esse ex se diffusiuam, ac maximè communicatiuam sui, siue intensiuè, siuè extensiuè: sed paucitas saluandorum, si minus aufert, saltem minuit extensiuè suam misericordiam, necnon sui diffusionem, & communicationem: quò enim paucioribus, vel pluribus se communicat, eò magis, vel minus est sui diffusiua: Ergo paucitas saluandorum, Dei misericordiæ, & bonitati magnum afferret præiudicium.

Paucitas fidelium saluandorũ præiudicare videtur bonitati & misericordiæ diuinæ.

161 Confirmatur primò: quia Deus (vt suppono cũ Magistro, D. Th. Scoto, & alijs communiter) quos elegit ad gloriam, elegit ante præuisa merita, & con-

Magist. S. Tho. Scotus, & alij.

ſequenter non ex iuſtitia, ſed ex mera miſericordia iuxtà illud ad Rom.9. *Miſerebor, cuius miſereor: & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor*; ideſt, vt clarius dicitur Exod.33. *Miſerebor, cui voluero, & clemens ero, cui mihi placuerit*. Ergo multitudo, vel paucitas ſaluandorum non pendet à multitudine, ſeu paucitate merentium: ſed ſolum reducitur ad diuinam voluntatem: nam diuina voluntas ex Lyrano, *ex mera liberalitate aliquos eligit ad Regnum, alijs dimiſsis*: & ideò dixit Chriſtus Apoſtolis: *Complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum*: quibus verbis (vt omnes interpretes ex ſententia Maldonati obſeruant) ſignificauit, *Regnum Cęlorum gratioſa Dei voluntate, & benignitate eſſe nobis ſine noſtris meritis prędeſtinatum*. Tunc ſic: ſed Dei voluntas ad eligendos aliquos ad gloriam mouetur à diuina bonitate, & miſericordia iuxtà illud ad Epheſ.1. *Qui prędeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. Vnde Deus*(inquit Mald.) *in Chriſto antè mūdi conſtitutionem prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum &c. Fecit hoc ſecundum placitum voluntatis ſuæ, vt nemo de ſua, ſed de illius ergà ſe voluntate glorietur. Fecit hoc ſecundum diuitias gratiæ ſuæ, ſecundum bonam voluntatem ſuam, quam propoſuit in dilecto filio, in quo ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum, non noſtrum, ſed eius, qui vniuerſa operatur*. Ergò cum diuina bonitas ſit maximè diffuſiua, & ſui communicatiua, incredibile eſt, mouere Dei voluntatem ad communicandum ſe paucis ex fidelibus,

Exod. 33.

Luc.12. 32.

Ad Epheſ.1.

Maldō.

libus, nullo adhuc posito ex parte ipsorum demerito.

162 Confirmatur secundo, & magis explicatur hæc doctrina. Ex hoc, quod nos prædestinationem ad efficacem Dei voluntate refundimus (omninò exclusa dependentia à meritis, tanquam à causis, seu motiuis, aut conditionibus) non intendimus negare liberum hominis arbitrium consentire, & liberè cooperari ad sui iustificationem, & salutem (hoc enim de fide certum est, & definitum in Tridentino contrà Lutherum, qui dicebat, in iustificatione liberum arbitrium non cooperari Deo mouenti, & excitanti: sed merè passiuè se habere, recipiendo motum à solo Deo productum; sed solum intendimus Deum talem consensum ab humana voluntate, non expectare, vel supponere: sed illum intus in corde hominis efficere per suam gratiam præparantem, & applicantem, vt clarè explicat, & docet Augustinus his verbis: *Quapropter, vt in Deum credamus, & pie viuamus, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: non quia velle non debemus, & currere: sed quia ipse in nobis, & velle operatur, et currere.* Et alibi: *Nos ergò volumus: sed Deus in nobis operatur, et velle: Nos ergò operamur: sed Deus in nobis operatur et operari pro bona voluntate: hoc nobis expedit, et credere, et dicere: hoc est pium, et verum, vt sit humilis, et submissa confessio et detur totum Deo; Deus enim* (vt ait Apostolus) *operatur in nobis, et velle, et perficere pro bona voluntate.* Et in hoc sensu intelligendus est Ambrosius, quando exponens illud

August. epi. 107

Idem libro de dono perseuerantia c.13.

Apo-

S. Ambros. Apostoli, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, ait: *Deus vult omnes saluos fieri, si accedant ad ipsum: non enim sic vult saluare, quod nolentes saluentur: sed vult saluare, si ipsi velint*. Ibi enim solum intendit explicare consensum, & cooperàtionem liberi arbitrij concurrentis ad iustificationem, & salutem hominum: & voluit solum declarare, qualiter Deus saluet homines, non contradicentibus ipsis, neque coactis, vt constat ex illis verbis: *Non enim sic vult saluare, quod nolentes saluentur*. Vndè quando addit, quod *Deus vult saluare homines, si ipsi velint*, intendit non quod Deus expectet voluntates hominum, vt olim dicebant Semipelagiani: sed quod vult saluare, si velint: faciendo tamen ipse, quod velint, non coactè, sed liberè, & spontaneè: vt enim ait Augustinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 9. *Deus nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines* (quod fieri non potest) *nolentes credant: sed vt volentes, ex nolentibus fiant*. Si igitur Deus (vt ex his omnibus constat) ex beneplacito suæ voluntatis eligit aliquos ad gloriam, nullo iam posito, & præuiso ipsorum demerito: si electis ad gloriam ipse præparat media efficacia, vt eam consequi possint: si ipse facit, vt electi velint saluari, & gloriam consequi: Si merita, quibus vult, vt saluentur ipsemet donat iuxtà illud Augustini: *Deus dum coronat merita nostra, coronat dona sua*. Si totum hoc præstat diuina voluntas ex propria misericordia, & bonitate? Quis est qui credat, diuinam bonitatem, quæ ex suis intrinsecis est maximè sui diffusiua, non moue-

S. Aug. lib. 1. ad Bonif. cap. 9.

August.

re Dei

re Dei voluntatem ad communicandum se maiori fidelium parti, eamque ad gloriam eligere, & saluare?

163 Confirmatur tertiò: quia Deus saluando fideles videtur veluti multiplicare misericordiam suam iuxtà illud Psalmi 35. *Quoniam multiplicasti misericordiam tuam.* Ergo quò plures saluat, eò magis misericordiam multiplicat: sed ex eo quod diuina bonitas est maximè sui diffusiua, non est credendum, velle contrahere, sed potius dilatare, atq; adeò multiplicare misericordiam suam: ergo credendum est, non paucos, sed multos fidelium adultorum saluare, iustos scilicet, & peccatores pænitētes: idcirco enim ibidem ait Psalmista, *Homines, & iumenta saluabis Domine*: ad significandum, quod Deus, vt suam misericordiam multiplicet, non solum saluat innocentes, qui viuunt, vt veri homines iuxta dictamen rationis, subijcientes carnem spiritui, & spiritum Deo: sed etiam peccatores, qui tanquam iumenta stolida prætermisso rationis vsu, brutaliter viuunt, eos misericorditer ad pænitentiam reuocando: hoc enim faciens suam misericordiam veluti multiplicat: vndè Incognitus meus hìc. *Nonnè tibi videtur* (inquit) *magna misericordię diuinę multiplicatio, quod homines gratis creat, conseruat, & ad pænitentiam vocat?*

Psal. 35.

In salute plurimorum misericordia Dei, quasi multiplicatur.

Incognit. hic.

164 Confirmatur quartò. Deus ex sua bonitate, & misericordia allectus, ex suis intrinsecis, & proprijs habet, vt iterum benefaciat, cui semel benefecerit; & quamuis initio nulla sit obligatio benefacien-

ciendi, sed gratis benefaciat; primum tamen beneficium præstitum est ei potissima ratio nouum beneficium præstandi: sapienter enim Seneca: *Non mentior* (ait) *si dixero, neminem non amare beneficia sua, cui non causa sit iterum dandi beneficij, semel dedisse; Cui initio non fuisset ratio pręstandi, aliquid ei pręstamus, quia pręstitimus*. Quod si hoc verum est in hominibus, quantò potiori iure in ipso Deo? Sed Deus præ cæteris omninò hominibus multa præstitit gratiæ beneficia fidelibus orthodoxis: eis enim dedit filium suum in præcipuum Saluatorem: eis contulit potestatem per baptismi lauacrum filios Dei fieri: eos in fide catholica sacro Chrismate confirmauit: eos de fidei mysterijs per Parochos, Confessores, & Prædicatores instruxit: eos Sacramento corporis, & sanguinis Filij sui cibando, atque potando nutriuit: eis, ne in mare huius vitæ naufragium facerent, Sacramento pænitentiæ, quæ est secunda post Baptismum tabula, prouidit: & vt paucis plura complectar, eos à regno Sathanæ ereptos, ad Ecclesiæ Romanæ regnum (extrà quod salus non est) misericorditer transtulit, *Sorte vocando eos* (vt ait Apostolus) *secundum propositum voluntatis suæ &c. Et dignos fecit eos in partem sortis Sanctorum in lumine, & eripuit eos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habet remissionem peccatorum*. Ergò non est ambigendum, sed piè credendum, Deum ex sua bonitate, & misericordia, si minus omnibus, saltem plerisque fidelium postremum, & præcipuum æternæ fæli-

Seneca lib. 4. de benefic cap. 11.

Ad Eph. 1. 11. Ad Coloss. 1. 11

fælicitatis beneficium conferre : ipsum enim præstitisse antecedenter tot gratiæ beneficia, est ei potissima ratio, vltimatum, & excellentius gloriæ donum conferendi. Hinc S. Anselmus in prologo cap. 10. affirmat Deum dici iustum, non solum quando debitum reddit, sed etiam quando præstat, & facit, quod suæ bonitati conuenit, & consentaneum est; vndè semper in ordine ad suam bonitatem, tùm parcendo, tùm puniendo est simul misericors, & iustus. En elegantia S. Anselmi ad Deum loquentis verba. *Alio modo iustè punis malos : alio modo iustè parcis malis : cum enim punis malos, iustum est : quia eorum meritis conuenit ; cum verò parcis malis, iustum est : non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuæ condecens est ; Nam parcendo malis, ità iustus es secundum te, & non secundum nos : sicut misericors es secundum nos, non secundum te, saluando nos, quos iustè perderes ; sicut misericors es non quia tu sentias affectum ; sed quia nos sentimus effectum, ità iustus es, non quia nobis reddis debitum : sed quia facis, quod decet te summum bonum.*

S. Ansc.

Iustus est Deus, & quando reddit debitũ, & quando facit, quod cõuenit suæ bonitati. S. Ansel.

165 Respondet primò Recupitus, argumẽtum principale (si quid probat) probare plusquam intendit : ex eo enim, quod Dei bonitas est sine mensura, deberet mouere efficaciter voluntatem ad communicandum se per gloriam, non certis fidelibus, sed omnibus, quod est falsum.

Responsio Recupiti ad rationẽ principalem.

166 Sed contrà: quia diuina bonitas communicans se ad extrà mouet volũtatem ad diffusionẽ sui, non secundum appetitum innatum, & necessarium,

ſed ſecundum appetitum elicitum, & liberum: Hoc enim importat bonum, quod eſt in Deo, vt ad intrà moueat voluntatem neceſſariò ad ſui communicationem illimitatam, & infinitam: ad extrà verò moueat eam ad diffundendum ſe pro creaturarum modulò, & captu. Ergo diuina bonitas ex ſua libertate habet, vt ſe per gratiam, & gloriam communicet his, & non illis: vel paucioribus, & non pluribus: vel nõ multis, ſed paucis; vel non paucis, ſed multis. Si igitur quæras cur Deus non omnibus hominibus promiſcuis, fidelibus ſcilicet, & infidelibus ſe per gratiam communicet? Reſpondet Auguſtinus locis ſupracitatis, hoc tanquam in cauſam reduci in peccatum originale, & culpam primi Parentis, qui totum genus humanum Deo reddidit valdè exoſum. Et ſi iterum quæras, cur ex fidelibus adultis non pauci, ſed multi ſaluentur? Reſpondeo, hoc vt in cauſam reduci in ſolam Dei bonitatem, ac liberum eius voluntatis beneplacitum. Nam cum diuina bonitas ex vna parte ſit maximè ſui diffuſiua; & ex alia totum electionis negotium refundatur in liberum beneplacitum voluntatis, quæ ab ipſa bonitate mouetur: profectò non eſſet diuinæ bonitati conſonum, & conueniens, ſe ſuper paucos fideles per gratiam, & gloriam diffundere: ſed ei potius conſentaneum eſt, immò iuſtum ſecundum Anſelmum, malis etiam fidelibus parcere, eoſque ad pænitentiam vocando ſaluare. Qui ergo ſentit, pleroſque fidelium eſſe damnandos, paucos ſaluandos, non videtur benè ſentire de

Cauſa cur non omnes ſaluentur.

de bonitate Dei contrà illud, vel consilium, vel præceptum Sapientiæ c. 1. *Sentite de Domino in bonitate*.

167 Respondet secundò Recupitus ad primam confirmationem, argumentum non militare contrà ipsum, siquidem ipse ponit voluntatem efficacem, non absolutam, sed conditionatam saluandi omnes, si per ipsos non steterit, positis medijs conuenientibus ex parte Dei. Vndè infert, quod omnes prædestinarentur à Deo, si videret omnes ex parte sua, ità cooperaturos auxilijs, vt forent perducendi ad finem per media conuenientia cursui ordinario gratiæ, quibus pauci præuidentur cooperaturi; ità vt si alij prædestinarentur, oporteret eos perduci ad finē per media, quæ intellectus diuinus iudicat in talibus circumstantijs non conuenientia, quod est alienum ab ipsa bonitate diuina.

Responsio Recupiti.

Sed contrà: nam dato quod eius sententia sit probabilis (de quo modo non disputo) saltem ipse negare non potest, sententiam contrariam, quam nos sequimur de voluntate absoluta efficaci antecedente omnem præuisionem meritorum esse longè probabiliorem, vtpotè innixam auctoritatibus sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & specialiter Augustini, necnon D. Thom. & Scoti scholarum Angelicæ, & subtilis Choriphęorum, ex quorum vnanimi in hoc asserto consensione, ipsemet Recupitus infert sententiam hanc esse maximè veram. Ex quibus omnibus etiam sequitur, sententiam de multitudine fidelium saluandorum, & paucitate damnandorum,

Præcluditur hęc euasio.

dorum, esse longè probabiliorem, vtpotè quæ solidioribus innititur fundamentis, quando Aduersarij sententia potius Theologicis acuminibus, quam firmis fundamentis videtur innixa.

PARAGRAPHVS OCTAVVS.

In quo veritas Conclusionis statuitur ex zelo, quem habet Deus, ne fama suæ bonitatis apud Catholicę Fidei hostes periclitetur.

168 QVarta ratio potest deduci ex zelo, quem habet Deus: ne fama, & gloria suæ bonitatis, apud Ethnicos, & Hæreticos infestissimos Fidei hostes in aliquod discrimen incurrat: Vndè sic potest confici argumentum. Deus sæpè sæpius Populum suum è temporalibus calamitatibus eruit, ne fama, & gloria suæ bonitatis, & misericordiæ apud hostes periclitaretur: sed si ex fidelibus adultis, pauciores saluarentur, & plures damnarentur, suæ bonitatis, & misericordiæ gloriosa fama apud Ethnicos, & Hæreticos non modicum periclitaretur: ergo ne suę bonitatis, & misericordiæ gloriosa fama apud hostes aliqua macula notetur, piè credendum est, ex adultis fidelibus, longè plures saluare, quam damnare. Maior constat ex pluribus Scripturæ locis. Primò ex lib. Reg. Vbi Samuel promittens Populo diuini Numinis patrocinium. *Et non derelinquit*, ait, *Populum suum Deus propter nomen suum.*

1. Reg. cap. 12. num. 22

suum. Quasi diceret iuxtà expositionem Carthus. Abulensis, & Vatabli: Deus non derelinquet populum suum: sed studiosissimum se ei præbebit defensorem: & hoc *Propter nomen suum*: idest eos à malis ingruentibus proteget, non propter eorum merita: sed ne Dei hostes de ipso malè opinari incipiant: & sic illa gloriosa suæ bonitatis, suæque beneficentiæ fama apud gẽtes discrimen incurrat. Secundò ex illo Isaiæ 48. vbi Deus per os Prophetæ ait: *Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer: & gloriam meam alteri non dabo*. Et ex illo Ezechiel. 36. *Non propter vos ego faciam domus Israel: sed propter nomen sanctum meum*. Vt intelligeret populus, beneficium protectionis, quo eum Deus ab ingruentibus calamitatibus eruebat, non ex populi meritis, sed ex zelo sui sancti Nominis promanasse, ne à gentibus blasphæmaretur, & misericors eius bonitas apud hostes sortiretur infamiam. Tertiò ex illo Ezech. 20. vbi Deus testatur se abstinuisse ab Israelitarum exterminio, quod iam decreuerat, ne sui nominis gloria coram gentibus violaretur. *Auerti autem manum meam* (inquit) *& feci propter nomen meum, vt non violaretur coram gentibus, de quibus eieci eos in oculis eorum*. Quartò ex illo Exodi 32. vbi Moyses diuinam misericordiam ergà populum deprecatus, hanc ei rationem allegauit. *Ne quæso dicant Aegyptij, callidè eduxit eos ut interficeret in montibus*. Qua ratione vix audita. *Placatus est Dominus*, ait sacer Textus, ne fortè interiret fama, quam de Dei ergà populum beneficientia gentes

Dionys. Carthu. Abulen. Vatabl.

Isai. 48. 11. Ezech. 36. 22.

Ezech. 20. 22.

Exod. 32. 12.

tes habuerant. Et iterum idem Moyses Numer. 14. à Deo veniam impetraret, precatus est dicens: *Ne fortè contingat, vt audiant Aegyptij, quod occideris tantam multitudinem, quasi vnum hominem, & dicant. Non poterat introducere populum in terram, pro qua intrauerat; idcircò occidit eos in solitudine &c. Dimitte obsecro peccatum populi huius secundum magnitudinem misericordiæ tuæ.* Quibus deprecationibus, ac rationibus, quasi victus Deus; *Dimisi* (inquit) *iuxtà verbum tuum. Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra.* Quasi diceret; libenter exaudio orationem tuam, & populo parco, vt viuat gloria nominis mei: & sciant gentes, quia volo, & valeo ab earum manibus, & à quocumque periculo populum meum liberare. Minor verò, in qua videtur esse difficultas, sic ostenditur. Si maior pars fidelium Catholicorum damnaretur, & paucissimi saluarentur, Hereticis, & Paganis daretur causa Dei bonitati detrahendi, dicerēt enim; Vel Deus non potest maiori fidelium parti se per gratiam, & gloriam communicare; & sic non omnia potest, quæ vult; vel potest, sed non vult plerosque fidelium saluare, & sic non est diues in bonitate, & misericordia: sed in crudelitate, & malitia, iuxtà illud apud Tertullianum contrà Marcionem; *Pluribus pereuntibus, quomodo perfecta defenditur bonitas maiore ex parte cessatrix, cedens perditioni, partiaria exitij?* Et quidem hac eadem petulantia, & impia temeritate ratiocinati sunt Gentiles, quando viderunt populum electum varijs calamitatibus oppressum, vel sub Assyrio-

Numer. vt c. 14. à v. 11. vsq; ad 13.

169

Deum esse vel impotētem, vel crudelem. Tertul. cō. Marcion.

ſyriorum Rege Nabuchdonoſor, vel ſub Græcorum Rege Antiocho Illuſtri, vt ſentiunt Expoſitores Pſalmi 78. ſic enim apud Incognitum noſtrum blaſphemantes arguebant. *Vel Deus, quem Iudæi colunt, vult eos iuuare, & non poteſt: Vel poteſt, ſed non vult: ſi primum? ergo eſt impotens, & conſequenter non Deus: ſi ſecundum? ergo eſt crudelis, non miſericors. Vbi eſt igitur Deus Hebræorum, quem ipſi iactant ſui populi potentiſsimũ, & optimum defenſorem? Ex quibus exprobrationibus motus Dauid ad diuinum auxilium implorandum clamabat. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriã nominis tui Domine, libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuũ: Ne forte dicant in gentibus, vbi eſt Deus eorũ?* Simili modo exprobrare poſſent Ethnici, & infideles paucitatem fidelium ſaluandorũ, dicentes. Vbi eſt, vbi eſt Chriſtianorum Deus, quem ipſi iactant ſuum ſpecialem Redemptorem, ac præcipuum Saluatorem? Vbi veritas illius Apoſtolici teſtimonij. *Speramus in Deum viuum, qui eſt Saluator omnium, & maximè fidelium?* Si Deus factus homo venit omnes homines redimere, & maximè fideles, qui in ipſum credunt, ſaluare; quare ex eis plures damnantur? Vbi Dei bonitas? Vbi miſericordia? Vbi maxima ſui per gratiam, & gloriam diffuſio, & communicatio, qui cum potuiſſet ſaltem ex ſuis fidelibus maiorem partem ad gloriam eligere, non niſi paucos elegit? Quod ſi electio ad gloriam eorum meritis non debebatur, Quare non maiorem partem elegit, ſaltem ad conſeruandam ſuæ bonitatis famam, ſuique

Pſal. 78.

Incognitus hic.

[1] Exprobratio, facerent hæretici & infideles.

magni

magni nominis gloriam? Profectò irritæ, & vanæ fuerũt exhibitiones,& promissiones illę per ora Prophetarum factæ: *Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer? Non propter vos ego faciam domus Israel, sed propter nomen sanctum meum;* Alias ad quid factæ, & non completæ? Pijssimum igitur est asserere, & credere, Deum non paucos, sed multos, & quamplurimos fidelium saluare, ne coram gentibus nomen suum blasphemetur, suique nominis fama, & bonitatis gloria violetur.

170 Confirmatur, quia Ecclesia in quadam collecta Deum rogat, vt *omnium fidelium nomina in beatæ prædestinationis libro ascripta retineat:* Sed hoc non peteret Ecclesia, nisi supponeret id, quod piè credit, nempè maiorem fidelium partem esse prædestinatam: nam ex eo, quod maior fidelium prædestinatorum numerus saluat Dei nominis famam, eiusque misericordiæ,& bonitatis gloriam, mouetur Ecclesia ad orandum, vt nomina omnium fidelium, iam quoad maiorem partem prædestinatorum, in libro prædestinationis retineat ascripta, nulloque pacto ea de illo deleri permittat: ne, imminuto prædestinatorũ, & aucto fidelium reproborum numero, sui magni nominis apud hæreticos, & infideles gloria,& fama periclitentur. Et quidem in hac collecta Ecclesia videtur mutuò accepisse verba, quæ olim Iosuè multas in suo populo strages lamentatus protulerat: *Mi Domine Deus, quid dicam? Cananęi delebunt nomen nostrũ de terra; Et quid facies magno nomini tuo?* Quasi diceret

ret ſecundum Cornel. Parum eſt, noſtrũ nomen exile de terra deleri: ſed eo deleto delebitur quoque de terra nomen tuum, Domine, quod magnum eſt. Et quidem his verbis volebat quaſi cogere Deum, vt bonitatis ſuæ infamiam euitaret, totum ſuum populum, vel ſaltem maiorem eius partem ab hoſtium iniurijs, & exterminijs liberando. Ferè idem in præfata collecta inſinuare videtur Eccleſia: dicens enim Deo: Retine aſcripta in libro prædeſtinationis, qui eſt liber vitæ, omnium fidelium nomina; idem eſt, ac ſi cum Ioſuè diceret: Mi Domine Deus, quid dicam? Cananæi, ideſt infideles, deletum vellent nomen noſtrum de terra viuentium, deletaque omnium tuorũ fidelium nomina de libro vitæ, & vix vllum eorum exoptarent ſaluandum. Et quidem hoc deberetur eis ob eorum demerita: *Sed quid facies magno nomini tuo?* ac ſi diceret; Nullo, mi Deus, tenebaris obligationis, & iuſtitiæ titulo fideles tuos ad gloriam eligere, eorumque nomina in libro prædeſtinationis aſcribere (fateor): ſed elegiſti, & aſcripſiſti ex mero tuæ beneuolentiſſimæ voluntatis arbitrio, nullis eorum præcedentibus meritis, dictante ſolummodo tua immenſa bonitate, & ſuggerente liberaliſſima tua miſericordia (non inficior). Sed quia gloria magni tui nominis eò magis eluceſcet, quo diffuſiori munificentia non paucis, ſed pleriſque fidelium ſe tua bonitas communicauerit; ideò *quid facies magno nomini tuo?* profectò infideles te calumniabuntur, tanquam ad ſaluandum, vel impotentem, vel immiſericordem;

Ioſuè c. 7. 9.

Immò nostri temporis Pseudoreformati Ecclesiam Romanam contemnent, fidemque catholicam irridebunt, cum ex Christianis orthodoxis non omnes, non multi, sed vix paucissimi in prædestinatorum libro sint ascripti. Ipsi enim perperam credunt, & falsissimè sibi ipsis suadent, quemlibet eorum sectæ professorem certum esse de sua gratia, & salute; immò fide diuina teneri credere, se esse iustificatos: & ideò si ex ore Concionatorum, & calamo Theologorum viderent, & audirent, quod multi fidelium damnantur, paucis saluatis, subsannantes Romanam fidem dicere possent; Præstat profectò Hæreticum, quam Catholicum esse: quia hæretici omnes saluantur: Catholicorum plerique damnabuntur. Iuuat igitur, ò mi Deus (subdit Ecclesia) me piè credere, Te ex tua bonitate, maiorem fideliũ partem ad gloriam elegisse, eorumque omnium, quos elegisti, nomina in libro prædestinationis ascripsisse. Ne deleas igitur, sed retine nomina omnium fidelium in libro illo ascriptorum: Hoc enim faciens obstrues ora loquentium iniqua; & os iniquitatis oppilabis: immò coges infestissimos ipsos tui sancti nominis hostes (velint, nolint) vt te bonum, omnipotentem, misericordem, ac præcipuum tuorum fidelium Saluatorem agnoscant, prædicent, timeant, venerentur.

Vt igitur, ò mi Deus obstruer.

171 Simile quid habemus Psal. 113. Promiserat Deus Patriarchæ Abrahæ, daturum eius posteritati terram promissionis: cuius promissi adimpletionem, quam-

quamuis Hebræi non meruerint, quia multoties in deſerto idolatrando, murmurando, detrahendo, ad iracundiam ipſum Deum concitauerunt; nihiloſminus promiſſum demum adimpleuit, non propter eorum merita, ſed propter ſui proprij nominis gloriã; ſi enim promiſſum non adimpleuiſſet, Gentiles, non reſpicientes ad Hebræorum peccata: ſed ſolummodò ad Dei promiſſum non adimpletum, ſanctiſſimo eius Nomini detraxiſſent, dicentes. Vbi eſt Hebræorum Deus? vbi eius virtus? ſi adimplere non poteſt, quæ promittit, vbi eſt eius potentia? ſi poteſt, & nõ vult? vbi eius immutabilitas? vbi fidelitas? vbi in promiſſis veracitas? Idcircò Dauid, ne Dei nomen eſſet apud gentes inglorium: famaque bonitatis eius apud exteros periclitaretur, exorabat clamans: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Super miſericordia tua, & veritate tua: ne quando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum?* Haud diſſimili modo ratiocinari videtur Eccleſia: Namq; conſiderans Deum voluntate beneplaciti antecedente velle omnium hominũ ſalutem, eſſeque omnium hominum ſaluatorem, ſed maximè fidelium, vt teſtatur Apoſtolus: Obſeruans vlterius, Deum ex hominibus efficaciter elegiſſe aliquos ad gloriam, nullis eorum præuiſis meritis, ſed ex mero, & ſolo beneplacito diuinæ ſuæ voluntatis: & tandem piè ſupponens maiorem fidelium partem prædeſtinaſſe ſecundũ diuitias bonitatis ſuę, & oſtenſionem gloriæ ſanctiſſimi Nominis ſui; enixè orat

Deus adimpleuit Hebræis, quodpromiſerat Abrahæ.

Pſ. 113.

Fideles quoad maiorẽ partem Deus ſaluat.

Deum in collecta, vt nomina omnium fidelium, quos eligere, & prædestinare dignatus fuerat, in libro vitæ ascripta retineat; quasi dicat cum Psalmista: *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam: super misericordia tua, & veritate tua*: idest secundum Glossam. *Misericordia tua est, qua vocas eos, & peccatoribus parcis; & de veritate tua est, qua non venientes iudicas, & bonis præmia promissa restituis*. Quod autem (sic subdit Ecclesia) maiorem fidelium partem elegeris, hoc non eorum meritis, sed bonitatis tuæ liberalitati, tuique nominis gloriæ est adscribendum, ne Gentiles, & Hæretici nobis insultarēt, dicentes. Vbi est ille Deus, qui vos maximè saluat, ò Catholici orthodoxi? Quid vobis prodest viuere in fide Christi, & Romanæ Ecclesiæ obedientia? Si plerique ex vobis damnantur, quam vobis vtilitatem conferunt Sacramenta? Si pauci ex vobis saluantur, quomodo verificantur Apostoli verba. *Speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium: sed maximè fidelium*? Ne igitur gloria tui sancti Nominis (sic tandem Ecclesia concludit) apud fideles periclitetur, nomina omnium fidelium, quorum maiorem partem, (vt piè credo) ex tua misericordia ad beatitudinem elegisti, de libro prædestinationis ne deleas, sed in eo ascripta indelebiliter retineas.

Gloss. in Ps. 113.

Respondet ad hanc confirmationem Recupitus, Ecclesiam in præfata collecta, velle se conformare diuino affectui, secūdum quem Deus vult omnes homines

Responsio Recupiti.

mines ſaluos fieri,quantum eſt de ſe: & ſic Eccleſiam quantum de ſe petere, fideles omnes prædeſtinari: ex hoc autem Eccleſiæ affectu non benè inferri ad effectum.

Sed contrà: quia Eccleſia nõ rogat, vt Deus aſcribat nomina prædeſtinatorum: ſed vt ea iam aſcripta retineat: Ergo ex modo loquendi, quo vtitur, conſtat, Eccleſiam non ſolum oſtendere affectum: ſed etiam ſupponere effectum. Et quamuis roget pro omnibus, dicens, *Omnium fidelium nomina*: non tamen ſupponit omnes fideles eſſe prædeſtinatos: ſed vtitur ly *Omnium* per diſtributionem accomodatam, quaſi diceret: Non rogo, vt nullus ſit fidelis, cuius nomen, mi Deus, non aſcribas in libro prædeſtinationis: ſed id, quod peto eſt, vt ex omnibus ijs, quorum nomina quoad maiorem partem (vt piè credula ſuppono) in dicto libro aſcripſiſti, nullus ſit, cuius nomen de libro illo deleatur: hoc enim faciens, obſtrues ora hæreticorum, & infidelium, tuæ bonitati, & miſericordiæ detrahentium: nec non Eccleſiæ catholicæ ſuam (quaſi vana eſſet) fiduciam, & credulitatem petulanter exprobantium.

Eiuſdẽ impugnatio.

**

*

PARA-

PARAGRAPHVS NONVS.

In quo suadetur multitudo fidelium saluandorum ex meritis Passionis Christi, eiusque fusi sanguinis efficacia.

172 POtissima ratio desumi potest ex inæstimabili fusi à Christo sanguinis pretio, eiusque interminata efficacia. Sic igitur argumentum propono. Decet maximè ad dignitatem Christi, vt per eius Passionis merita, fusique sanguinis efficaciã, post eius aduentum pleriq; fidelium saluentur, pauci damnentur: Ergo pium est asserere, post Christi aduentum, multos verè fidelium saluari, paucos damnari. Consequentia liquet, quia pium est asserere id, quod redundat ad maiorem Christi gloriam, & excellentiam. Antecedens probatur multipliciter. Primò; quia maximè pertinet ad Christi dignitatem, & excellentiam asserere, & credere, eum esse omniũ hominum saluatorem, sed maximè fidelium: Atqui ex hoc quod Christus est præcipuus fidelium saluatori, sequitur plerosq; fidelium saluari, paucos damnari, vt superius probatum est: Ergo maximè pertinet ad Christi dignitatem, & excellentiam, vt plerique fidelium saluentur, pauci damnentur. Secundò: quia maximè spectat ad Christi dignitatem, & excellentiam, vt quò plures participant de eius passionis, & fusi sanguinis meritis eò plures saluentur: sed antè aduen-

Redundat in Christi gloriam plerumque Catholicorum salus.

aduentum Christi, ex minori participatione meritorum eius passionis nondum impletæ, pauci saluabantur, plures damnabantur: Ergo post Christi aduentum ex maiori participatione passionis eius iam impletæ plures ex fidelibus saluantur, pauci damnantur. Tertiò quia maximè redundat ad Christi dignitatem, & excellentiam, maior numerus prædestinatorum, qui sunt eius aulici, & familia iuxtà illud Prouerb. 14. *In multitudine populi dignitas Regis: & in paucitate plebis ignominia Principis*: Ergo maximè redundat ad Christi dignitatem, & excellentiam, plerosque fidelium saluari, paucos damnari.

Prou. 14 28.

173 Respondet Recupitus, hoc argumentum, (vt loquitur Scotus) esse in plus: quia si efficacia sanguinis Christi deberet adæquari per actum secũdum, oporteret saluari omnes: sicut sanguis ille efficax est ad salutem omnium. Ex quo infert, quod sicut non præiudicat interminatæ Christi sanguinis efficaciæ, quod non saluentur omnes in actu secundo, sed aliqui; ità neque quod non saluentur plures, sed pauci.

Euasio Recupiti.

174 Sed contrà: quia pretiosissimus Christi sanguis, eiusque passionis, & mortis merita sunt sufficientia omnibus, & illis solummodo efficacia, qui ea sibi applicant per Ecclesiæ Sacramenta, ac proprio studio, & conatu: Ergo quod non omnibus fidelibus, sed aliquibus dumtaxat, prosint ad salutem, prouenit, non ex defectu sufficientiæ ex parte Christi, sed ex defectu applicationis ex parte hominis: vndè si omnes fideles ea sibi ritè applicarent, omnes vtique saluarен-

Explosio eiusdem.

rentur: ficuti nullus saluaretur, si ea sibi nullus applicaret. Cum igitur maior fidelium pars eas sibi, & proprio conatu, & per Sacramenta sibi applicet: hinc fit, vt plures fidelium saluentur, quam damnentur.

175 Confirmatur, & magis illustratur ratio principalis nostræ assertionis. Illi fideles saluantur, qui per Ecclesiæ Sacramenta, & per pium mentis affectũ applicant sibi merita passionis, fusiq; sanguinis Christi: sed plures fidelium hoc faciunt, pauciores omittunt: Ergo plures fideliũ saluantur, pauciores damnantur. Consequentia tenet ex forma. Minor constat experientia. Maior liquet ex duplici capite. Primò: quia applicando sibi merita per Sacramenta faciunt quod possunt ex viribus gratiæ; Facienti autem quod in se est viribus gratiæ, Deus concedit vberiora auxilia, vsque ad gratiam iustificantem, vt communiter docent Theologi cum S. Thoma, & nos infrà latius puobabimus. Secundò quia, qui applicant sibi Christi merita per Sacramenta, vbi ista prius erãt sufficientia faciunt sibi efficacia ad consequendam salutem: Vndè sciendum est id, quod docent passim Theologi, nempè mortem Christi, tametsi secundum se considerata, suffecerit mille mundis, & innumeris hominibus redimendis; nihilominus re ipsa neminẽ ex adultis fidelibus, eam sibi efficacem reddere, nisi eam sibi quisq; applicet proprio studio, & conatu, & medijs Sacramentis Ecclesiæ: horum enim vi, ex Christi meritis, habita, suppletur contritionis defectus,

Christi mors est omnibus ad salutem sufficiẽs; sed non omnibus efficax.

fectus,

fectus, quæ ante Christi aduentum fuit ad salutem indispensabiliter necessaria: nam post eiusdem aduentum in cõtritionis locum substituta est attritio, quæ imperfecta contritio appellatur à Tridentino, quæque operatur, vt fidelis verè attritus vi confessionis Sacramentalis consequatur iustificationis effectum, ac si esset perfectè contritus. Hinc ortum habet illud pronunciatum. *Pęnitens ex attrito fit contritus*: vel *attritio pænitentis fit contritio*. Non quod sensur sit, attritionem intrinsecè in contritionẽ mutari: nam cum attritio, & contritio sint actus essentialiter diuersi, non potest vnus mutari intrinsecè in alium: sed quod sensus sit, attritionem extrinsecè tantum mutari in contritionem; quia nimirum suscepta gratia per Sacramentum, ea, quæ ex intrinseco motiuo erat attritio, ex superueniente gratia dicitur contritio, quia habet effectum cõtritionis, quod est esse gratum, & amicum Deo. Attritio igitur cum Sacramento æquiualet contritioni: quia scilicet attritio cum Sacramento consequitur effectum, quem ipsa contritio assequi solet. Vndè id, quod fidelibus nõ contritis deficit, ne iustificationis gratiam consequantur, in eis attritis suppletur ex passionis Christi meritis, eiusque sanguinis efficacia, sibi per Ecclesiæ Sacramenta applicatis.

Explicatio Axiomatis: Pœnitens ex attrito fit cõtritus.

176 Porrò quantum ponderis habeant apud Deum effusi Christi sanguinis, eiusque passionis merita, satis probat exemplũ, quod habetur in Chro-

Chron. Minor. parte 3. lib. 4. cap. 25.

nico Minorum, vbi legitur quemdam Franciscanæ familiæ alumnum in extrema ægritudine antè diuinum Tribunal constitutum, cum conspexisset lancem libræ, quam nescio quis tenebat in manu, à suorum peccatorum mole ferè depressam, suorumque bonorum operum pondus multis partibus superari, rogauit eum, qui libram tenebat, vt aliquod auctarium de Christi meritis apponeret ad supplendam suorum bonorum operum inopiam: quod vbi factum fuit, extemplò vidit eo, tam præpotentis ponderis excessu, suorum pondus flagitiorum longè superatum fuisse: vndè à diuino Iudice recepta absolutoria sententia, æternam obtinuit salutem. Legitur quoque apud Spinellum in Throno Deiparæ, quemdam Virginis deuotioni addictum die quadam vidisse in spiritu dæmones ex vna parte in vna cuiusdam libræ lance, auctarijs non paruis, ipsius scelera constipare: ex altera verò vidisse Dei Genitricem in alia eiusdem libræ lance pauculas sui clientis preces, paruaque opera bona collocare: & quia eius peccata præualebant, vix Beatissima Virgo posuit in lancem guttulam vnam sanguinis, quã à Christo filio suo impetrauerat; ac statim pondere tam præpotenti grauissimam illã peccatorum molem euincens, seruum suum à salutis discrimine liberauit. Neque hoc mirum videri debet. Primò, quia vna de Christi sanguine gutta sufficit redimendis mortalibus, immò toti mundo, quod testatur S. Thomas in rythmo ad Sanctam

Spinell. in throno Deip. cap. 30. n. 11.

Eucha-

Eucharistiam, dicens: *Pie Pellicane Iesu Domine, me immundum munda tuo sanguine; cuius vna stilla saluum facere totum mundum quit ab omni scelere*. Secundò quia merita Christi patientis in stateram iustitiæ posita præponderant mortalium peccatis: vndè fit, vt nullus saluari possit, pro quo nō interpellet Christi sanguis: & ideò S. Bernardus Christum alloquēs sic præcatur: *Illumina oculos meos Domine, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore, & sapiens sum; delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris; & iustus sum; deduc me Domine in via tua, & sanctus sum; Verumtamen, nisi interpellet sanguis tuus pro me, saluus non sum.*

S. Th. in rythmo ad S. Eucharist.

S. Bern. sup. Cātic. ser. 22.

177 Ex his omnibus rectè infertur, quod cum plerique fidelium sibi merita Christi patientis per Sacramenta applicando, eadem sibi efficacia reddant, per consequens fit, vt plures fidelium saluentur, quam damnentur. Hinc Blosius Abbas exhortans fideles, & maximè morientes, vt in efficacia meritorum passionis Christi confidant, sic dulciter affatur. *O tu, qui senili, vel vltima ætate, relictis vitiorum, iniquitatumque sordibus, iter iustitiæ ingredi cœpisti, iamque bonæ voluntatis es; quare sic trepidas, ac tanta tristitia deprimeris, quasi tibi nulla salutis spes esset relicta? Recordare quæso, recordare misericordiosissimi, benignissimi, dulcissimique Redemptoris tui Iesu Christi, qui venit in hunc mundum peccatores saluos facere, pro eis incarnatus est, pro eis laborauit, acerbam passionem sustulit, sanguinem fudit, & mortuus est.*

Blosius in tract. de consolat. pusillan.

Illum magis in horrore, vel maiori iniuria afficere non potes, quam si propter multitudinem, diuturnitatem, aut enormitatem scelerum tuorum de eius pietate, misericordia, & bonitate desperes. Quamuis igitur senio iam prægrauatus, seu vitæ huius termino proximus inceperis te corrigere, & fortè non nisi vno anno, vel vno mense, aut vno die, hìc viuere habeas; non est tamen, quod perturberis, nimiaue pusillanimitate deijciaris: sed est vndè plurimum gaudeas, considerans immensam ergà te clementiam, qui te antè obitum tuum ad se reuocauit, bonam voluntatem tibi donans; quique non admodum attendit in homine quid fuerit; sed quid iam esse velit. Neque inordinata formidine concuti debes propter propriorum meritorum inopiam: nam cum iam per bonam voluntatem Dei, & gratiam, veramque charitatem coniunctus sis Christo, tanquam viuum membrum particeps eris meritorum eius, & omnium electorum ipsius: accipies re vera hęreditatem cęlestem, quia de numero filiorum Dei es. Planè iam ex illis es, de quibus Paulus Apostolus loquitur, & dicit: Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Itaque iam lætus expectare, & potes, & debes bonam spem, [vt idem Paulus ait] & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

178 Probatur 2. per Christi voluntatem eiusque passionis, ac mortis merita, maiorem fidelium partem saluari ex doctrina ipsiusmet Recupiti, tali pacto. Docet ipse tom. 2. de Deo vno lib. 3. cap. 2. & 3. Merita Christi præuisa fuisse causam prædestina-

ſtinationis non ſolum prout prædeſtinatio importat dilectionem aliquorum ad finem: ſed etiã prout importat electionem aliquorum præ alijs, ſeu ſecretionem prædeſtinatorum è reprobis. Probabile igitur exiſtimat, ex tota maſſa communi infecta,& ſic ex ſe damnata, Deum dediſſe Chriſto optionẽ, vt ſeligeret aliquos à pæna communi, quos vellet; Ex quo infert, probabile etiam eſſe, voluntatem humanam Chriſti, ex ſuis præuiſis meritis ſpecialiùs fuiſſe cauſam prædeſtinationis vt electio eſt, nempè prout eſt dilectio horum præ alijs, ſeu prout eſt dilectio prædeſtinatorum præ reprobis. Deus igitur eſt, qui propriè prædeſtinat, & eligit efficaciter ad gloriam, ex vi cuius electionis datur gratia efficax, & alia media ad hunc finem. Chriſtus igitur, vt homo per Recupitum habet ex vi optionis ſibi à Deo datæ, facultatem deſignandi, nominandi, & quaſi Deo præſentandi aliquos, ab ipſo præ alijs electos, quos vult efficaciter, & abſolutè ſaluos, & pro quibus ſpecialiùs, & efficaciùs offert merita ſua;quam Chriſti deſignationem,& præſentationẽ Deus acceptat, & ex vi illius prædeſtinat, & eligit ad gloriam deſignatos, & præſentatos à Chriſto, eiſque dat gratiam efficacem, aliaque media ad hunc finem aſſequendum. His ſuppoſitis, ſic noſtra probari poteſt aſſertio. Ex doctrina Recupiti, non defuit Chriſto poteſtas deſignandi, & quaſi in indiuiduo nominandi, ac præſentandi homines prædeſtinãdos: Ergo pium eſt credere, deſi-

Doctrina ipſius Recupiti.

Chriſto data fuit à Patre poteſtas deſignãdi, & eligẽdi prædeſtinandos.

gnaſſe,

gnasse, & quasi nominasse, ac præsentasse prædestinandam maiorem fidelium adultorum partem. Tunc sic: sed ex vi talis designationis à Deo Patre acceptæ Pater prædestinauit, & ad gloriam efficaciter elegit designatos, & quasi præsentatos à Christo: & ex vi talis electionis se promptum exhibuit ad dandam gratiã efficacem, & alia media ad hunc finem: Ergo posita Christi designatione maioris fidelium adultorum partis à Christo facta, & à Deo Patre accepta, & adscita, maiori fidelium adultorum parti Deus Pater ex speciali pro ipsa meritorum Christi oblatione, conferet gratiam efficacem, & alia media ad gloriam assequendam: & consequenter maior fidelium adultorum portio saluabitur. Minor subsumpta cum vltima consequentia patet. Antecedens asseritur ab Aduersario. Prima consequentia, quæ patitur difficultatem probatur: Nam pium est benè sentire de voluntate Christi, iuxtà illud Ecclesiastici cap. 1. *Sentite de Domino in bonitate*: At non benè videretur sentire de bona Christi voluntate, qui diceret, potuisse plerosq; fidelium, qui credituri erant in eum saluare, & noluisse: Ergò qui vult sentire de Christo in bonitate, debet piè credere, ipsum maiorem fidelium adulterum partem designasse prædestinandam. Neque dicas, quod si hæc ratio haberet vim, militaret etiã pro designatione, & quasi præsentatione omnium fidelium adultorum: & sic omnes fideles adulti saluarentur. Nam (vt ipse Recupitus docet obiter

Christus prædestinandos præsẽtauit: sed Pateri prædestinauit.

Cuiusdã euasionis explosio.

loc. cit.

loc. cit. & ex professo explicat infrà quæst. 15. de causa reprobationis) non erat conueniens, vt Christus pro omnibus adultis fidelibus sua merita efficaciter offerret: sicut nec erat conueniens, vt Deus daret omnibus adultis fidelibus auxilia quædam extraordinaria supra ordinem, & communem cursum gratiæ: Ex alia parte fuit decentissimũ, vt Christus, si minus omnes, saltem maiorem fidelium adultorum partem designaret prædestinandam: atque adeò, vt ei Deus conferret gratiam efficacem, & auxilia extraordinaria supra communem ordinem gratiæ. Ratio autem huius decentiæ est duplex. Prima, quia salus plerumque fidelium affatim redundaret ad maiorem Christi excellentiam: Ergo, quamuis conueniens non fuerit, designatio omnium fidelium adultorum ob rationem mox superius assignatam; conuenientissimum tamen fuit, vt plures, & plures, quoad fieri poterat, designarentur prædestinandi: ne in paucitate plebis ignominia: sed in multitudine suorum fidelium ad gloriam designatorum Christi cælestis Regis dignitas magnificentius refulgeret iuxtà dicta num. 187. in fine. Secunda ratio est: quia si plerique fidelium non saluarentur, inutilis, idest parum vtilis posset dici patientis Christi sanguinis effusio, dum non multis prodesset; sed paucissimis; Considerata enim ex vniuersa hominum massa damnandorum multitudine, certè relatiuè ad istos paucissimi dici possunt fideles saluandi, etiamsi omnes saluarentur: nam arithme-

Recup. q. 15. de causa reprobat.

Duplex decẽtia pro maiori fideliũ parte saluãdos.

arithmeticè tertia hominum pars nõ saluatur; quod patet ex eo, quia tertia pars Orbis non est fidelis: nam Asiam, Africam, & Indiam occupat Paganismus, & Turcismus: sola penè Europa est Christiana; Iam in Europa dimidia ferè pars est hæreticorum, schismaticorum, politicorum, & atheorum. Inter orthodoxos multi sunt cõcubinarij: multi, qui odia fouent: multi iniusti bonorũ possessores: multi ebriosi &c. Si igitur adeò pauci essent saluandi, quamuis omnes fideles saluarentur; quantò pauciores essent, si maior eorum pars damnaretur? Et sic, quam inutilis, seu parum vtilis foret Christi sanguinis copiosa pro omnibus effusio, si perpaucissimis saluandis dumtaxat prodesset? Certè non posset rationabiliter Christus conqueri, & dicere per Prophetam: *Quæ vtilitas in sanguine meo?* nam ipsemet huius modicæ vtilitatis fuisset causa: quia cum potuerit designare quamplurimos prædestinandos, & pro quamplurimis offerre sua merita, tamen noluit nisi perpaucissimos designare. Ad euitanda igitur tot inconuenientia, pium est credere, & asserere (præcipuè, stante doctrina ipsius Recupiti) Christum designasse, & quasi nominasse, ac præsentasse maiorem fidelium adultorum partem prædestinandam.

Si maior fideliũ pars non saluaretur, foret parũ vtilis Christi sanguis.

Psal. 29.

179 Probatur tertiò, & magis illustratur efficacia sanguinis Christi patientis ex efficacia sacrificij incruenti, in quo recolitur eius Passionis memoria. Missa est sacrificium propitiatorium, seu

Hostia

Hostia pro peccato, virtute cruenti Christi sacrificij, cuius est repræsentatiua. Ergo quicumque fidelis illam aliquo modo sibi applicat, benè dispositus, impetrat illius virtute gratiam veræ contritionis, seu pænitentiæ. Sed maior fidelium pars illam sibi applicat cum in vita, tum in morte, vel illam postulando, & desiderando, vel stipem pro illa largiendo, vel ei seruitium exhibendo, eique si minus præsentia, saltem affectu assistendo, vel aliqua alia peculiari ratione ad illam concurrendo: Ergo maior fidelium pars, illius virtute impetrat gratiam veræ contritionis, seu pænitentiæ in morte, & sic saluatur. Antecedens constat, Tum ex antiquis Liturgijs, nam ex illa S. Iacobi habetur. Oblationem in Missa fieri, *Vt ea deleantur delicta, quæ admisimus &c. & digni habeamur vita æterna*. Et in alia Sancti Basilij: *Vt fiat acceptabile pro peccatis nostris, & populi ignorantia*. Et in altera S. Ioannis Chrysostomi: *Fac nos dignos offerre tibi dona, & sacrificium speciale pro peccatis nostris, atque ignorantis populi, & præsta, vt inueniamus gratiam in conspectu tuo*. Tum ex Pontificum Constitutionibus, & SS. PP. auctoritatibus: Nam Alexander Papa ait: *Crimina, atque peccata, oblatis his Domino sacrificijs, delentur*. Et infrà: *Talibus hostijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia*. Et Ambrosius docet: *Christum hic offerri, & se offerre, vt nostra peccata dimittat*. Et Damascenus: *Hęc pura* (inquit) *et incruenta Hostia, omnis nocumenti est reparatio: omnis*

Lyturgi SS. Iacobi Basil. Chrysostomi.

Alex. Papa epist. 1. decret. c 4.
S Amb. lib 1. officior. c. 48.
S. Damasc. li. 4. de fide c. 14.

S Cypr. serm. de cana Domini.
S. Hier. epist. 16. ad Damasum.
Concil. Trid.

sordis purgatio. Et Cyprianus: *Simul* (ait) *medicamentum existens, et holocaustum ad sanandas infirmitates, et purgandas iniquitates*. Et Hieron. inquit: *Christum esse vitulum saginatum, qui ad pęnitentium immolatur salutem*. Hinc ore totius Ecclesiæ Conc. Trident. fatetur, *per hoc sacrificium fieri, vt misericordiam consequamur, et gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, et donum pęnitentię concedens, crimina, et peccata etiam ingentia dimittit*. Quid clarius ad veritatem antecedentis? Prima consequentia, quod fidelis, si sit benè dispositus obtineat donum contritionis, seu pænitentiæ, docet D. Thom. in 4. Nam loquens de Eucharistia prout est sacrificium, inquit: *In ijs pro quibus offertur non praeexigere vitam spiritualem in actu: sed in potentia tantum. Et ideò si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet, ac per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima: sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat*. Minor subsumpta patet experientia: pauci enim sunt fideles, pro quibus sacrificium Missæ non offeratur, vel qui aliquo ex modis insinuatis ad illud non concurrat. Vndè clarè liquet maiorem fidelium partem virtute sacrificij incruenti impetrare gratiam verè contritionis, seu pænitentiæ, & sic saluari.

D. Tho. in 4. dis. 12. qu. 2. ad 4.

180 Explicatur magis hæc doctrina, vt vis huius argumenti clarius elucescat. Asserit Tridentinum, sess. 22. cap. 1. fructum propitiationis, seu peccatorum remissionem, quæ ex Missæ sacrificio emanare

Trid. sess. 22. cap. 1.

nare ſolet, nulla offerentium Sacerdotum, ſiue malitia, ſiue indignitate, inquinari poſſe. Vndè opinati ſunt Layman cum Conink de Sacrificio Miſſæ cap. 1. num. 7. effectum illum gratiæ præuenientis, & excitantis peccatores ad pænitentiam certò, & & infallibiliter prouenire, purificata conditione diſpoſitionis requiſitæ in ijs, pro quibus vel ſacrificium offertur, vel ad illud aliquo modo concurrunt ſcilicet ſi diſpoſiti ſint: Diſpoſitio autem, quæ requiritur, in duobus conſiſtit; Primò vt non ponant obſtaculũ peccati actualis, vel affectus in illud; Secundò vt gratiam præuenientem liberè acceptent, eique cooperentur. Vndè quia maior fidelium pars conditionem purificat auferendo obicem peccati, vel affectus ad peccatum, & acceptando gratiam, eique cooperando: (hoc enim faciunt fideles ferè omnes, qui cadendo, & reſurgendo vitam tranſigunt, & tandem in morte per Sacramenta ſe præparant) hinc fit, vt maior fidelium pars virtute ſacrificij in Miſſa oblati, iuſtificetur, & ſic in morte iuſtificata ſaluetur.

Conink. & Layman. de ſacrif. Miſſæ c. 1. n. 7.

181 Vrgetur amplius ſic. Miſſæ ſacrificium non ſolum eſt propitiatorium, quod hominum peccata remittit: ſed etiam impetratorium: quia per illud ſperamus, quidquid à Deo petimus, facilè impetraturos: tantò quidem efficacius, quantò omnibus alijs rebus, quæ poſſumus petere dignior eſt Chriſtus, qui in Altari Deo Patri offertur: Ergo cũ fideles quoad maiorem partem concurrant ad Miſ-

 ſæ ob-

ſæ oblationem, vt probatum eſt ſuprà, ex pietate credendum eſt, fideles quoad maiorem partem virtute tanti ſacrificij peccatorum veniam quam petunt obtinere, & conſequenter ſaluari. Antecedens quoad primam partem patet ex ſuperius dictis: Quoad ſecundam verò probatur auctoritate Auguſtini, qui enarrans beneficia, quæ percipiuntur ex Miſſæ ſacrificio, docet vnũ ex illis eſſe, quod pænitẽtiæ remedium etiam peccatoribus confert. En eius verba: *Poſtulant* (Sacerdotes) *& precantur, vt infidelibus donetur fides: vt Idolatræ ab impietatis ſuę liberentur erroribus: vt Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat: vt hæretici Catholicæ Fidei perceptione reſipiſcant: vt ſchiſmatici ſpiritum rediuiuæ charitatis accipiant: vt lapſis pænitentię remedia conferantur*. Quod autem allatæ petitiones non inaniter fiant: ſed effundantur cum fructu patet ex ijs, quæ continuat aſſerere Auguſtinus. *Hæc autem* (ſubdit) *non inaniter à Deo peti, rerum ipſarum monſtrat effectus; quandoquidem ex omni errorum genere, plurimos Deus deſignat at trahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum, transferat in Regnum filij charitatis ſuę: & ex vaſis irę faciat vaſa miſericordię*. Sed poſſet aliquis modo quærere; Quare non continuò obtineantur, quæ poſtulantur in Miſſa? Cui poſſumus reſpondere cauſam eſſe, quia effectus impetrationis ſacrificij non eſt ſimpliciter infallibilis, cum nulla de hac re habeatur in ſcripturis abſoluta, ſed tantùm conditionata promiſſio, quæ tunc ponit eſſe-

Auguſt. to. 3. de Eccleſ. dogmat. c. 30.

Inter cætera, quę petũtur in miſſa, eſt remedium pænitẽtiæ.

Petitiones in miſſa nõ fiũt inaniter.

182

Non habetur promiſſio abſoluta.

effectum, quando conditio purificatur. Porrò conditio pro infidelibus vocatis ad fidem hæc eſt, ſi nimirum quæ poſtulantur ſecundum ordinem diuinæ prouidentiæ dari, & conferri ſit expediens: & tunc ſi expedit ſecundum prædictum ordinem, ſtatim ſequitur infallibiliter effectus, nempè vocatio ad fidem; aliàs non ſequetur. Pro fidelibus verò hæc eſt conditio, ſcilicet ſi Miſſæ ſacrificium diſpoſitos inueniat, pro quibus offertur, vel qui ad illud aliquo modo concurrunt, vt ex D. Th. probatũ eſt ſuprà: Porrò, quia pleriq; fidelium, pro quibus Miſſæ ſacrificium offertur, vel qui ad illud aliquo modo concurrunt purificant conditionem, & inueniuntur ſufficienter diſpoſiti: reſurgendo enim poſt lapſum omne tollunt obſtaculum; ideò plerique fidelium virtute ſacrificij incruenti peccatorum remiſſionem impetrant, & ſaluantur.

183 Probatur quartò noſtra concluſio ex eiſdem Chriſti meritis ſic. Infideli ſe negatiuè diſponenti, ideſt naturæ viribus obicem non ponenti, Deus ex mera ſua liberaliſſima miſericordia cõfert gratiam vocationis ad fidem: ergo à fortiori, fidelibus ſe diſponentibus, & obicem ex gratiæ viribus non ponentibus intuitu meritorum Chriſti, conferet gratiam præuenientem, & ad contritionem, & pænitentiam excitantem: ſed maior fidelium pars ex viribus gratiæ, cum in vita, tum in morte ſe præparat, & diſponit, & obicem non ponit, ſed aufert: Ergo maior fidelium pars intuitu meritorum Chriſti,

Deus nõ denegat gratiam vocationis infideli ſe negatiuè diſponenti.

ſti,

sti accipit à Deo gratiam præuenientem, & ad cõtritionem, seu pænitentiam excitantem, & sic saluatur. Vtraque consequentia patet. Minor subsumpta etiam constat, quia fideles, qui se ex viribus gratiæ disponunt sunt illi, qui in vita toties resurgunt, quoties cadunt, & in postrema vitæ periodo Ecclesię Sacramentis se muniunt; & isti sunt qui constant, & constituunt maiorem partem fidelium. Quod autem hi ex viribus gratiæ cum in vita, tum in morte se præparent, & disponant, probatur ex doctrina D. Bonauenturæ, qui exponens verba: *Præparate corda vestra Domino*: docet, nos posse tripliciter corda Domino præparare. Primò, tanquam discipulos Magistro sapientissimo, vt ei credamus iuxtà illud: *Esdras autem prępárauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini*. Secundò tanquam seruos potentissimo Regi, vt ei pareamus, quo pacto ait Dauid: *Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua*. Tertiò tanquam pænitens Iudici rectissimo, vt ei per correctionem de præterito, & emendationem de futuro satisfaciamus. Sic Ecclesiast. 2. *Qui timent Dominum præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas*. Hinc Dionys. Carth. *Præparate* (inquit) *corda vestra Domino, idest ad gratiam, & virtutes, seu ad earum incrementum disponite vos, faciendo quod in vobis est, & obicem auferendo*. Sed maior fidelium pars, quæ in vita cadendo resurgit, & in morte conteritur, siue atteritur, & Sacramentis se munit, præstat ex

1. Reg. 7. 3.

Cor humanum præparatur Deo tripliciter.

1. Esdrę 7. 10.

Ps. 118.

Eccl. 2.

Dionys. Carth. hic.

ex viribus gratiæ omnia, quæ exigit D. Bonauentura ad cordis præparationem. Tum quia credit, & ſperat in Domino, tanquam diſcipula Magiſtro: Tum quia firmiter proponit ei parere, eiuſq; mandata ſeruare, tanquam ſerua ſuo Regi: Tum quia auferens obicem actualis peccati, immò affectum ad peccatum, conatur ſe corrigere de præterito, & emendare de futuro, vt ei ſatisfaciat, tanquam pænitens rectiſſimo Iudici. Ergò Deus maiori parti fidelium, non denegat, immò miſericorditer concedit, tum gratiam ad pænitentiam excitantem, tum auxilia vberiora, & vberiora vſque ad iuſtificationem: Opera enim moraliter bona viribus gratię facta, merentur de congruo congruitate ſtrictè ſumpta, vberiora auxilia vſque ad gratiam ſanctificantem: id quod docent communiter Theologi cum D. Thoma, & inſuper aſſeruit S. Fulgentius epiſt. 6. ad Theodorum Senatorem cap. 7. his verbis. *Ipſa namque gratia incipit infundi, vt incipiat poſci; ipſa quoque amplius infunditur, cum poſcentibus datur*. Antecedens igitur remaneret probandum; ſed illud à Molina, & recentibus, immò ab ipſomet Recupito adſtruitur, & adempta infallibilitate, quã Molina enixè propugnat, illud probabile exiſtimant non vulgaris notæ Theologi: ex eo, quod etiã ipſe videtur docere varijs in locis S. Th. bona opera naturalia mereri de congruo (non tamen congruitate ſtricta) aliquod bonum: & hominem per illa ad gratiam ſe negatiuè diſponere: Nam in ſupplemento

Opera moraliter bona viribus gratia facta.

S. Fulg. ep. 6. ad Theod. Senatorem c. 7.

Molina Recupitus.

S.Th. in suppl. q. 14. ar. 4.

mento ait. *Quia diuinam bonitatem decet, vt vbicumque dispositionem inuenit, perfectionem adijciat: ideò ex merito cõgrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per per opera bona extra charitatem facta: & secundum hoc opera ista ad triplex bonum valent: scilicet ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam, et ad assuefactionem bonorum operum.* Idem insinuat 3. con.gen. vbi ait: *Cum hoc sit in potestate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum pręstat gratię receptioni.* Videtur ergo sentire D.Tho. esse in potestate liberi arbitrij, non ponere impedimentum gratiæ, & consequenter negatiuè saltem se disponere ad eius receptionem. Vndè infideli negatiuè se disponenti Deum non denegare gratiam vocationis ad fidem, quod erat nostrum antecedens, expressè, & apertè docet quæst. 14. de verit. *Vbi si quis* (inquit) *in syluis enutritus ductum naturalis rationis sequatur in appetitu boni, et fuga mali, certissimè tenendum est, quod ei Deus, vel per inspirationem reuelaret ea, quę ad credendum sunt necessaria: vel aliquem fidei prędicatorum ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Idemque docet alibi sæpius. Per hominem igitur in syluis enutritum intelligit S. Doctor infidelem negatiuè; quia supponit ad eius aures prædicationem Euangelij non peruenisse, atque adeò supponit eum destitutum illustratione fidei, quæ est primum auxilium supernaturale sufficiens, & consequẽter destitutum omni

S.Th. 3. con.gen. c. 159.

S.Th. q. 14. de veritate arti. 11. ad 1.

S.Th. l. mox cit. in solut ad 2. & in 2. dist. q. 1. ar. 4

alio

alio auxilio gratiæ sufficientis: & dicit talem infidelem certissimè à Deo illuminari de necessariò credendis, quamuis faciat, quod in se est, non viribus gratiæ, sed naturæ. Ex quibus omnibus.

184 Collige primò pronunciatum illud Theologicum: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam* dupliciter exponi posse. Primò sic: Facienti quod in se est naturæ viribus, etiam si sit negatiuè infidelis, ad cuius aures Euangelij prædicatio non peruenerit, Deus non denegat, immò certissimè confert gratiam vocationis ad fidem; ità tamen, vt opera illius viribus naturæ facta, nec proximè, nec remotè eum ad gratiam vocationis disponant, neque illa eum dignum reddant: sed Deus sua infinita bonitate allectus gratis, sed certissimè, illam conferat ex condecentia quadam in sua mera misericordia fundata; vndè fit, vt certitudo illa moralis sit, non infallibilis, quia non innititur alicui legi, seu pacto (vt excogitauit Molina, & plures ex Recentioribus) alioquin vocationis gratia non esset gratuita, sed ex meritis: nec à Deo conferretur ex misericordia, sed ex iustitia saltem imperfecta. Nam quamlibet legem, & conuentionem fundare aliquam rationem iustitiæ, patet ex illa parabola Matthæi, in qua operarij conuenerunt cum Patrefamilias de denario: ibi enim Paterfamilias vni dixit: *Nonne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuũ est, & vade*. Certitudo ergo ista fundatur in gratuita Dei voluntate: *quia diuinam bonitatem decet*

Molina in concordia disp. 10.

S.Th in supplemen. loc. cit.

(ait D.Thom.) *vt vbicumque dispositionem inueniat perfectionem adÿciat*. Secundò idem axioma exponitur sic. Facienti quod in se est, diuina gratia præuento, Deus non denegat, imò certissimè confert vberiora gratiæ auxilia vsque ad iustificationem: & hæc est constans Theologorum opinio, & expressa D.Thom. sententia; Porrò iuxtà hanc expositionem, certitudo axiomatis est plusquam moralis. Fundatur enim non solum in gratuita Dei voluntate, & condecentia bonitatis diuinæ: sed etiam in meritis Christi, qui suæ passionis virtute, effusique sui sanguinis efficacia, meruit, & veluti pactum inijt cum Patre de non negandis auxilijs vberioribus vsque ad gratiam sanctificantem fideli illi, qui faceret quod in se est, diuina gratia præuentus iuxtà illud Apocal. *Ego sto ad ostium, & pulso*; quasi stet Deus semper ad ostium cordis paratus iuuare conatus nostros; ex quo sequitur, fideli viribus gratiæ facienti, quod potest, auxilia vberiora vsque ad iustificationem certissimè adfutura.

S.Th.1. 1.q.109. art.4.

185 Collige secundò. Per merita passionis Christi, eiusque pretiosissimi sanguinis efficaciam fideles quoad maiorem partem saluari, quia quoad maiorem partem diuina gratia præuenti, se non solum negatiuè disponunt, nullum obicem vberiori gratiæ ponendo: sed etiam positiuè præparant cor suum Domino, vt suprà probatum est; & insuper merita Christi patientis, quæ toti mundo sufficientia sunt, sibi efficacia per Sacramentorum applicationem reddunt. Timeant igitur, qui vitam profli-

Qui vitam cadẽdo, & resurgẽdo trahũt &c.

gatis-

gatissimam; ducunt qui propriæ salutis obliti Sacramenta Ecclesiæ vel prorsus respuunt, vel sacrilegè vsurpant; *qui gratiam Dei* (vt loquitur Iudas Apostolus) *transferentes in luxuriam*, per scelera sua continua; quasi Christum de Cælo ad noua flagella trahunt, qui sanguinem Redemptoris, veluti pedibus conculcantes in peccatis per totam vitam perseuerant: quique peccatorum pænitētiam ad mortem procrastinantes iterū Filium Dei quasi in Crucem figunt. Timeant (inquam)& timendo caueāt, iuxtà salubre monitum Gaudentij, qui ait: *Cauendum nobis est ne victoriam Christi, qua diabolum triumphauit de captiuitate eius nos redimens suo sanguine, & auferens ei humani generis principatum, nostro vitio irritam faciamus: illius tyrannidi per illecebras carnis, crudeliq; eius regno nos iterum subijcientes in cōtumeliam Redemptoris. Vndè meritò conqueratur, increpans, & exprobrans, quæ vtilitas in sanguine meo? sine causa meus pro vobis sanguis effusus est, si ità vos geritis. Ità conuersemini, ne diabolus iterum principatum in vobis, & spolia se tanti detraxisse victoris, idest Christi, superbus prædo insultet.* Ex aduerso fideles illi, de quibus præsens quæstio procedit, quique cadendo, & resurgendo vitam transigunt, & in morte merita passionis Christi sibi efficacia reddunt, ea sibi proprio conatu, & studio per Sacramenta applicando, fiduciam captent, & firmiter sperent virtute meritorum Christi patientis, se certissimè fore saluandos: effusumque eius sanguinem fore suorum scelerum

Iudas Apost. Epist. cathol. n. 4

S. Gaud. trac. 12.

lerum purgationem, eorumque sordium lauacrum:
Vndè iuuat ad talium fidelium solamen verba quædam magnam consolationē spirantia, quæ D.Henricus Suso in quadam sua epistola ad pium quemdam infirmum, vt mortem parato animo exciperet, exarauit, quæ talia sunt: *Si visum est Domino, vt moriaris, firmiter retine fidem Catholicam, & lætus morieris*. Et post pauca. *Vnum est, quod multos inexpertos in morte terrere solet, eisque mortem affert acerbam, & anxiam; id videlicet, quod dum præteritos annos, dissolutamque, & malè transactam vitam reducunt ob oculos, grandi se debito obligatos Deo sentiunt, neque in illa hora satis perspiciunt, quid ad id facere debeant. Sed hac in parte certum tibi præstabo consilium, ex diuinis libris, & ipsa veritate petitum. Si tu quidem in diebus tuis perperam te vixiße nosti [sicut pauci à vitijs immunes viuunt] indè non nimium in extrema hora terreri debes. Postquam Sacramentis Ecclesię munitus es [si ea commodè possis obtinere] Crucifixi imaginem tibi ob oculos statuas, eamque intuearis, & tuo approximans pectori, atque in sanguinolenta immensę misericordię eius vulnera, te inclina, obsecrans eum, vt in ipsis cruentis vulneribus suis diuina uirtute sua, cuncta peccata tua abluat pro sui laude, & tua indigentia, uel necessitate; ac deindè fide mea securus esto; si id firmiter ità possis agere, te à cunctis uitijs penitus absolutum eße, & hilariter poße mortem appetere*. Constat igitur ex ijs, inficiandū non esse, plerosque fidelium saluari, quippè qui antè mortē præparantur per Sacramenta, &

D.Henricus Suso.

ijs

ijs mediantibus Christi sanguinis, & passionis merita, quæ aliàs erant omnibus sufficientia, sibi efficacia per applicationem reddunt.

PARAGRAPHVS DECIMVS.

In quo suadetur Conclusio ex assiduis precibus cum Militantis, tum Triumphantis Ecclesię, quę pro fidelibus iugiter funduntur.

186 PRobatur vlterius conclusio tali pacto. Vtraque Ecclesia, cum militans, tum triumphans iugiter orat, vt peccatores fideles ad pœnitentiam conuertantur: Sed vtraque Ecclesia meretur à Deo, si minus de condigno, saltem de congruo, congruitate strictè sumpta, exaudiri: Ergo probabilissimè credendum est, maiorem fidelium partem, virtute precum vtriusque Ecclesiæ ad pœnitentiam conuerti, & saluari. Maior patet: Ecclesia enim militans in Compitis, & Templis sic clamat ad Deum: *Vt ad veram pænitentiam nos perducere digneris, Te rogamus audi nos.* Triumphantem verò idem facere, infertur ex mutua communione vtriusque sub vno Capite, qui est Christus; *Communio enim ista* (vt rectè aduertit Bellarminus) *exigit, vt membra pro inuicem sollicita sint, seque mutuò iuuent iuxtà naturam membrorum sub uno Capite uiuentium*; Sicut igitur militans, ità, & triumphans Ecclesia orant, rogantque Deum, vt peccatores fideles

Ecclesia in Litanijs.

Bellar. libro de Sanctorũ beatitudine cap. 18.

les

les ad veram pænitentiam dignetur perducere. Vndè Cyprianus loquens de Beatis ait: *Magnus illic nos charorum numerus expectat: parẽtum, fratrum, filiorum frequens nos, & gloriosa turba desiderat: tam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita.* Quæ Sanctorum sollicitudo de mortalium salute astruitur in Præfatione Missæ de Apostolis, his verbis: *Gregem tuum, Pastor æterne non deseras: sed per Sanctos Apostolos tuos continua protectione custodias:* Minor verò probatur, quia congruit secundum leges amicitiæ, quod amicus amicum exaudiat, quando petit, quę iusta sunt: Vtraque autem Ecclesia est Dei amica, Deoque charitate coniuncta: & dum peccatorum contritionem, & pænitentiam petit, id, quod iustum est, petit, & consequenter digna est, vt à Deo exaudiatur. Preces igitur vtriusque Ecclesiæ, sicut opera, & orationes iustorum, atque Sanctorum habent ius quoddam amicabile, ratione cuius aliorum salutem, & iustificationem promereri possunt. Quod docuit D. Thom. his verbis: *Merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam: quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitię proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in saluatione alterius.* Hinc illud Chrysostomi: *Sicut milites* (inquit) *vulnera in prælijs sibi inflicta Regi monstrantes fidenter loquuntur; ità, & illi absecta capita gestantes, & in medium afferentes, quęcumque voluerint apud Regem Cęlorum impetrare possunt.* Et quidem non est cre-

S. Cypr. in tract. de mortalit.

Ecclesia in præfatione Missæ de Apostolis.

D. Tho. 1. 2. qu. 114. a. 6.

Chrisost. serm. de SS. Inuentio, & Maximo.

credendum minus apud Deum præualere preces vtriusq; Ecclesiæ, quam præualuit apud Assuerum Esther Reginæ intercessio. Sicut igitur Esther rogans Assuerum, & dicens: *Da mihi &c. populum meum, pro quo obsecro: traditi enim sumus ego, & populus meus, vt conteramur, iugulemur, et pereamus*, orando exorauit, & à Rege sui populi liberationẽ obtinuit. Ità etiam vtraq; Ecclesia rogans Deum, vt peccatores ad veram contritionem, & pænitentiam perducat, orando exorat: & ex congruitate in legibus amicitiæ fundata, quoddamque ius amicabile importante, impetrat peccatorum, pro quibus rogat, salutem. Neque dicas ex hac doctrina (si vera esset) sequi, omnes omninò fideles saluari cum Ecclesia in Canone Missæ oret, *Pro omnibus orthodoxis, atque Catholicę, et Apostolicæ fidei cultoribus*. Nam doctrina, quam asserimus verissima est, & passim à Theologis recepta: & vtique ex ea sequeretur, omnes fideles saluari, si omnes se redderent gratiæ infusionis, & receptionis capaces, obstaculum auferendo: sed quia nonnulli ex propria malitia obicem ponunt, ideò non omnes saluantur. Quia verò ex alia parte, maior fidelium pars, vel negatiuè se ad primam gratiam disponit, omne obstaculum auferendo: vel positiuè se præparat per Sacramenta, dispositione habente connexionem aliquam positiuam cum vberiore gratia; ideò fit, vt virtute precum vtriusque Ecclesiæ fideles sic benè dispositi, tandem iustificationem, & æternam salutem

Esther. 7.2.

Omnes fideles vi precũ Ecclesiæ saluarẽtur.

tem obtineant, ac fęliciter consequantur. Aduerte igitur hic pro clariori huius doctrinæ intelligentia id, quod obseruat D. Thomas in fine corporis articuli mox citati, quod nonnulli fidelium, pro quorũ iustificatione, & salute vtraque Ecclesia rogat, ponunt obicem, & obstaculum gratiæ: ex quo fit, quod vtriusque Ecclesiæ orationes pro eis fusæ suum effectum non sortiantur. Vndè Ieremiæ 15. habetur: *Si steterit Moyses, et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*: idest si orauerint Moyses, & Samuel pro populo, æternamque eius salutem desiderauerint, salutem ei non conferam propter eius grauissima scelera, quibus diuinæ gratiæ infusioni, & receptioni præstat impedimentum. In quo sensu Basilius ait, *Ieremiam cui dictum est à Deo*, [*noli orare, non exaudiam te*] *non exauditum fuiße propter malitiam eorum, pro quibus orabat*. Similiter Dauid preces, & bona opera sæpè obtulit Deo pro filio suo Salomone, & tamen opinantur multi eum non fuisse saluatum propter peccatum Idolatrię, & alia enormia facinora, quæ patrauerat, & quibus infusioni, & receptioni gratiæ obstaculum posuerat. Quia igitur nonnulli fidelium ex propria malitia, & obstinatione in malo, gratiæ infusioni impedimentum ponunt; ideò iustificationem, & salutem non consequuntur. Quia verò maior pars fidelium omne aufert obstaculum, ideo consequitur iustificationem, & salutem sibi precibus vtriusque Ecclesiæ impetratam. Quod si aliter eueniret

Animaduersio valdè notanda.

Ierem. c. 15.

S. Basil. in Regulis breuior. responsione ad 25.

niret, vtraque Ecclesia posset à suis hostibus exhibilari, & exprobrari sic: *Quę* vtilitas in precibus vestris, cum plerique ex ipsis fidelibus, pro quibus diù, noctùque tot orationes funditis, damnentur, & paucissimi sint, qui saluentur?

187 Confirmatur primò. Illud posse, quod conceditur iustis, qui sunt Ecclesiæ filij, non est denegandum Ecclesiæ, quæ est ipsorum Mater: sed iusti non solum existentes in Cælo, sed adhuc in terra viuentes pluries suis precibus impetrarunt alijs gratiam, nedum ad verā pænitentiam excitantem, sed etiam ad ipsam fidem vocantem. Ergo talis impetratoria facultas à fortiori cōcedenda est Ecclesiæ, tam respectu aliquorum infidelium, quam respectu maioris partis fidelium, saltem negatiuè dispositorum, & nullum obstaculum pænitentiæ ponentium. Maior, & consequentia patent. Minor probatur, quoad vtramque partem; & primò, quod impetrent infidelibus gratiam vocationis ad fidem, liquidò claret: quia vt obseruat D. Thom. *Precibus Protomartyris Stephani impetrata est à Deo efficax vocatio Pauli: vndè elegans illud Augustini effatum: si Martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet: sed ideò de terra erectus est Paulus: quia in terra inclinatus, exauditus est Stephanus.* Imò ipse Augustiuus lacrymosis Monicæ suæ Matris postulationibus ad Catholicam fidem conuersus est. Et hinc fortassis ansam ipse captauit fidelibus commendandi orationes, & preces, tanquam

Non denegatur Ecclesię, quod conceditur eius filijs.

D. Th. 2. 2. qu. 73. art. 8.

 facile

S. Aug. de bono perseu. cap. 22.

facilè medium vocationis gratiam alijs impetrandi: *Et si qui sunt nondum vocati pro eis, vt vocentur, oremus: fortassis enim sic prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur, & accipiant eamdem gratiam, qua velint esse, & efficiantur electi.* Cui consonat Gregorius dicens: *Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt: sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ità prædestinata sunt, vt precibus obtineantur: nam ipsa quoq; perennis Regni prędestinatio, ità est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi pro labore perueniant; quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sęcula disposuit donare.* Loqui autem Gregorium non solum de orationibus, quas quisque fundit pro se ipso: sed etiam de ijs, quas pro alijs mittit ad Deum, constat ex toto contextu illius loci, in quo profert exēpla beneficiorū aliquibus aliorum postulationibus concessorum. Secundò verò, quod iustorum preces impetrent fidelibus gratiam contritionis, seu pænitentiæ, habemus ex Augustino dicente, Moysem suis feruidis intercessionibus pro populo Israelitico veniam obtinuisse. Et in vita Sanctæ Lutghardis legimus, perditissimo peccatori cōtritionis gratiam impetrasse, & simul promissionem à Christo habuisse, omnibus contritionem concessurum, pro quibus ipsa intercederet. Et D. Gregorius libro 4. Dialogorum cap. 37. scriptum reliquit de Theodoro quodam Monaco, qui neque bona facere, neque etiam audire poterat, traditum fuisse sub mortem infer-

S. Greg. l. 1. dialog. c. 8.

August. q. 149.

S. Greg. libro 4. Dialog. cap. 37.

infernali Draconi glutiendum: ſed tandem ori eius, adſtantium Monachorum precibus,fuiſſe ereptum, necnon ereptum dixiſſe adſtãtibus fratribus : *Gratias Deo : ecce draco ille, qui me ad deuorandum acceperat, fugit : orationibus veſtris expulſus ſtare non potuit : pro peccatis meis modò intercedite : quia conuerti paratus ſum, & ſęcularem vitam funditus relinquere. Homo ergo* (concludit Gregorius) *qui iam, ſicut dictum eſt, ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reſeruatus ad vitam, toto corde ad Deum conuerſus eſt.* Quid dicent nunc Aduerſarij? Inficiabuntur fortaſſis poſſe ipſam Matrem Eccleſiam, quod filij poſſunt? Profectò, & idem poteſt, & plus poteſt: nam virtute orationũ eius quamplurimi infideles quotidiè vocantur, & non pauci hæreticorum reuertuntur ad fidem,vt ex Auguſtino probatum eſt, num. 181. Et ipſa eſt, quæ miniſterio Sacerdotum ſe ad Miſſam præparantium, quotidiè Deum orat dicens : *Memento omuium hęreticorum, & infidelium ad conuerſionem*; per ipſam vlterius, eiuſque interceſſiones, & preces aſſiduas maior fidelium pars ſe diſponit, & gratiam contritionis, ſeu pænitentiæ conſequitur, & ſaluatur.

Monachus adſtantiũ Fratrũ orationibus è tartarei Draconis faucibus eripitur.

188 Confirmatur ſecundò: Tantum roboris habent piorum ſuffragia, vt eorum intuitu nonnulli mortui liberati ſint de pænis inferni: Ergo plus roboris habent vtriuſque Eccleſiæ preces ad impetrandam fidelibus, qui impedimentum non ponũt, gratiam contritionis, ſeu pænitentiæ, & ſic eos

Multi liberati sunt de pænis inferni iustorum intercessionibus & suffragijs.

è pænis infernalibus præseruandos: sed plures sunt fideles, qui non ponunt obstaculum, quam qui illud ponunt: ergo plures sunt fideles, qui gratiam contritionis, & pænitentiæ impetrant, & à pænis infernalibus præseruantur, quam ij, qui nec impetrant, nec præseruantur: ac per consequens plures sunt, qui saluantur, quam qui damnantur. Prima consequentia patet, quia plus est mortuos de pænis inferni liberare, quam viuos à pænis eiusdem per contritionem, seu pænitentiam præseruare: ergo si filijs conceditur, quod est plus, non est matri denegandum id, quod est minus. Minor subsumpta, & vltima consequentia etiam constant: quia cum plures sint fideles, qui vitam cadendo, & resurgendo transigunt, & in vltima vitæ linea per sacramenta se præparant: consequenter plures sunt fideles dispositi, quam indispositi: atque adeò plures sunt, qui non ponunt obstaculum, quam qui ponũt: Vndè cum intuitu precum vtriusque Ecclesiæ certò conferatur gratia contritionis dispositis; hinc est, quod plures fideles sint, qui contritionem, seu pænitentiam impetrant, quam qui non impetrant: ac per consequens plures sunt, qui à pænis infernalibus præseruantur, & saluantur, quam qui non præseruantur, & damnantur. Antecedens, in quo esse potest difficultas probatur ab exemplis. Nam (vt refert Ambrosius) precibus Beatæ Agnetis, filius Symphronij Præfecti in peccato lethali mortuus, & ad vitam reuocatus, Idolatria relicta, ad fidem

S. Amb. ser. 90.

con-

conuersus est. Et frater septennis Sanctæ Perpetuæ Martyris sine baptismo decedens, sororis precibus ab inferis excitatus est, teste Augustino. Et Falconilla (vt Damascenus obseruat l.cit.nu. 105.) quamuis Idolorum cultrix, intercessionibus Beatæ Theclæ Virginis, & Martyris ex inferno resurrexit ad vitam. Et Traianus Imperator Oriente, & Occidente attestantibus (vt idem loquitur Damascenus) & si Idolatra, & maximus Ecclesiæ persecutor, efficacissimis Gregorij Papæ orationibus à gehennæ cruciatibus, peccatorum remissione accepta, liber euasit. Et quidam Ioseph Bethleemita meritis, & intercessionibus Sancti Angeli Martyris meæ Religionis syderis splendidissimi, post biduũ à morte reuocatus ad vitam, coram decem millibus hominum, & præcipuè coram Illustrissimis Dominis D. Ioanne Archiepiscopo Nazareno, & Petro Episcopo Bethleemita, qui omnes ob solemnitatem Natalis Domini tunc ad Bethleem Ciuitatem conuenerant, testatus est, se maximis Sancti Angeli meritis, eiusq; apud Deum validissimis precibus, & à mortis, & orci faucibus ereptum esse: quippè qui moriens ad inferos damnatus fuerat, eò quia sanctissimum Dei nomen ore sacrilego blasphemauerat.

S. Aug. de orig. animarum ad Renatũ cap. 10. S. Damasc. l. citat. n. 105.

189 Deniq; Deum secundum legem extraordinariam, ac de sua absoluta potentia, in gratiam piorum hominum pro illo intercedentium, aliquãdo damnatum aliquem ex inferno liberasse testa-

tur

S. Petr. Dam. l. 1. epist. 1. antè medium.

tur Petrus Damianus: cumque historia, quam narrat, sit planè memorabilis, & prodigiosa, eam ipsissimis sancti Cardinalis verbis consignare decreui. *In Monasterio* (sunt eius verba) *Beati Siluestri, quod in Vrbinate constitutum est territorio, quidam Monachus obijt: & ab incipiente gallicinij nocturnalis articulo vsque ad secundam diei horam cadauer exanime, lotum iuxtà morem, atque constrictum, fratribus circumquaque psallentibus in feretro iacuit. Cumque transactis iam Missarum ex maiori parte solemnijs, Agnus Dei iuxtà regulam diceretur; ecce repentè, qui mortuus iacebat in medio, anima redeunte surrexit. Stupefacti sunt Fratres, & noua nimis admiratione perterriti, nimirum quē funeris officium persoluentes extulerant, nunc vitale spiritum recepisse videbant. At cum propius accessissent, verbaque ex illius ore audire auidius inhiarent; ah scelus: ille maledicta, & contumelias in Deum cępit effundere, benedictum Saluatoris nomen impie blasphemare; mirificè Crucis signum, vt oscularetur oblatum, sacrilego ore conspuere, intemeratam quoque Dei Genitricem ignominiosis non timebat opprobrijs lacerare. Vt quid, inquiens, pro me psallitis? vel sacrificiorum hostias offerre tentatis? Ego enim in ipsa flammantis tartari profunda descendi, ibique me meus magister, & dominus Lucifer irreuocabiliter deputauit; coronā plane suam æream, inextinguibili semper ardore candentem, mihi in capite posuit: eiusdem quoque metalli, clamyde, qua induebatur ipse, vestiuit. Erat autem clamys tam longa, vt talo tenus flueret: tam feruenter ignita, vt liquefacta guttas*

Exemplum admiratione dignissimū de quodā Monacho iam ad gehennam detruso.

emit-

emittere videretur. Cumque Fratres eum, vt pęnitentiam ageret, atque vt occulta sua in medium proferret vnanimiter hortarentur, ille anathematizabat, & blasphemabat: & non solum pœnitentię remedium, sed & omnia redemptionis nostrę mysteria ore rabido, atque sacrilego condemnabat. Monachi verò adsemper victricis orationis arma pio studio recurrentes, cęperunt, abiectis indumentis, corpora sua scopis allidere, pugnis pectora tundere, psalmodiæ, atque omnibus, quibus valebant, precum generibus insudare. Cunctis itaque Fratribus in luctuosis orationibus, & ieiunio constitutis, ac sub diuinæ pietatis expectatione suspensis, tandem supernæ virtutis splendor emicuit. Ecce enim desperatus ille, & à voragine maris hiantis absorptus ad superficiem rediјt. Dei quippè Saluatoris omnipotentiam laudat, nequissimi Sathanę ludificationibus abrenunciat, Crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confessus est autem, quia post renunciationem seculi in fornicationem cecidit: quam tamen eotenus, nulli penitus per confessionis indicium patefecit. Laudans igitur, & benedicens Deum vsque in diem alterum vixit: sicque Creatori suo mirabiliter restitutus, in sancta de hoc seculo confessione migrauit. Hæc S. Cardinalis: eaque ab Humberto Archiepiscopo, & Cardinale accepisse se refert, *cuius verba* (vt ipsemet ait) *apostolica videntur auctoritate fundata.* Et tandem ad ostendendum, quãtum valeant apud Deum piorum Ecclesiæ filiorum suffragia pro impijs etiam ad æterna supplicia condemnatis, narrationem suam consolatorio hoc epiphonemate

con-

concludit: *Sic, sic nimirum fraternæ orationis fructus effloruit, quæ videlicet oratio ex ipsis gehennæ visceribus prædam rapuit, & de flammarum stipula in structura supernę Ierusalem, lapidem viuum posuit.*

190 His igitur stantibus, quis est qui neget, assiduis vtriusque Ecclesiæ precibus maiorem fidelium partem, quæ se, & negatiuè, & positiuè disponit, contritione, seu pænitentia obtenta, à pænis infernalibus præseruari? cum eius filijs, idest iustis concessum sit fideles etiam perditos, ac damnatos à gehennæ tormentis liberare? Est igitur piè credendum, assiduis Iustorum, atque Sanctorum suffragijs, Deũ, si minus omnibus orthodoxis fidelibus, saltem maiori illorum parti, suam gratiam, & misericordiam impartire, vt decedentes ex hac vita mortali salutem consequantur æternam. Vndè egregiè ad institutum ait S. Leo Papa: *Sicut nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium, patronorum orationibus adiuuandos.* Sed omnium elegantissimè Augustinus cum adhuc in terris viueret, non vnam rationem, sed plures proponebat Sanctis in Cælo, ob quas nos in terris constitutos iuuare, & communem hominũ salutem, suis apud Deum intercessionibus promouere deberent. Pono ad commune solamen deuotissimam eius ad Sanctos deprecatoriam aspirationem, quæ talis est: *Fęlices Sancti Dei omnes, qui iam transistis huius mortalitatis*

S. Leo Papa serm. 1. de SS. Petro, & Paulo.

S. Aug. in meditat. c. 24

tatis

tatis pelagus, & peruenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis, & pacis; securi, & tranquilli, semperque festiui, atq; gaudentes estis. Obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis; securi estis de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos tales fecit: de cuius pulchritudine iam satiamini: de cuius immortalitate iam immortales facti estis: de cuius beatissima visione semper gaudetis; estote iugiter memores nostri; subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vitæ circumstantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam surrexistis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum, longè inferius iacentes. Date manum, & erigite iacentes super pedes, vt conualescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. Intercedite, & orate constanter, atque indesinenter pro nobis miseris, multumque negligentibus peccatoribus, vt per vestras orationes vestro sancto consortio coniungamur: Sumus namque valde fragiles, & nullius virtutis homunciones: animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis vestigium apparet. Et tamen sub Christi confessione positi, ligno Crucis ferimur, nauigantes per hoc mare magnum, & spatiosum, vbi sunt reptilia, quorum non est numerus: vbi sunt animalia pusilla cum magnis: vbi est draco sæuissimus semper paratus ad deuorandum: vbi sunt loca periculosæ Scylla, & Charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragamur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum: orate pijssimi: orate omnia agmina Sanctorum, & vniuersi

Varia motiua Sanctorum cętui proponēda ad orādum pro nobis.

uersi cœtus Beatorum, vt vestris precibus, meritisq; adiuti salua naue, & integris mercibus peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis.

PARAGRAPHVS VNDECIMVS.

In quo suadetur veritas Conclusionis, & facilitas consecutionis salutis ex potentissimo Deiparæ Virginis patrocinio.

191 ANtequam ad hanc probationem deueniamus aliqua à nobis notatu dignissima, sunt præmittenda: vtpotè desũpta ex ipso Recupito tract. de signis Prædestinationis, & Reprobationis, cap. vlt. signo 12.

Deuotio erga Virginē præcipuum prædestinationis signum.

Præmitto igitur primo cum eodem loc. citat. num. 143. potissimum prædestinationis signum esse affectum, & deuotionem erga Deiparam: quod ipse post Pelbartum, Spinellum, Binettum, Bonartium, & alios fusissimè probat, & multipliciter. Primò ex decem locis, seu oraculis: ex decem similitudinibus: & ex decem figuris animatis, & totidem inanimatis sacræ Scripturæ. Secundò ex duodecim membris Sponsæ in Canticis Canticorum non sine mysterio descriptis. Tertiò ex decem PP. testimonijs, præter ea, quæ attexuit scripturis, & posteà rationibus intermiscuit. Demum non paucis rationibus tum à priori, tum à posteriori.

Præ-

192 Præmitto ſecundò ex eodem num. 248. non quamlibet deuotionem ergà Virginem eſſe ſignum prædeſtinationis: ſed illam dumtaxat, quæ habet aliquam ex his tribus conditionibus. Prima
„ conditio (ſunt verba formalia ipſius Recupiti) vt
„ obſequium, quod aliqua in re exhibetur Virgini
„ ſit conſtans,& perſeuerans,etiam cum adſunt cir-
„ cumſtantiæ arduæ, v.g. vt recitetur illi Roſarium,
„ vel Corona,vel Officium diebus ſingulis,itaut,ob-
„ ſtante impedimento quolibet ſeparabili, talis de-
„ uotio non interrumpatur: ſed fiat etiam à ſemi-
„ ſomni. Idem dicitur, aut de ieiunio ſingulis Sa-
„ bathis: aut de ieiunio in ſolo pane, & aqua in ſep-
„ tem vigilijs ſeptem feſtorum Virginis,& ſimilibus
„ abſtinentijs; ità vt hęc numquam,neque occaſio-
„ ne conuiuij, neque ſuaſione amicorum violentur.
„ Perſeuerantia in his, & conſtantia, etiam in cir-
„ cumſtantijs difficultatem augentibus non poteſt
„ eſſe ſine pugna, & ſpeciali Dei auxilio eiuſdem
„ Deiparæ precibus impetrato: ac proindè ſignum
„ eſt ſpecialis amoris, quo Virgo eum proſequitur,
„ cui talem perſeuerantiam in ſui obſequium impe-
„ trat, non niſi largiſſimè remuneratura. Obſequia
„ igitur ergà Virginem, quæ fiunt interdum, & fri-
„ gidè,itaut facilè omittantur,non videntur pertin-
„ gere ad ſignum prædeſtinationis, niſi continua-
„ tionem, & perſeuerantiam inducant: cum præ-
„ ſertim ex interruptione ſenſim dilabantur ad non
„ gradum, & tandem totaliter dimittantur: quod

Prima eſt, vt deuotio ſit conſtãs, & perſeuerans.

" magnum reprobationis est signum &c. Contrà
" verò cum obsequium ergà virginem retinetur se-
" riò, & constanter, facilè eiusdem Virginis benefi-
" cio ex ipsismet sceleribus euaditur ad emendatio-
" nem, ac veniam.

" 193 Secunda conditio, vt deuotio sit affe-
" ctuosa, idest coniuncta cum amore ergà Deiparã.
" Quod fit gaudendo sincerè de eius gloria, com-
" patiendo ex corde eius doloribus; optando ve-
" hementer, & curando eius obsequium: Dolendo
" acriter, & indignando de blasphemijs contra ips-
" sam: confugiendo ad eam fiducialiter: sæpè de ea
" loquendo, atque eius affectum in aliorum animis
" inserendo. Hæc signa amoris ergà Virginem, ar-
" gumenta sunt, quod quis amatur à Virgine: quip-
" pè ipsa dicit Prou. 8. *Ego diligentes me diligo*. Ille
" autem æternum Dei odium non incurret, quem
" specialiter amat Maria. Plura de his exempla
" suppetunt. Carolus S. Birgittæ filius ereptus est à
" Dęmonum faucibus, quia gaudere solebat de bo-
" no Mariæ, plusquam de suo. Alius quoque Prin-
" ceps, cum totam vitã in flagitijs traduxisset, pro-
" pè mortem ter à Sacerdote admonitus, tandem
" peccata magno animi dolore, confessus, saluatus
" est: quia vt Christus reuelauit S. Brigittæ libro 2.
" cap. 97. *Consuetudo illius fuit compati dolori Matris*
" *Dei, quoties considerabat, & nominari audiebat: ideò*
" *compendium suæ salutis inuenit, & saluatus est*. Non
" desunt, qui quotidiè Mariam apud alios nominãt,

Secũda, vt sit affectuosa, idest cũ amore erga Virginem.

Brigitta in reuel. lib. 2. c. 97.

eiusque

„ eiusq; quoad possunt laudes prædicāt opportunè,
„ importunè: ideò dicitur à S.Germ. ser. de zona: *Nomen Mariæ in ore seruorum eius versari assiduè in omni tempore, loco, & modo*: quemadmodum respiratio in corpore, vt signum vitæ. Quamobrem diem integrum, immò horam, aut momentum sine hoc sanctissimo nomine, velut sine respiratione transigere, mortiferum ferè est, & lethale. Sunt qui manè post excussum ex oculis somnū hos tres actus circa Dei Matrem exercent: *Gaudeo de tuo bono plusquam de meo. Darem tibi si haberem. Regni tui non sit finis*: Consueuerunt alij ter salutationem Angelicam recitare in gratiarum actionem Patri, & Filio, & Spiritui Sācto pro beneficijs collatis in Virginem: quod tradunt ab ipsamet Virgine B.Methildi reuelatum, tanquam obsequium sibi pergratum, & aptum ad impetrandum effectū bonæ mortis. Alij quotidiè fiducialiter ad Virginem confugientes vsurpant verba ex Damiano, *Aeternum væ nō sentiam si semel pro me oraueris Maria*. Denique alij omnia sua opera bona, eorumque satisfactionem reponunt in manibus Mariæ, vt eam ijs Purgatorij animabus impendat, quibus velit. Hi sunt actus amoris circà Deiparam, qui sunt signa non vulgaria prædestinationis, & salutis.

S.Germ. serm. de zona.

Pet. Damian.

„ 194 Tertia conditio, vt sit deuotio ergà Virginem emendatiua vitæ. Hoc signum est prædestinationis potissimum, quia omnia circà Virgi-

nem

„ nem obsequia, quæ fiunt extrà statum gratiæ, sunt
„ signa valdè remota salutis: cum sint ad summum
„ dispositiones ad gratiam intermediam, quæ signũ
„ est magis proximum gratiæ finalis infallibiliter
„ ducentis ad gloriam. Neque verò Virgo acce-
„ ptare potest, tamquam ab amico obsequia, quæ
„ illi exhibentur à filij inimico. Quamobrem Gre-
„ gorius Sept. lib. 1. epist. 47. *Pone* (inquit) *finem in*
„ *voluntate peccandi: inuenies Mariam (indubitanter*
„ *promitto) promptiorem carnali Matre in tui dilectione.*
„ Idcircò illi maximè placent obsequia, quæ sunt
„ emendatiua, & melioratiua vitæ. Talia sunt ab-
„ stinere ab aliquo peccato in eius honorem: con-
„ fiteri, & Eucharistiam percipere in eius festis: &
„ prima, ac tertia mensis Dominica, iuxta leges
„ præscriptas in Rosario. Adscribi in aliquo soda-
„ litio dicato Virgini, ibiq; seruare præscriptas sub
„ tutela Virginis regulas. Præterea offerre Virgi-
„ ni in holocaustum consolationem, qua quis cul-
„ pabiliter capiebat ex illicito, aut nimio amore
„ alicuius creaturæ: Elicere in eius obsequium va-
„ rios actus mortificationis, humilitatis, aut patien-
„ tiæ, quos aliqui flores appellant, quotidiè colli-
„ gendos, & veluti in coronam adtexendos, offe-
„ rendos Deiparæ vesperi antè cubitum. Denique
„ si quis in peccato sit, respirare ad spem veniæ, &
„ confugere sub eius tutela ad pænitentiam &c. Ex
„ quibus omnibus liquet, quod deuotio ergà Virgi-
„ nem, vt sit signum prædestinationis eximium, de-
bet

Tertia, & potissima, vt deuotio sit emẽdatiua vitæ. Gregor. lib. 1. ep. 47.

„ bet esse constans, affectuosa, emendatiua; & sal-
„ tem aliquã ex his conditionibus habere debet,
„ vt habeat respectu prædestinationis aliquam ra-
„ tionem signi: & quia sæpè in his conditionibus
„ deficit, ideò sæpè est futilis, & vana deuotio: non
„ solida, & vera: non perfecta ex aliquo sensu pie-
„ tatis ergà Virginem, sed ex mero affectu peccã-
„ di, sub spe veniæ impetrãdæ per Virginem. Hæc
omnia Recupitus.

195 Præmitto tertio patrocinium Mariæ Dei-paræ esse medium, si minus necessarium simpliciter, saltem vtilius, vtpotè valdè conducens ad finem salutis: quia per eius efficacissimã intercessionem, suffragia, & merita conferuntur, mortalibus omnia gratiæ dona, quæ sunt media planè necessaria ad finem salutis assequendum: quod vno ore Sancti Patres fatentur. Bernardinus, *Plenitudo gratiæ* (inquit) *fuit in Christo, sicut in Capite influente: in Maria verò tanquam in collo transfundente*. Bernardus, *Datum est* (ait) *Mariæ, vt per illam acciperes quidquid haberes*. Albertus cum eodem Bernardo appellat Virginem: *Aquæductum, per quem ad nos descendunt omnes gratiæ*. Antoninus, *Mater bonorum omnium* (inquit) *quoniam per eam de Cœlo exiuit ad nos quidquid vnquam gratiæ creatum venit in mundum*. Et tandem clarissimè omnium S. Germanus, Virginem alloquens, ait: *Nemo est, qui saluus fiat, nisi per te; Nemo, qui liberetur à malis, nisi per te. Nemo, cuius misereatur gratia, nisi per te*. Quibus verbis omnia dona

S. Bern. Senensis tom. 1. cõcione 61. ar. 1. c. 10.
S. Bern. serm. 3. in Virg. natiu.
Albert. Magn. sup. Missus est.
S. Ant. 4. p. tit. 15. c. 20. § 12.
Germ. hom. de zona.

Dei

Dei supernaturalia comprehendit. Nam hæc, vel remouent à malis, & de his ait: *Nemo est, qui liberetur à malis*. Vel conferunt bona spectantia ad statum gratiæ, & de his inquit: *Nemo, cuius misereatur gratia*. Vel bona spectantia ad statum gloriæ, & de his subdit: *Nemo est, qui saluus fiat, nisi per te*. Et tandem omnia paucis complectens: *Nemo est* (inquit) *cui donum conferatur, nisi per te*. His præmissis.

196 Probatur primò veritas conclusionis, & facilitas assecutionis salutis ex deuotione erga Virginem ratione à priori sic. Præpotens Mariæ patrocinium est medium valdè conducens ad finem salutis: Ergo qui facilè illo potitur, facilè salutem assequitur. Sed maior fidelium adultorum pars eo facilè potitur: Ergo maior adultorum fidelium pars salutem facilè assequitur. Antecedens probatum remanet ex mox dictis numero 195. Prima consequentia constat, quia qui facilè potitur medijs, facilè assequitur finem, cum assecutio finis pendeat à medijs. Minor subsumpta probatur sic. Ille facilè potitur præpotenti Mariæ patrocinio, qui eius obsequijs speciali affectu, & deuotione mancipatur: sed maior fidelium pars eius obsequijs speciali affectu, & deuotione mancipatur: ergo maior fidelium pars facilè potitur præpotenti Mariæ patrocinio. Maior constat ex Idiota, qui ait: *Ipsa namque diligit diligentes se, imò, & seruientibus seruit*. Minor verò ipsa experientia manifestissima redditur

S. Idiota in prolo. ga ad cōtemplationem de Virgine.

tur

tur: vix enim reperitur inter fideles adultos, qui Mariam non habeat in ore, ſiue eam laudando, ſiue precando, ſiue eius nomen inuocando, & auxilium implorando, ſiue alios ad eiuſdem amorem, ſeu cultum exhortando. Et quidem quis eſt ex veris fidelibus, qui ſaltem ob Deiparæ amorem eius Roſarium quotidie non recitet? vel eius ſacrum Habitum (vulgò *Scapulare* appellatum) tanquam Carmeliticæ Confraternitatis teſſeram die, noctuque non geſtet? & feria quarta ſe à carnibus non abſtineat ob Mariæ de Carmelo deuotionem? illaſque paucas preces, ac modicam abſtinentiã ſodalibus præſcriptas nõ frequentet? & omnia hęc, adeò conſtante perſeuerantia, ac perſeuerante conſtantia exequatur, vt ſi quæ ſe offerat impedientis circumſtantiæ arduitas, illam ſtrenuè ſuperet, & effringat? Cum igitur maior fidelium adultorum pars ſit aliquo Virginis obſequio mancipata, vel cũ omnibus ſimul iunctis, vel ad minus cum vna ex tribus cõditionibus à Recupito recenſitis, quomodo poteſt idemmet Recupitus non affirmare, pleroſque fidelium præpotenti Virginis patrocinio potiri, eiuſque ſuffragantibus meritis, ac interceſſionibus fęlicitatem conſequi ſempiternam?

196 Probatur ſecundò ſic: Mater, quæ plures habet filios inter ſe pugnantes, & diſcordes, ſi ei nõ deſit voluntas, & poteſtas componendi illos, facilè fratri maiori minores reconciliabit, vt pacificè cõuiuant, & ſimul regnent; ſed Deipara Virgo eſt

Mater plures habens filios, Christum scilicet, & fideles peccatores cum eodem Christo ob peccata iugiter pugnantes, & rixantes; habetq; non solum voluntatem, sed etiam potestatem eos componendi: ergo facilè eos componit, Christo fratri maiori minores reconciliando, operaturque, vt pacificè conuiuant, & simul in Cælo regnent. Consequentia tenet ex forma. Maior patet ex illo Prophetæ. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* Minor quoad primam partem asseritur à Bonau. his verbis: *Sed numquid solius Christi Mater est Maria? Imò certè* [*quod iucundissimum est*] *Maria non solum est Mater Christi singularis, sed etiam mater omniũ fideliũ vniuersalis*. Ab Ambrosio apud Vegam: *Si Christus est* (inquit) *credentium frater, cur non ipsa, quæ genuit Christum, sit mater? Eia charissimi omnes nunc gaudeamus: nunc omnes gaudendo dicamus: Benedictus frater, per quem Maria est nostra mater: & benedicta mater, per quam Christus est noster frater*. Adstruitur etiam à Ricchardo: *B. Maria* (inquit) *& si carnaliter genuit vnicum filium, in eo tamen spiritualiter mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus: Vndè signanter dictum est, peperit filium suum primogenitum: sicut enim Eua dicta est mater omnium viuentium vita naturæ*, Gen. 3. *Sic Maria mater omnium viuentium vita gratiæ*. Ex quibus infert Bernardus, Christum Dominum esse fratrem nostrum ex vtroque latere Patris, scilicet, & Matris. *Puto* (inquit) *quod me non potest*

Isaiæ c. 49.15.

Deipara est mater Christi, & Christianorũ

S. Bonauent. in spec. c. 8.

S. Ambros. apud Vegam t. 1. Theolo. Mariana.

Riccar. à S. Lauren. li. 6. de laud Virg.

potest spernere Christus; quia os de ossibus meis, & caro de carne mea: nam maior fraternitas est inter nos, & Dominum, quam inter Dominum, & Angelos: nam fraternitas Angelorum est ex parte Patris tantum ratione creationis; inter nos verò, & eum est fraternitas ex parte Patris, et Matris: ex parte Patris ratione creationis, et ex parte Matris ratione susceptæ humanitatis. Quod in maximum omnium solatium, ac fiduciam cedit: possumus enim confidenter asserere cum D. Bonauentura ex Anselmo: *Dic anima mea cum magna mentis fiducia, exultabor, et lætabor: quia quidquid iudicabitur de me pendet ex sententia Matris, et Fratris mei.* Eadem minor quoad secundam partem etiam liquet ex Patribus. Quod enim Virgini nec voluntas desit, nec potestas suos filios inter se discordes componendi testatur Bernardus dicens: *Nec facultas illi deesse potest, nec voluntas: nisi fortè, aut non creditur Dei Filius honorare Matrem: aut dubitare quis potest, omninò in affectum charitatis transiße Mariæ viscera, in quibus ipsa, quę ex Deo est, charitas nouem mensibus corporaliter requieuit.* Vult igitur Virgo omnes peccatores recōciliare maiori fratri Christo, dummodò per ipsos non stet: & ideò ait Idiota loc. cit. *Ipsa super benedicto Filio suo irato potentissimè reconciliat seruos, et amatores.* Imò eo maiori conatu, & affectu hoc præstat, quò magis in pænam peccatorum videt minores fratres à fratre maiore derelictos; idcircò Bernardus Mariam alloquens ait: *Tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu am-*

S. Bern. serm. de Annūc.

S. Bona. ex Anselmo.

S. Bern. ser. 1. de Assump.

S. Bern. apud Bonau. in speculo.

 ple-

plecteris, foues nec deseris, quousque horrendo Iudici miserum reconcilies. Hinc Eutychianus: *O Domina mea* (inquit) *defensio generis humani, portus, & protectio eorum, qui ad te confugiunt. Quis vnquam tuam fideliter rogauit opem, & fuit deiectus? reuera nullus vnquam.* Damianus, *Data est illi* [*Mariæ*] *omnis potestas in Cęlo, et in terra: Nihil illi impoßibile, cui possibile est releuare in salutis spem desperantes.* Et Bonau. *Quia Dominus* (ait) *potentissimus tecum: ideò tu es potentißima secum.* Et Anselmus, *Te* (inquit) *Deus sic exaltauit, vt omnia tibi secum possibilia esse donauerit. Tu velis, et nequaquam eße non poterit.* Quapropter Birgitta, *Quid* (ait) *est quod non poteris? quod enim tu vis, hoc factum est.* Vbi acutè obseruat ipsemet Recupitus, Birgittam non dixisse *fit*: sed factum est: quasi satis sit, quod Maria velit, vt id, quod vult, non tam sit faciendum, quam factum. Vndè Anselmus infert, impossibile esse, vt sit reprobus, cuius Maria velit salutem, ait enim: *Benignißimus filius tuus Dominus noster Iesus Christus erit ad concedendum quidquid voles promptissimus, et exaudibilis. Tantummodò uelis nostram salutem, et uerè nunquam salui eße non poterimus.* Profectò si Recupitus præfata verba, quæ loc. cit. scripsit in memoriam reuocasset, sententiam certè mutasset, & intuitu meritorum, ac præpotentis Virginis patrocinij, maiorem fidelium partem, quæ eiusdem Virginis obsequio se fideliter addicit, omninò saluari asseruisset. Si quidem cum Virgo ex

Eutych. in vita Theoph.

Pet. Da. ser. 1. de natiu.

S. Bona. in spec. c. 5.

S. Ans. libro de laudib. Virg. c. 12.

S. Birg. in reuc. l. 4. c. 74.

Recu. de sign. pra des. cap. vlt. nu. 280.

S. Ans. l. de exce. Virg. c. 12.

vna

vna parte ſit Mater Chriſti, & fidelium, qui ob peccata ſimultatem cum Chriſto eorum fratre, & reorum Iudice profitentur; Et ex alia, ipſa habeat tum voluntatem, tum facultatē eorum diſcordias componendi: & quatenus mater eſt, contentiones, & diſſidia inter filios ſubſtinere non poſſit: illicò ſe inter eos ſequeſtram interponit, hinc Chriſtum enixè rogans, vt parcat: Illinc peccatores minis terrens, promiſſis alliciens, vt veniam petant: nec ceſſat ab opere incepto, donec ab his pænitentiam, & peccatorum confeſſionem: & ab illo indulgentiam, & remiſſionem impetret, & ferè non dixi, ſuauiſſima ſuæ facundiæ dulcedine extorqueat. Hinc S. Ambroſ. ſic Virginem deprecatur: *Sed ne attendas filiorum iniurias, à quibus non, vt dignum eſt, honoraris amantiſsima mater: Tolerat enim pia mater irreuerentiā filiorum: quia amore vincitur generationis. Foue ergo, & ſi tanti meriti indignos, pijs orationibus, quos in vno genuiſti, deprecare vnicū filiū pro exceſsibus multorū filiorū.*

S. Amb. ſerm. de Purif.

197 Sed iuuat audire melliflua verba grauiſſimi Auctoris Adami lib. de perſeuerantia, qui Deiparam alloquens, ſic affatur: *O quanta ergo nobis ad Deum per te fiducia eſſe poterit? Tu enim mater Regis, & mater exulis: Tu mater rei, tu mater Iudicis. Tu mater Dei, tu mater hominis. Per te enim reus factus eſt frater Iudicis. Vndè cum ſis vtriuſq; mater diſcordiam inter filios ſuſtinere non poteris. Quid ergo reo timendum eſt, cui in cauſa ſua idem frater eſt, qui & Iudex, cui ſemper proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: & cuius*

Adam. l. de perſeuer. apud incognitū in pſ. 87.

miſeri-

misericordia superexaltat iudicium? Timere ergo non debet, vt pereat, cui misericordiæ mater clementissimi fratris, & iudicis se pijssimam matrem exhibet, & potentissimam aduocatam. Tu misericordiæ mater non rogabis pro filijs filium? Rogabis quidem: quia, qui filium tuum inter Deum, & hominem posuit mediatorem: te quoque inter Deum, & iudicem posuit mediatricem. Ad hoc namq; electa es, & assumpta in matrem omnipotentis, vt in partu tuo inueniat locum iniquitas peccatorũ. Ad hoc te in cellam aromatum suorum erexit medicus, & vt apud te, & per te reperiat ægrotus sanitatem. Si ergo causam tantæ tuæ sublimitatis attendas, te totam debes miseris, vt eis reportes antidotum reconciliationis. Neq; tu vnquam poteris faciem iudicis inuenire difficilem: sic nec te reus vnquam inueniet inexorabilem. Abundas enim, & superabundas visceribus pietatis: quia non solum impleuit te: sed superuenit in te accumulatioris gratiæ plenitudine Spiritus sanctus. Hæc Adam aurea planè mellifluo càlamo verba exarauit, quæ corda peccatorum mirabiliter exhilarant: studiosisque Deiparæ clientulis fiduciam salutis adipiscendæ fortè plusquam moraliter certam inijciunt.

198 Probatur tertiò ex D. Anselmo, qui Deiparam alloquens, hæc grauissima profert verba: *Sicut, ò Beatissima Virgo, omnis à te auersus, et à te despectus, necessè est, vt intereat; ità omnis ad te conuersus, et à te respectus impossibile est, vt pereat.* Vbi maximè aduertendum est verba illa, *necessè*, & *impossibile*, non tollere arbitrij libertatem, seu indiffe-

Ansel. in medi. Virg. apud Bonauin. spec. c. 3.

ren-

rentiam, & potentiam ad vtrumlibet; Neque intelligenda sunt in sensu diuiso, sed in sensu composito; in quo idem est dicere, *despectus à Virgine necesse est, vt intereat, ac dicere, despectus à Virgine potest non interire: sed infallibiliter interibit*. Et ex aduerso idem est dicere. *Respectus à Virgine impossibile est, vt pereat*, ac dicere, *Respectus à Virgine, potest quidem perire: sed infallibiliter non peribit*. Ex quibus benè intulit Mendozza, periculosam non esse, sed securã huiusmodi loquutionẽ, *Impossibile est damnari eum, qui B. Virginem colit*. Quod tamen intelligendum est in sensu composito, non diuiso. Sensus enim diuisus in hac loquutione est, quod fidelis colens Virginem, simul cum illo cultu habet re vera potentiã ad damnationem: sed quia si damnatio poneretur, Virginis cultum destrueret: ideò nunquam ponetur: nec vnquam coniungentur simul hæc duo, scilicet Virginis cultus, & damnatio eam colentis; Sensus verò cõpositus est, quod fidelis colens Virginem, eiusque cultum perseueranter exercens, nõ potest damnari, idest quamuis habeat potentiam ad damnationem; numquam tamen ponet, & componet simul damnationem, & cultum Virginis. Sic etiam explicatur loquutio illa Ioannis. *Omnis, qui natus est ex Deo non peccat, sed nec peccare potest; quoniã semen Dei manet in illo*. Est enim vera in sensu composito: quia homo natus ex Deo, quamdiù habet semen Dei in se, non potest peccare, idest non potest coniungere peccatum, & semen Dei simul. Attamen

Sensus verborũ Ansel.

Mẽdoza in viridi. li. 2. probl. 9.

1. Io. 3.

tamen

tamen falsa est loquutio illa in sensu diuiso: quia homo, etiam habens semen Dei in se, habet re vera potentiam ad peccādum simul cum illo semine: at quia si peccatum poneret, Dei semen destrueret: ideò nunquam ponet simul hæc duo, scilicet peccatum, & semen Dei. Idem quoque constat in hac propositione. *Prædestinatus non potest damnari*: certum est enim prædestinationem non tollere libertatem: & tamen non potest cum damnatione componi: Vndè S. Thom. inquit: *Non enim ista sunt incompossibilia: Deus vult istum saluari, et iste potest damnari: sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum saluari, et iste damnabitur*. Quod sub alijs terminis explicant Thomistæ cum Capreolo dicentes, quod voluntas habet simultatem potentiæ, idest simul, & semel habet potentiam ad opposita: non tamen potentiam simultatis, idest non habet potentiam ad opposita simul ponenda, & verificanda, vndè tota simultas se tenet ex parte potentię: non autem ex parte actuum oppositorum, ad quos potentia se extendit. His omnibus explicatis, ex sententia Anselmi sic potest efformari argumentum. Qui diligit Virginem, & se se ad eam conuertit, ab eadem diligitur, & respicitur: ipsa enim Prou. 8. in sensu literali secundario dicit; *Ego diligentes me diligo*: Sed ferè omnes fideles diligunt B. Virginem, ac peculiari aliquo obsequio se ad eam conuertunt: ergo ferè omnes fideles à Virgine diliguntur, & respiciuntur. Tunc sic: sed qui diligitur, & respicitur à Vir-

S. Th. q. 23. de veritat. a. 5. ad 3

Argum. eruitu ex verbis Anjel.

Virgine per Anſelmum, impoſſibile eſt, vt pereat, ſcilicet impoſſibile eſt vt damnationem ſimul cum tali reſpectu, ac dilectione componat, & coniungat: Ergo maior fidelium pars, quæ à Virgine diligitur, & reſpicitur, impoſſibile eſt, vt pereat. Ergo neceſsè eſt, vt ſaluetur: idem enim eſt non perire, ac ſaluari: ſicut ab oppoſito idem eſt perire, ac dãnari. Et ideò S. Antonin. 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 7. ab expenſa doctrina Anſelmi deducit hanc conſequentiam: *Neceſsè eſt, ut ij, ad quos Maria pro eis aduocans conuertit oculos, iuſtificentur, et glorificentur.* Ex qua conſequentia etiam nos colligere poſſumus facilitatem, quam habent fideles à Virgine reſpecti ad conſequendam ſalutem. Nam ex oculis Virginis hauritur ſalus, vt docent Anſelm. & Antonin. Cum igitur Virgo facilè poſſit oculos ſuos conuertere ad fideles ipſam reſpicientes, ſequitur, facilè poſſe fideles ab ea reſpectos ſaluari, & præhabita iuſtificatione glorificari. Quod autem Virgo facilè conuertat miſericordiæ ſuæ oculos ad ſe reſpicientes, ipſamet faſſa eſt B. Geltrudi: nam dum caneretur Salue Regina, & deuentum eſſet ad verba: *Illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte* illicò Deipara ad canentes conuerſa dixit: *Hi ſunt miſericordioſiſſimi oculi mei, quos ad omnes me inuocantes poſſum ſaluberiter inclinare: vndè & vberrimum fructum conſequantur ſalutis æternæ.* Hinc iure optimo Damaſcenus Virginem alloquens clamat. *Spem tuam habens, ò Deipara, ſeruabor: defenſionem tuam poßidens non timebo:*

S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. c. 14. §. 7

In reuel. B. Gelthrudis lib. 4. c. 53.

mebo: Persequar inimicos meos, & in fugam vertam, habens vt thoracem protectionem tuam, & auxilium tuum: Nam deuotum tibi esse est arma quædam salutis, quæ Deus ijs dat, quos vult saluos fieri.

Ioa. Damasc. in annunc. Dei Genitricis apud Binettum in Tesseram n. 12.

199 Confirmatur primò: quia nos hic loquimur non solum de peccatoribus, qui in vita sæpè cadunt, & sæpè resurgunt, sed etiam de eisdem in morte se per Sacramenta præparantibus, & ad sanctificantem gratiam disponentibus: hi enim simul iuncti maiorem partem fidelium conflant, & constituunt. Sed almifica Virgo similibus peccatoribus, non solum in vita, sed etiam in morte opitulatur, & protegit, vt saluentur: Ergo piè credendũ est, maiorem fidelium partem iustificari, & saluari. Minor quo ad primam partem de peccatoribus à Deipara in vita protectis constat ex supradictis: Quoad secundam verò de peccatoribus protectis in morte probatur. Tum quia Blosius Abbas adducit ipsam virginem sic loquentem: *Ego omnibus, qui mihi piè, & sanctè deseruiunt, volo in morte fidelissimè, tanquam Mater pijssima adesse, eosque protegere, & consolari.* Tum quia Riccardus virgineum hoc in morte patrocinium sic confirmat: *Beata Virgo Maria seruorum suorum animas de corporibus exeuntes protegit ab incursu aerearum Potestatum, quibus est terribilis, vt castrorum acies ordinata, vti sæpè legitur in eius miraculis. Fugiunt enim, qui oderunt, à facie eius: & ipsa in adiutorium nostrum exurgente dissipantur inimici eius, & nostri. Custodit enim exemplo filij animas*

Blos. in monili spirit.

Riccar. à S. Laur. lib. 2. de laudib. Vir. partic. 1.

mas

mas seruorum suorum, & de manu peccatoris liberabit eos. Quia qui illam amant à doloribus conseruabit. Sap.c.10. *Quare sapienter hortatur sapiens* Prou.8. *Ne dimittas eam, et custodiet te, et dilige eam: et seruabit te. Videtur enim illa dicere Filio, sicut Filius Patri volo Fili, vt vbi ego sum, ibi sit et minister meus. Quare roganda est Maria, vt velit: quia si vult, necessè est, vt fiat.* Porrò ità assistit B. Virgo suis clientibus, ex reuelat. Birgittæ: *Sicut mulier alteri mulieri parienti astans, vt iuuet infantem: ne in illo arcto spatio, per quod exit, suffocetur: custodiens animam à dæmonibus, quod nullus eorum eam possit attingere.* Nec iuuat solum in morte: sed etiam post mortem, vt ait Idiota: *Adiuuat in vita præsenti tam bonos, quam malos: bonos in gratia conseruando, vndè canimus, Maria mater gratiæ: malos ad misericordiam reducendo, ideò dicitur, mater misericordiæ. Adiuuat etiam in morte ab insidijs diaboli protegendo, ideò dicitur, tu nos ab hoste protege. Adiuuat quoque post mortem, animas suscipiendo, ideò dicitur, et hora mortis suscipe.* Quod totum agnoscens Ecclesia supplex dicit in angelica salutatione: *S. Maria, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ:* quasi dicat, nunc, idest in hac vita, ac in morte, & post mortem. Plurimum igitur prodest vnicuique Virginis deuoto, eam precari cum Bonauentura: *In exitu animæ meæ de hoc mundo occurre illi Domina, & suscipe eam. Consolare eam vultu sancto tuo: aspectus dæmonis non conturbet illam: esto illi scala ad Regnum Cœlorum, & iter rectum ad Paradisum Dei. Impetra*

S. Brig. l.7. reue. c.13.

Idiota in contēplat. Virginis.

S. Bona. psal.113

petra illi à Patre indulgentiam pacis, & sedem lucis inter seruos Dei. Sustine deuotos antè Tribunal Christi: suscipe causam eorum in manibus tuis. Cuius rationem veluti reddens Virginis studiosissimus Thomas de Kempis, inquit Virginem pro deuotis sibi clientulis in hora mortis sic locuturam ad Filium: *Fili mi amantissime, miserere animæ famuli tui, amatoris, & laudatoris mei, sicut tu benè nosti, & vidisti, de cuius ore sancti Angeli sæpius mihi deuotæ salutationis, gaudia nunciarunt: qui etiam ad laudandum nomen sanctum tuũ, & meũ plures secum fratres inuitare consueuit &c.* Ex his omnibus patet, quam benè colligi possit, maiorem fidelium partem ob Virginis intercessionem, & protectionem saluari. Nam si dicit Riccardus à S.Laurent. quod *si ipsa velit, necessè est, vt fiat*: Ergo si vult, quod suo obsequio addicti salutem consequantur, necessè est, vt saluentur: necessitate tamen, nec nostri arbitrij libertatem, ac indifferentiam ad vtrumlibet negante, nec aliud importante, quam piam valdè credulitatem de æterna salute, suffragantibus Deiparæ precibus, ac meritis obtinenda. Sed ipsa non solum vult, sed rogat, & enixè procurat, vt ij, qui aliquo speciali cultu ipsam venerantur, & colunt, saluentur. Ergo necessè est, vt maior fidelium pars saluetur; Cum maior fideliũ pars quotidiano aliquo obsequio ipsam colat, veneretur, & laudet. Vidit forsan Recupitus vim huius rationis super validum Deiparæ patrocinium innixæ: & ideò inter rationes, quas pro nostra,

Thom. de Kẽp. serm. 21 ad Nouit.

noſtra,& contrà ſuam ſententiam, adduxit,hanc , ſi minus ex induſtria, ſaltem ex obliuione præterijt, nec vllam de ea mentionem fecit.

200 Confirmatur ſecundò ſic. Potiſſimum prædeſtinationis eſt ſignũ, etiam in peccatoribus, ergà Virginem deuotio: ſed nemo, vel ferè nemo inuenitur adeò ſceleſtus inter fideles, qui deuotionem aliquam non habeat ergà Virginem. Ergo nemo, vel ferè nemo eſt inter fideles, qui non ſit prædeſtinatus. Hoc eſt argumentum, quod ipſemet Recupitus ſibi obijcit tract. de ſignis prædeſtinationis pag.483. poſtquam luculẽtiſſimè probaſſet duodecimum prædeſtinationis ſignum eſſe ergà Deiparam deuotionem: ad quod argumentum ipſemet.

Reſpondet primò,negando conſequentiã: aliud eſt enim habere ſignum aliquod prædeſtinationis: aliud eſt eſſe prædeſtinatum. E' ſignis enim coniecturalibus, in quibus eſt quæſtio præſens,vnum,vel alterum non ſatis eſt ad infallibilem veritatem rei. Sicut igitur in rebus medicis multa ſunt ſigna recuperandæ ſanitatis, quæ ſeorſim accepta ſunt valdè coniecturalia, & fallibilia: ſi verò plura ex ijs adunentur, faciunt certitudinem moralem; ita &c.

Sed contrà: quia maior fidelium pars, quæ aliquam habet erga Virginem deuotionem, non ſolũ habet hoc ſignum ſuæ prædeſtinationis: ſed vnà cũ iſto alia plura: vndè ſi plura ex ſignis coniecturalibus, & fallibilibus faciunt certitudinem moralem,

ſequi-

sequitur consequenter maiorem fidelium partem, quæ simul cum deuotione ergà Virginem habet plura alia prædestinationis signa, esse de sua præstinatione moraliter certam. Quod autem simul cum deuotione ergà Virginem habeat plura alia prædestinationis signa probo clarissimè ex ipsiusmet Recupiti doctrina. Ipse enim tractat. de signis prædestinationis, inter alia signa numerat timorem peccati: pænitentiam celerem: pænitentiam fructuosam: passionis Christi gratam memoriam: frequentem, & deuotum Eucharistiæ vsum; & pagina 109. addit pro magno prædestinationis signo vsum Indulgentiarum frequentem, & deuotum: medijs enim indulgẽtijs suppletur per Christi sanguinẽ quidquid satisfactionis ex parte nostra deest. Atqui maior fidelium adultorum pars, quæ quoties prosternitur, toties erigitur, & Deiparæ deuotioni est addicta, simul cum deuotione erga Virginem, habet timorem peccati, ob quem post lapsum celeriter, & fructuosè pænitet, cum detestetur peccata, & à via sua mala conuertatur; vtitur sæpè sæpius indulgentijs: accedit frequenter, & deuotè ad Eucharistiam, & sæpissimè gratam habet memoriam de Christi passione: Ergo maior fidelium pars, cum non vnum, vel alterum, sed plura adunet prædestinationis signa, moralem de sua prædestinatione certitudinem habet.

Respondet idem secundò, negando quamlibet deuotionem ergà Virginem esse prædestinationis signum:

ſignum: ſed illam dumtaxat, quæ vel eſt conſtans, & perſeuerans, etiam cum adſunt circumſtantiæ arduæ; vel affe ctuoſa, ideſt coniuncta cum amore ergà Deiparam; vel ſaltem emendatiua, & melioratiua vitæ iuxtà ea, quæ adduximus ex eodem n. 211. 212. & 213.

Hanc reſponſionẽ equidem expanſis vlnis amplector: quia quamuis ſæpè in his conditionibus deficiant multi fideles: nihilominus experientia docet, maiorem eorum partem obſequium aliqua in re Deiparæ exhibere, ſi minus cum omnibus, ſaltem cum vna, vel altera ex his conditionibus, quæ etiam diſiunctim ſumpta ſufficiẽs eſt, vt ipſe docet. Ex quo meritò infertur, maiorem fidelium partem per ipſummet Recupitum habere poſſe pro potiſſimo ſuæ prædeſtinationis ſigno deuotionem ergà Deiparam.

201 Probatur quartò ex doctrina ipſiuſmet Recupiti, maiorem fidelium partem Deiparæ interceſſione, & meritis ſaluari. Docet Recupitus tom. 2 lib. 3. quæſt. 10. c. 4. Beatiſſimam Virginem in deſignatione prædeſtinatorum, & in ſpeciali pro ijs meritorum Chriſti oblatione, ſuffragiũ aliquod habuiſſe; ità vt illa deſignatio ſaltem ex parte ab illius voluntate dependeret. Probabile igitur exiſtimat, Chriſtum, cui commiſſa fuit deſignatio, & & quaſi præſentatio prædeſtinatorum, grauiſſimum hoc negotium Matri non celaſſe. Probabile item dijudicat, Chriſtum dum Matri reuelauit, commiſ-

Maria fuit in conſiliũ diuinæ prædeſtinationis adhibita.

ſam ſibi fuiſſe ſpecialem, & efficacem meritorum oblationem aliquibus ab ipſo eligendis, ſaltem aliquam talis deſignationis partem eius arbitrio remiſiſſe. Ponamus namque (adijcit Recupitus) numerum prædeſtinatorum à diuino intellectu, antécedenter ad præuiſam Chriſti deſignationem, prædefinitum fuiſſe in communi, & vagè, puta quingentos miliones hominum abſolutè; & efficaciter eſſe ſaluandos, & creandos eſſe hominum miliones bis mille. Profectò permiſſa Chriſti arbitrio deſignatione ſpeciali talium, & talium indiuiduorum; pro quibus ſpecialius ſua merita voluiſſet offerre; Veriſimile eſt Chriſtum communicato cum Matre conſilio, ex tanto deſignandorum numero, ſaltem aliquam ei partem, v.g. cētum miliones hominum ab ea in indiuiduo determinandos expectaſſe: vt pro quibus ipſa ſpecialius ſua merita offerret, pro ijs ipſe ſpecialius offerret ſua, & præſentaret Patri tanquam efficaciter, & abſolutè ſaluandos. Sicut igitur deſignatio prædeſtinatorum ex parte fuit à Patre conceſſa Chriſto: ex parte verò eam retinuit ſibi Pater; ità vt aliqui deſignati fuerint à Chriſto, aliqui à Patre, vt docent Vaſquez, Arrubal, Leſſius, & Perrottus apud ipſum. Ità Recupitus opinatur prædeſtinatorum deſignationem totaliter à Patre Chriſto conceſſam, à Chriſto partim fuiſſe traductam in Mariam; partim eam ſibi retinuiſſe Chriſtum; ità vt aliqui fuerint deſignati à Filio, aliqui à Matre: omnes tamen poſteà ab ipſo Deo hanc deſi-

designationem acceptante, fuerint prædestinati. Supposita pro nunc huius doctrinæ probabilitate, tale efformo argumentum. Deipara per recupitum fuit suo modo in consilium diuinæ prædestinationis adhibita: & à Christo facultatem accepit designandi,& quasi præsentandi prædestinandos: Ergo piè credendũ est Deiparam designasse, & Christo quasi præsentasse viros fideles, eosq; præcipuè, qui sibi obsequentes, specialique affectu suæ deuotioni mancipandi erant. Tunc sic: sed maior fidelium adultorum pars est Deiparæ obsequens, specialiq; affectu suæ deuotioni mancipata: Ergo maior fidelium pars per designationem, & quasi præsentationem à Deipara Christo factam fuit in numero prædestinatorum adscripta: & consequenter maior fidelium adultorum pars salutem assequetur. Hæ duæ postremæ consequentiæ patent. Minor subsumpta sufficienter probata est suprà num. 215. Antecedens quoad vtramque partem asseritur ab ipso Recupito, ipsumque infert ex doctrina Augustini serm. 15. de SS. dicentis: *Quæ meruit pro omnibus proferre pretium, impendere etiam potuisse suffragiũ.* Prima consequentia, in qua est difficultas probatur sic. Si Deipara non designauit, & quasi præsentauit Christo prædestinandos fideles, qui sibi obsequentes, suæque deuotioni mancipandi erant, hoc contigisset, quia ipsi defuisset, vel potestas, vel voluntas: sed neutra ex his ipsi defuit; non potestas, quam ipse iam supponit, quamque firmat Petrus

August. Ser. 15. de SS.

Pet. Damian. serm. de natiu. Damianus, qui Virginem alloquens ait: *Fecit in te magna, qui potens est: & data est tibi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Neque voluntas, quia Bernardus suprà num. 217. clarissimè ait: *Ei nec facultas defuit, nec voluntas &c.* *Ber. ser. 1. de Assump.* Vbi non solum asserit mellifluus Doctor, Virgini nec potestatem potuisse deesse, nec voluntatem: sed vlterius infert, hanc veritatem ab eo solum negari posse, vel *qui non credit, Dei Filium Matrem suam honorasse: vel qui dubitat, transisse omninò in affectum charitatis viscera Mariana, in quibus Christus, qui charitas ex Deo est, nouem mensibus corporaliter requieuit.* Quasi diceret; sed nemo fidelium est, qui primum non credat, vel de secundo dubitet: Ergo cuncti, & singuli fideles tenentur credere, nec facultatem Virgini, nec voluntatem defuisse designandi, & quasi præsentandi Christo prædestinandos fideles sibi obsequentes, ac speciali affectu deuotos.

202 Probatur denique veritas assertionis ex Reuelatione quadā per Deiparam facta B. Birgittæ lib. 6. reuelat. cap. 10. quæ talis est. *Nullus est adeò maledictus, qui quamdiu viuit, careat misericordia mea: quia propter me leuius tentantur à dæmonibus, quam aliter tentarentur. Nullus est ità alienatus à Deo, nisi omninò fuerit maledictus, qui si me inuocauerit, non reuertatur ad Deum, & habeat misericordiam.* *Birgitt. in reuel. l. 1. c. 10.* Ex quibus verbis ore proprio à Deipara prolatis tale depromo argumentum. Qui maledictus omninò non est, dummodò Deiparam affectuosa deuotione inuocet,

cet,

cet, reuertetur ad Deum, & habebit misericordiã: sed maior fidelium pars quæ cadendo, & resurgendo vitam transigit non est omninò maledicta: & ex alia parte in quacumq; necessitate cum temporali, tum spirituali Deiparam inuocat, eiusque implorat auxilium: ergo maior fidelium pars Deiparę meritis, & intercessione reuertetur ad Deum, & habebit misericordiam. Consequentia tenet ex forma. Maior constat ex dicta reuelatione. Minor quoad secundam partem patet experientia: quoad secundam etiam liquet: quia qui cadendo, & resurgendo vitam transigit, quamuis per lapsum in mortale se alienet à Deo; nihilominus per pænitentiam resurgendo, se Deo reconciliat: igitur maledictus omninò non est; is enim omninò maledictus est, qui postquam perditissimè vixerit, in suo peccato moritur, & sic inter eos adscribetur, qui percutientur in die iudicij horrendo illius sententiæ fulmine: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Præterquamquod tantum abest, vt qui cadendo, & resurgendo vitam transigunt, dicantur omninò maledicti, vt à Beato Andrea Auellino potius dicantur Beati, id est fælices: sic enim scriptum reliquit in libello de spe, & metu nuper impresso, vernaculis verbis, sed à me fideliter, & adamussim ad latinum idioma translatis. *O beatas* (inquit) *animas illas, quę quamuis in multa labantur facinora: nihilominus duræ, & obstinatæ non sunt: sed si facilè cadunt, citò à peccato resurgunt*

B. And. Auelli. opusc. de spe, & metu.

gunt cum firmo proposito pęnitentiam de commissis agendi, ab eisque in posterum cauendi.

PARAGRAPHVS DVODECIMVS.

In quo eadem veritas, & facilitas suadetur ex oculata custodia, & validissimo Angelorum præsidio.

203 ALia ratio desumi potest ex oculata custodia, & validissimo Angelorum præsidio, vndè sic argumentor. Quò facilius remouentur impedimenta, & exhibentur auxilia conducentia ad salutem, eò facilius adipiscitur salus: sed per Angelorum custodiam, & ministeriũ facilè remouentur impedimenta, & exhibentur auxilia conducentia ad salutem. Ergo per Angelorum custodiam, & ministerium facilè adipiscitur salus. Maior constat, quia difficultas salutis prouenit, tum ex interpositione impedimentorũ, tum ex defectu auxiliorum. Minor probatur: & primò quoad primam partem, nempè, quod per Angelorum custodiam, & ministerium facilè remouentur impedimenta. Nam hæc vt plurimum promanare solent à dęmonum insidijs, & tentationibus: insidiæ autem ac tentationes dęmonum per Angelorum præsidium dissipantur: siquidem Angeli, vt loquitur B. Laurentius Iustin. *Aereas coercent Potestates, ne ad libitũ nos tentent: eorum detegunt*

B. Laur. Iust. lib. de casto connub. verbi, et animæ cap. 8.

gunt fraudes, argumentis obuiant. Hinc Basilius, Angelicos ministros mœnijss Ciuitatum non immeritò comparat dicens: *Quemadmodum Vrbium muri in circuitu vndequaque hostium insultus arcent: sic etiam Angelus, & à tergo, & à fronte custodit, & neque vnius lateris partes incustoditas relinquit.* Et Auctor imperf. in Matth. considerans Angelorum virtutem in remouendis obstaculis, quę hominum salutem impediunt, asserit, non audere Dęmonem præsente Angelo hominem tentare: & quando contingit, vt tentet, coerceri ab Angelo, ne tam grauiter tentet, neue tam prauas cogitationes immittat, aut occasiones peccandi offerat. Quod expendens Origenes ait: *Qui* [Angeli] *videntes nos insectationes dęmonum pati, insurgũt aduersus eos, qui nos insectantur: & omnes eos post tergum cadentes interimunt, ac procul abijcientes, vt insectari desinant, cogunt.* Et Chrysostomus acutè obseruans Iacob Patriarcham, Angelos, qui sibi obuios fecerunt, vt eum ab occursu fratris Esaù, quem timebat, protegerent, *Castra Dei* nominasse; rationẽ huius denominationis assignauit dicens; *Nam sicut Imperatoris optimi prouisione, Vrbes omnes, vniuersæ Ciuitates, Castella singula, manu militari, aduersus hostilem muniuntur aduentum; & omnia loca diligenter armantur, ne barbara inuersione deleantur; Ità & Deus, quoniam barbara, & agresti mente rabientes dęmones ad pacis auersionem, vbique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, vt*

S. Basil. in ps. 33.

Auctor imperf. in Mat.

Origen. hom. 8. in cap. 8 Iosuè.

Crysost. serm. de Ascens. Domini tom. 3.

eorum

eorum præsentia dæmonum constringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur: ideò meritò Angelorum castra videbantur in terra. Et Petrus Damianus animaduertens sedula, quæ Angeli exercent vndequaque ministeria ad hominum tuitionem, inquit: *Porrò autem, qui diuinarum scripturarum vacat eloquijs, non ignorat: quia per hunc mundum cœlestium virtutum quotidiè multitudo discurrit; quæ nobis auxilij manus in certamine porrigit. De quibus per Danielem dicitur: Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Ad hoc enim Deo ministrant, vt nos ab iniquorum spirituum impugnationibus protegant: vnde & Paulus ait, sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: Neque enim versutiæ tam callidi, tam exercitati hostis posset fragilitas humana resistere, nisi eos à tentationibus electorum virtus Angelica propulsaret: Vnde vnicuiq; nostrum à die baptismatis vsque ad obitum delegatus est Angelus, qui, & viriliter decertantem à tentatione custodiat; & auxilium præbere in bonis operibus non desistat.*

S. Petr. Dam. epist. 7. ad Alexan. Pontificem.

204 Quod autem Angeli facilè quoque exhibeant auxilia ad salutem conducentia (quæ erat secunda minoris pars) constat ex Patribus, & Scholasticis, qui communiter docent, sanctos Angelos illuminando mentes hominum, quos custodiunt, eis pro malis sanctas cogitationes immittere, pro impijs pias, pro impuris purissimas; eis

quo-

quoque reuelare diuina mysteria, instruere de necessarijs, mouere ad bonum, deterrere à peccatis, & ad virtutis studium accendere. Constat etiã ex illo Gen. 28. vbi Iacob vidit Deum innixum scalæ, & Angelos ascendentes, & descendentes: Scala enim est ipsa prædestinationis series, per quam quasi per quosdã gradus peruenitur ad gloriæ culmen, nempè ad Deum innixum scalæ. Hoc innuit Sapiens dum loquens de Iacob ait: *Ostensum profugo Regnum Dei.* Nam teste Damasceno in hist. cap. 20. *Virtutes quasi scalę quædam Cęli sunt.* Et vt loquitur Tertullianus: *Scala est via, qua iusti ascensiones in corde suo disponunt ad Cęlum.* Per hanc scalam deindè Angeli ascendunt, & descendunt: ascendunt offerentes Deo nostras preces: descendunt, deferentes ad nos Dei munera. Omnia igitur cælestia dona, & diuina auxilia ad salutẽ conducentia immittuntur ad nos per bonos Angelos: ipsi enim non solum orationes, & bona opera nostra Deo, cum eximia commendatione offerunt: sed etiam pro nobis orant, & exorant, efficiendo, vt preces nostræ vi deprecationis ipsorum efficaces reddantur, & sint: vndè eleganter Augustinus ad Deum de Angelis ait: *Gemitus nostros, atq; suspiria referentes ad te: non quia tu Deus illa ignoras: sed vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant nos ad tuæ gratiæ benedictionem.* Posteà de innumeris Angelorum ergà nos officijs, & beneficijs prosequitur: *Adiuuant laborantes, pro-*

Sap. c. 10

Damasc. in hist. c. 20.

Tertul. li. 3. con. Marcionem.

S. Aug. lib. soliquior. c. 27.

tegunt

tegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur patientibus. Grandis est eis cura de nobis: magnus est affectus dilectionis eorum ergà nos. Et alibi: *Angeli* (inquit) *orationes, & vota nostra Deo offerunt, non quia Deum doceant, qui omnia, antequam sint, nouit: sed quia eius voluntatem super his consulunt: & quod, Deo iubente completum est, cognouerint, hoc nobis euidenter, vel latenter reportant.* Sed non minus luculenter ea descripsit Iustinianus inquiens: *Vbique tanquam fidei comites nos tuentur, dormientes, stantes, deambulantes, quiescentes, operantes: Illuminant quoque intellectum nostrum excitando, disponendo, & lumen in nos diuinum transferendo: purgant nos, phantasmata amouendo. Cum eleemosynas damus, cum oramus, nostras perferunt ad cęlos orationes, & oblationes, & Deo offerunt, nobisque deferunt gratiam, & spiritualia dona. Nostris gratulantur profectibus, nostris virtutibus delectantur.*

Idē lib. medit. c. 3. S. Laur.

Iustin. l. cit.

205 Demum (quod profectò valdè mirabile est) Apuleius, quāuis Ethnicus, ex sententia Platonis de Deo Socratis hanc veritatem de officijs, & beneficijs, quæ nobis Angeli præstant, agnouit: Vndè multa recensens officia à Genio, seu Angelo Tutelari hominibus præstita, hæc exarat cedro digna verba antè medium. *Per quos* [Angelos] *desideria nostra, & merita ad Deum commeant inter mortales, cęlicolasque vectores hinc precum indè donorum, ceu quidam interpretes, et salutigeri.* Et post

medium

medium ſubdit: *Nemini conſpicui, ſemper nobis adſunt, omnium non modo actorum teſtes, verum etiam cogitatorum. Ac vbi vita edita remeandum eſt, ſuum alumnum ad iudicium ducunt, atque illic in cauſa dicenda aſsiſtunt; ſi qua commentiatur, redarguunt; ſi qua vera dicent, aſſeuerant. Illorum teſtimonio fertur ſententia. Omnia noſtra curioſè participant, omnia viſunt, omnia intelligunt in noſtris penitiſsimis mentibus vi conſcientiæ diuerſantur. Eſt noſtri Cuſtos ſingularis, Præfectus, domeſticus, ſpeculator, indiuiduus arbiter, inſeparabilis teſtis, malorum improbator, bonorum probator, ſi ritè animaduertatur, ſedulò cognoſcatur, religioſè colatur. In rebus incertis proſpector, dubijs præmonitor, periculoſis viator, ægenis opitulator. Qui tibi queat, tum ſomnijs, tum ſignis, tum etiam fortaſsè coram, cum vſus poſtulat, mala auueruncare, bona proſperare, humilia ſublimare, nutantia fulcire, obſcura clarare, ſydera aduerſa corrigere.*

Apuleius ex Platone lib. de Deo Socratis.

Quid verius, quid luculentius ab homine Chriſtiano proferri poterat de remotione impedimẽtorum, & collatione auxiliorum ad ſalutem conducentium, quã Sãcti Angeli præſtant ad tutelam eorum, qui capturi ſunt ſalutis hæreditatem? demus igitur (vt reuera damus, & concedimus) per dęmonum inſectationes difficilem reddi ſalutis aſſecutionem: nonne faciliorem eam reddent Angelorum cuſtodiæ, miniſteria, præſidia?

206 Confirmatur primò: quia quamuis vnus ſufficiat Angelus tutelaris ad coercendam auda-

cem dæmonum petulantiam: Deus tamen, non vnum tantum; sed omnes (si necessitas postulauerit) ad nostrum ministerium, & profectum emittet: Atqui vnius Angeli custodia, & ministerium sufficiens est ad facilitandam salutis assecutionem: Ergo multò magis illam facilitabit multorum Angelorum præsidium, & tutela. Consequentia patet. Minor etiam constat: vnus enim Angelus innumerabili æquiualet multitudini, vt testari potest ingenti suo damno Sennacherib, cuius innumerum exercitum vnus dumtaxat Angelus breui vnius noctis spatio profligauit: Hinc Basilius exponens illud Psal. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*; admiransque vnius Angeli virturem, numerosi exercitus fortitudine superiorem. *Considera* (inquit) *quanta sit Angelorum natura, quoniam vniuerso exercitui, & castris numerosæ hominum multitudinis vnus assimilatur Angelus*. Maior colligitur ex illo Pauli: *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi &c.* Quod expendens Athanasius: *Administerium* (ait) *non vnus, sed ex omnibus plures ad manus præstò sunt, quos Dominus, si velit, amandet: multi enim Archangeli, multi Throni, multæ Potestates, & Dominationes, milles millia, & decies centena millia ministrorum assistunt, & apparent, qui se promptos offerunt, vt emittantur*.

Psal. 33.

Ad Hebr. ca. 1. 14.

S. Ath. serm. 3. contra Arianos antè med.

207 Et quamuis non parua sit controuersia inter Theologos, an in custodiam priuatorum hominum

minum

minũ delegati ſint tantum Angeli ex infima claſſe, & ordine poſtremæ Hierarchiæ, an etiam Angeli ex Hierarchijs media, & ſuprema? Nihilominus meditatè perpẽſis hinc indè rationibus, quas vnuſquiſque pro ſua ſententia adducit, duo, vt certa ſtabiliri poſſunt. Prius eſt, quod quamuis non omnes Angeli, tanquam miniſtri Dei mittantur de facto: omnes tamen etiam ſupremi mitti poſſunt. Poſterius eſt, quod ſi non omnes immediatè exercent circà homines miniſterium, mediatè tamen exercent omnes: Nam admiſſa diſtinctione de Angelis aſſiſtentibus, & miniſtrantibus, licet aſſiſtentes ad immediatum hominum miniſterium foras, & extrà Cælum non amandentur, mediatè tamen miniſtrare dici poſſunt, quatenus Angelis inferioribus præcipiunt, & notificant, vel vt nobis miniſterium exhibeant: vel vt ſciant quid ad noſtrum peculiare miniſterium facere debeant. Quę doctrina ſuaderi poteſt inductione per nouẽ Angelorum Choros diſcurrendo, eorumque nomina accurata ſedulitate penſitando. *Angeli* enim dicuntur, qui peculiariter ad hominum cuſtodiam per ſe ipſos immediatè exercendam, minimaque nuncianda deſtinati ſunt. *Archangeli*, qui Regnorum, Prouinciarum, & Communitatum deputati ſunt Tutelares. *Principatus*, qui omnibus Angelis, & Archangelis præſunt in ijs, quæ ſpectant ad ſalutem hominum, tam priuatorum, quam Principum: tam ſingularum perſonarum, quam Regno-

rum, & Prouinciarum, eos, vel illuminando, & instruendo: vel mouendo, & præcipiendo iuxtà dispositionem diuinæ voluntatis sibi manifestatæ. *Potestates, et Virtutes* ità nominantur, quia vniuersalem quamdam exercent curam in totum mundum, præsertim verò in humanum genus: *Virtutes* scilicet per opera miraculosa, & extraordinaria: *Potestates* verò coercendo dæmonum malitiam, eorumque insidiosos conatus repellendo. *Dominationes* dicuntur, quia spirituali, ac excelso modo inferioribus diuinæ prouidentiæ, & gratiæ ministris dominantur, nullique in tali exercendo dominio subsunt. *Throni* sic denominantur: quia Deus in illis inhabitando sedet, talem, ac tantam in eis ostendens maiestatem, vt, vel alios ad sui reuerentiam, adorationemque excitet; vel illos iudicet, & gubernet. *Cherubim* dicuntur, qui Angelorum inferiorum, & hominum mentes illustrationibus, & illuminationibus replent. *Seraphim* demùm, qui non solum in se ipsis ardent: sed etiã alios igne diuinæ charitatis incendunt. En vt clementissimus, & amantissimus Deus omnes, & infimæ, & mediæ, & supremæ Hierarchiæ spiritus ad nostrum ministerium, & profectum, siuè immediatum, siuè mediatum addicit? Non est igitur ambigendum, sed pia certitudine credendum, Angelos sua tutelari custodia, ac validissimo præsidio faciliorem reddere assecutionem salutis, quam illam possint dæmonum insectationes, & conatus

tus

tus difficultare. Videndus eſt Laurentius de Aponte tom. 1. in Sapien.

208 Confirmatur ſecundò. Maius ſalutis diſcrimen, quod homo incurrere poteſt, contingere ſolet in extrema ſuæ vitæ periodo: tunc enim diabolus totus in animæ damnationem incumbit. *Sciens, quia modicum tempus habet*. Sed tunc validius eſt ad eius tuitionem Angelorum præſidium, quam dæmonum conatus ad eius oppreſſionem: Ergo facilior redditur conſecutio ſalutis per Angelorum præſidium, quam reddatur difficilis per dæmonũ conatus. Maior colligitur ex illo Iſaię 8. *Suſpiciet ſurſum, & ad terram intuebitur: & ecce tenebræ, & tribulatio, & diſſolutio, & anguſtia, & caligo perſequens, et non poterit auolare de anguſtia ſua*. Quæ verba expendens Antonius Patauinus: *In mortis articulo* (inquit) *eſt tribulatio infirmitatis: tenebrę in oculis, quia tunc priuantur lumine: diſſolutio membrorum, anguſtia mortis, et caligo perſequens, ideſt timor gehennæ, vel præſentia diaboli animam egreſſuram rapere machinantis. Heu miſer homo; ſiue ſurſum ſuſpiciat, ſiue deorſum deſpiciat, non poterit auolare de ſua anguſtia, quin cadat ſuper terram, et reuertatur in terram*: Vndè Iſaias 21. *Cecidit Babylon, ideſt hominis caro, et omnia ſculptilia domorum eius, ideſt delectationes ſenſuum eius contrita ſunt in terram; quia terra es, et in terram reuerteris*. Minor probatur eò, quod in articulo mortis aſſiſtunt morituro præter Angelum cuſtodem, & tutelarem etiam Archangeli

Lauren. de Apõte tom. 1 in ſap. homil. 58. pag 514. nn. 28. 29. 30. 31.

S. Ant. de Padua ſer. in dom. 1. Adu.

geli

geli Michael, & Raphael: Hic, quia cum sit *Dei medicina*, ægrotos visitat, & confortat: & hominis morientis actus, & affectus ità ad Deum dirigit, vt sicut olim medelam obtulit Tobiæ corpori: sic morienti afferat in illo articulo medicinam salutis: & ideò in Hymno Angelorum canit Ecclesia: *Angelum nobis medicum salutis mitte de Cęlis Raphael, vt omnes sanet ægrotos, pariterque nostros dirigat actus*; Ille verò, quia ad ipsum spectat præsentare Deo animas in particulari iudicio; ac proinde eiusdem est assistere moribundis, electosque ad perseuerantiam finalem excitare; siquidem, vt ait Pantaleo Diaconus: *Michael est, qui consolatur pusillanimes, ægrotos incitat, fideiubet pro peccatoribus, vitiorum flammam restinguit*. Hinc refert Trithem. Sanctum Arnulphum in articulo mortis varijs dęmonum insidijs, ac insectationibus obsessum, liberum ab omni discrimine euasisse Sancti Michaelis Archangeli patrocinio. *Pridiè quam obiret* (ait Trithem.) *cella, in qua iacebat, mirabili tremore, et horrifico fragore tertiò concußa est; ita, vt qui apud illum excubabant intolerabili percußi timore, cellęq; ruinam formidantes fugere percuperent*. At Michael cadentes parietes substinens, animos timētium erexit, animamque Arnulphi exhilarauit, ei promittens de hoste triumphum, & ad cęlestem beatitatem ingressum: quod idemmet moriens exhilaratus astantibus testatus est, dicens. *Cum multis spiritibus Angelicis Sanctus Michael me inuisit pollicens,*

Ecclesia in hymno Angelorũ.

Trithe. de iuris illustr. c.226.

se

se duce, me ad beatam ingressurum vitam. Rationabiliter igitur vnusquisq; fidelium implorans Sancti Michaelis auxilium debet ei dicere: *Sancte Michael Archangele defende me in prælio, vt non pereàm in tremendo iudicio:* ipse enim sub alis suę validæ protectionis animam morientis abscondens non sinet à Miluo tartareo rapi, sed ad gloriam Paradisi perducet. Hinc Sophronius se Michaeli sequentibus verbis commendare solebat. *Iterum te, Michael obtestor, vt è vitę huius curriculo exituro, lętus, paratusque appareas: meque sub honorato velamine alarum tuarum abscondas; atque ex angustijs, obscurisque inferorum locis ereptum ad locum tabernaculi admirabilis constituas, deducens vsque ad domum Dei, in voce exultationis, et confessionis.*

Sophro. Arch. Constantin. ser. de Ang.

209 Certum est igitur fideles in mortis articulo tantò magis ab Angelis tueri, quantò vehementius à tartareis spiritibus vexabuntur. De hoc enim certiores nos facit Carthusianus consolatorijs his verbis: *Angeli sancti in hora tam extremæ, & summæ necessitatis non minus solliciti sunt ad subueniendum, quam Angeli tenebrarum ad seducendum.* Imò tam validum erit ad moribundorum tuitionem Angelorum præsidium, vt morientes dęmonum phalanges non plus vereri debeant, quam agmina muscarum, aut vermium. Sic nos exhortante Bernard. in Ps. Qui habitat &c. *Numquid tamen* (inquit) *in æternum erit nobis hęc protectio necessaria? aut certe ab vtroque latere hostile ag-*

S. Dion. Carth. lib. de morte art. 3.

S. Bern. in ps. qui habitat &c.

men

men instabit? sed nec stabunt quidem: cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis; si quidem, nec humana malitia tunc habebit quid faciat: nec dæmonum millia tunc verebimur, quam totidem vermiũ agmina, vel muscarum. Haud aliter denique intuebimur eos, quã filij Israel trãsmisso iam mari rubro vndiq; suos Aegyptios iã mortuos: & nos longè securius tamen, & delectabilius cãtabimus Domino, quia gloriosè honorificatus sit, equum, & ascensorem proijciens in abyssũ. Quam igitur in puncto mortis possunt dæmonum impugnationum difficultatem apponere, quæ facili negotio superari non valeat à talium, tantorumque Angelorum præsidio, tutela, ac protectione? O quam benè dixit Bernar. loc. cit. serm. 11. *Quam facilè transit* (vtique ad Cælum) *qui portatur manibus Angelorum?* Proprium enim eorum munus est, animabus clientum in hora mortis opitulari: tuncque cum de summa rerum agitur fremere aduersus dæmones, inspirare salutaria, noxia depellere, vt liberè valeat moriens saltem atteri sufficienter, cum sufficienti anteactæ vitæ dolore, ac firmo proposito de non peccando in futurum: sicque Sacramentis susceptis, & per ea iustificatus sempiternam consequatur salutem.

Idem lo. cit. ser. 11.

Varia Angelorum attributa.

210 Sunt igitur Angelici spiritus Præceptores, Medici, Aduocati, Duces viæ, ac vitæ, Comites, Consultores, Defensores, Protectores, quorum titulorum, vel vnus sufficientissimus est ad deuotionem, & affectum nostrum ergà eos excitandum:

dum: quantò magis omnes ſimul iuncti ad fiduciam nobis pręſtandam? nihil enim eſt boni, quod eis ducibus ſperare non debeamus, nihil mali, quod vereri poſſimus. In eorum præſidio ſalus noſtra à Deo repoſita eſt. Solantur nos in aduerſis: tuentur in periculis: illuminant in dubijs: retinent, ne labamur: erigunt, ne deſperemus: dirigunt, vt non erremus: orant, inſpirant, blandiuntur, obſecrant, increpant: preces noſtras deferunt: Dei dona referunt: quia ſcilicet Angelis ſuis mandauit de nobis Deus, vt nos cuſtodiant in omnibus vijs noſtris, atque à periculis ereptos portent, & ſaluent.

PARAGRAPHVS XIII.

In quo de verbo ad verbum proponuntur argumenta Recupiti ex varijs Scripturæ locis deſumpta.

211 MVlta congerit P. Recupitus ad noſtrā eneruandam, ſuamq; ſtabiliendam opinionem. Et quidem ſi omnia ab ipſo congeſta eò ſolum collimarēt, vt ſanctum Dei timorem incuterent: equidē magna animi alacritate eius ſententiæ propenderem. Verum quia ſpem omnem potius adimunt, & facilè poſſunt legentium animos ad puſillanimitatem adducere: operepretium duxi, omnia eius argumēta de verbo ad verbum

Proponūtur argumenta Recup.

bum proponere, vt ne vnum ex eis, quæ obijcit verbum insolutum remaneat; sic fortasse fiet, vt qui vim argumentorum eius perpenderit, nostrasque meditatè examinauerit solutiones, rerum veritate perspecta, omnem animi anxietatem deponat, visaque maiori sententiæ nostræ probabilitate, ad spem se erigat, necnon diuinæ innixus misericordiæ, pacato corde quiescat. Et quia spicula, quæ contrà nos vibrat, sunt triplicis generis; alia ex officina sacræ Scripturæ; alia ex Pharetra Sanctorum Patrum, & alia ex vi rationum excerpta, propono primò, loca, figuras, & similitudines, quas è Scripturis eruit.

Isaiæ 24. 212 Primus igitur locus est Isaiæ 24. *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum, quomodo si paucæ oliuæ, quæ remanserunt excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia. Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus.* Loquitur de saluandis in fine mundi, vt *S. Hier.* expresè Hieronymus, alijque interpretes in hunc locum, & vt egregiè explicat Bellarminus loco *Cardin. Bellar.* cit. *Dicit numerum reproborum similem fore multitudini oliuarum, quę cadunt in terram, cum primum excutitur olea: paucitatem autem electorum similem fore paucitati oliuarum, quę manus excutientium fugerunt: & paucitati racemorum, qui finita vindemia casu reperiuntur in vinea.* Ideò pauci illi electi *leuabunt vocem suam, atque laudabunt &c.* Loquitur autem de paucitate electorum fidelium per compara-

tio-

tionem ad alios etiam fideles. Loquitur enim de ijs, tanquam de paucis oliuis remanentibus in eadem arbore: & de racemis vuæ residuis in eadem vinea, quod est dicere de fidelibus in eadem Ecclesia. Idem significatur Micheæ 7. *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: præcoquas ficus desiderauit anima mea*: quia nimirum tam racemi collecti post vindemiam, quam ficus præcoquæ, & antè tempus paucissimæ sunt: & his comparat iustos atque electos. Ideò sequitur: *Perijt Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est*. Quia scilicet hi, vt explicat Ribera, sunt multò pauciores; ità vt cum multitudine malorum comparati vix vlli dici queant. Ideò in prædicto loco Isaiæ appellantur: *Racemi finita vindemia*; & Isaiæ 10. *Reliquiæ ligni saltus*, suscepta methaphora à paucitate lignorum, quæ remanent succisa sylua. *Et reliquiæ ligni saltus eius præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos*. Vbi Septuaginta: *Et relicti ex ijs numerus erunt*, idest, vt explicat Eusebius: *Pauci, & facilè numerabiles; et puer scribet eos*; nempè vt idem Eusebius: *Ille puer, de quo dictum fuerat, ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: & hi erunt scripti in libro vitæ*. Ideò, vt notat Gregorius: *Nascituro Domino mundus describitur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate*. Et hoc est, quod dicit Isaias, *puer paruus scribet eos*; Siue quia Christi incarnatio, & natiuitas medium fuit prædestinationis: siue quia

Micheæ 7.

Ribera.

Isaiæ 10.

Euseb. lib.2. de demōst. Euang. cap. 40

S. Greg. homil.8. in Euāg.

designatio prædestinatorũ fuit commissa Christo, vt ostendimus tom. 2. Theolog. lib. 3. 9: siue deniq; quia fortasse magis iuxtà litteram, prædestinati tam pauci sunt, vt dicatur per figuram hyperbolem eos etiam à puero vix paucas exarante notas scribi posse, *et puer scribet eos*. Hi autem *prę paucitate numerabuntur*: & ideò vocat *reliquias ligni saltus*. Sicut etiam Isaiæ 28. appellat *residuum populi, & erit* (inquit) *Dominus corona glorię, & sertum exultationis residui populi sui*: quia scilicet, vt explicat Hugo Cardinalis remuneraturus est sanctos suos; Sancti igitur, & electi Dei præ paucitate sunt residuum populi Dei, idest residuum inter fideles: ideò in hunc locum Hieronymus. *Dominus* (inquit) *erit corona glorię his, qui in Ecclesia commorantur, & ad multitudinem plurimorum errantium comparati parui sunt numero*. Electi igitur apud Isaiam modò vocantur, *paucę oliuæ, quę remanserunt*: modò *racemi finita vindemia*: modò *reliquię ligni saltus*: modò *residuum populi Dei*. Quid ex his apertè paucitatem non exhibet eorum, qui saluantur intra ipsam vineam Ecclesiæ, & in ipso populo Dei? Consonat his Esdras qui liber, licet non sit Canonicus, tantæ tamen est auctoritatis, vt ab Ecclesia interseretur in sacris Biblijs. Ibi autem cap. 8. introducitur Angelus ità dicens: *Hoc sęculum fecit Altissimus propter multos: futurum autem propter paucos*. Et infrà: *multi quidem creati sunt: pauci autem saluabuntur*. Hæc è veteri testamento,

Isaiæ 28

Hugo Card.

S. Hier.

Esdras li. 4. c. 4. & c. 8.

quæ

quæ omnia in vnum testimonium congessimus; Deueniendo autem ad nouum.

213 Secundus locus est Matth. 22. vbi dicitur: *Multi sunt vocati, pauci verò electi*. Loquitur autem non de ijs, qui renuerunt venire ad nuptias, quos interpretari possumus infideles: sed de ijs, qui ad eam venientes, & discumbentes non sunt reperti à Rege cum veste nuptiali: quibus sine dubio significãtur fideles iam in Ecclesia discumbentes. Licet autem dicatur, quod *Rex vidit hominem non vestitum veste nuptiali*: tamen sententia, quam Christus subdit, *Multi sunt uocati* &c. ostendit in illo vno omnes reprobos, quos dicit esse multos: *paucos verò electos*. Est expositio Augustini: *Christus* (inquit) *in illo vno multam societatem malorum esse intelligendam, inter quos pauciores bonos, qui in conuiuio Dominico viuũt* (ecce paucitatẽ electorum intra Ecclesiam) *significare non distulit. Nam post quam dixit ligatis manibus, & pedibus proijcite etc. continuò subiecit, multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Quomodo hoc verum est, nisi quia in illo vno grande corpus figurabatur omnium malorum, antè Domini iudicium conuiuio Dominico permixtorum?* Multitudo igitur, de qua Christus loquitur est ex Augustino, multitudo reproborum permixta cum electis in eadem Ecclesia, & sic respectiuè ad multos Christianos dicit, *Multos esse vocatos, paucos verò electos*. Idem repetit lib. 18. de Ciuit. cap. 48. vbi, *de illis* (inquit) *qui vocati sic venerunt, ut de*

August. lib. con. Donatistas post collat. c. 20.

conui-

conuiuio proijcerentur: qui nunc replent Ecclesias, quos tanquam in area ventilatio separabit. Præterea Gregorius homil. 19. in Euang. *Terribile* (inquit) *est valdè, quod sequitur: Multi sunt vocati, pauci verò electi: quia & ad fidem plures veniunt, & ad cęleste Regnum pauci perducuntur*. Pauciores igitur in Ecclesia fidelium intersunt huic conuiuio vestiti veste nuptiali: plures non vestiti. Quippè, vt explicat Anselmus in eum locum: *Intrant ad nuptias cũ veste nuptiali, qui in Sancta Ecclesia commorantes fidem habent: sed charitate carent*. Et infrà: *Mirandum, quod hunc amicum vocat [amice quomodo huc intrasti &c.]* subdit autem post hunc reprobatum: *Multi sunt vocati: pauci verò electi*: quia vt expendit idem Anselmus, *repulso vno, in quo omne malorum corpus exprimitur, generalis protinus sententia subinfertur, cum dicitur, multi sunt vocati &c. quasi dicat, quod de vno dixi, de multis intelligatis*. Idem expresse habet Origenes, & Chrysost. quorum verba dabuntur infrà. Idem sentit Abulensis, dicens: *Quod multi sunt vocati ad fidem, idest conuertuntur ad eam; sed pauci electi, quia pauciores Christianorum sunt, qui saluantur, quam qui damnantur*. Loquitur autem de adultis, quos dicit conuersos ad fidem. Iuxtà igitur communem expositionem Patrum multitudo vocatorum ad conuiuium, respectu quorum Christus dixit paucos esse electos, est multitudo fidelium in eadem Ecclesia discumbentium, respectiuè ad quos à Christo electorum

S. Greg. S. Anselmus.

Orig. in cap. 22. Marc. trac. 20. Chrysos. in Mat. Abul. q. 68. in hoc cap. Matt.

pau-

paucitas pronunciatur. Consonat Propheta cum dicit Psalm. 16. *Domine à paucis de terra diuide eos*, vbi legit Chaldeus *à iustis, & electis diuide eos*. Adeò verum est, quod *pauci sunt electi*, vt in Scripturis perindè sit dicere *pauci*, ac dicere *electi*. Contrà verò idem est dicere *multi*, ac *reprobi*. Ideò Deus Ps. 54. quæritur. *Quoniam inter multos erant mecum*. In quem locus Augustinus, *in multis* (inquit) *erant mecum, qui se separauerunt à me mecum erant, non in paucis, sed in multis, etenim per totum Orbem pauca sunt grana, multæ sunt paleæ*. Quod ergo (ait) *inter multos mecum erant*, idest ex Augustino: inter reprobos igni comburendos, vt paleas, non inter electos *congregandos vt triticum in horreum*. Ex Matth. 13. Idem igitur est dicere *multi*, ac dicere *reprobi*: idem *pauci, ac electi*, vt clariùs verificetur, *Multi sunt vocati, pauci verò electi*.

Narra. August.

Reprobi & multi idē sunt

214 Tertius locus est Matth. 7. *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa uia est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta uia est, quæ ducit ad uitam, et pauci sunt, qui inueniunt eam*. Expresse demonstrat paucitatem electorum, & multitudinem reproborum. Neque potest hoc explicari, respectiuè ad omnes homines etiam infideles. Primò, quia arctitudo v.g. quæ ducit ad vitam, cōsistit maximè in obseruatione præceptorum: quare dicitur Psal. 118. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum*. Semita idē est, ac via arcta: *semita*

Matt. 7 Angusta salutis porta, arcta via.

Ps. 118.

autem

autem *mandatorum* communis est etiam fidelibus adultis: ergo arctitudo ista, quæ facit paucitatem respectiuè ad multitudinem reproborum, accipienda est etiam inter fideles adultos. Secundò quia hæc Christus dixit solis Discipulis in sermone habito in mõte, vt patet ex Matth. 6. & 7. Ergo alloquebatur solos fideles, ergo dum eos monet, vt intrent per angustam portam, non potest hoc intelligi de porta fidei, quam iam intrauerant, ergo debet intelligi de angusta porta mandatorum, per quam intratur ab ijs, qui sunt intra portam fidei; ergo expresse loquitur de paucitate eorum, qui saluantur inter fideles: quod etiam patet ex Lucæ 13. vbi ait quidam: *Domine si pauci sunt, qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos, contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico uobis, quęrent intrare, et non poterunt*. Loquitur autem non de infidelibus, sed de fidelibus iniquis: subdit enim; *Et dicet uobis nescio uos: discedite à me omnes operarij iniquitatis*. Tertiò Patres id exponunt respectiuè ad fideles. Chrysost. loc. cit. aduers. vitup. vitæ Monasticæ: *Angusta* (inquit) *est ianua, et arcta est uia, quæ ducit ad uitam, et pauci inueniunt eam: si uerò pauci sunt, qui inueniunt: profectò pauciores erunt, qui ad summum eius peruenire possunt. Neque enim omnes, qui initio illam apprehenderunt* (vtique Christiani) *ad finem etiam perducti sunt: sed alij in ipsis initijs: nonnulli in itineris medio; plurimi in ipsum ferè portum inuecti, naufragium fecerunt*. Nihil

Lucæ 13

Chrysost. loc. mox cit.

hil

hil terribilius. Nazianz. or. 35. *Via* (inquit) *angusta est propter sudores: & quia non a multis teritur, si multitudinem eorum cogites, qui contrario itinere per vitium gradiuntur.* Non dicit per infidelitatem, sed per *vitium*. Augustinus in Psal. 39. alloquens fideles, *ecce*, inquit, *turba viæ latæ, non frustrà ipsa ducit ad amphiteatrum: non frustrà ipsa ducit ad mortem. Via lata mortifera est. Latitudo eius delectat ad tempus: finis eius angustus in æternum.* Anselmus in eum locum: *Intrate per angustam portam &c. quasi dicat*, inquit, *dura vobis videntur, quæ præcipio, & angusta*: ecce loquitur de angustia præceptorum, *quæ Christus discipulis tradidit, sed per hanc duritiam, & angustiam intrandum est vobis ad vitam. Per latam multi ambulant: angustam pauci inueniunt. Latam non quæramus, nec inuestigatione opus est: spontè se offert erranti. Angustam verò nec omnes inueniunt, nec qui inuenerunt* (vtique fideles) *statim ingrediuntur per eam. Multi enim inuenta veritatis via, capti seculi voluptatibus de medio itinere reuertuntur.* Si igitur Christus alloquitur fideles, & loquitur de angusta porta ex difficultate obseruandi præcepta, manifestè apparet loqui de paucitate fideliũ, qui per hanc viam præceptorum gradiuntur respectiuè ad multitudinem eorum, qui ambulant per *viam latam* voluptatum, quæ *ducit ad perditionem*. Et in hoc sensu accipi solet communiter à fidelibus *via arcta, & uia lata*. Credendum igitur est Christo de via; qui solus nobis dux esse po-

Nazia. orat. 35.

August. in ps. 39.

Ansel.

te ſt ad patriam, & cum manifeſtè appareat pleroſq; fidelium ambulare per viam latam, euidens debet eſſe conſequentia, pleroſque duci ad perditionem. Quod animaduertens Auguſtinus in Pſal. 39. in ea verba: *Videbunt iuſti, & timebunt, timebunt* (inquit) *anguſtam uiam. Vident illàc latam uiam; uident hàc anguſtam. Hàc uident paucos, illàc multos.* Loquitur autem Auguſtinus inter ipſos fideles. Subdit enim: *Noli numerare turbas hominum incedentes per uias latas, implentes craſtinum circum, ciuitatis natalem clamando celebrantes, ciuitatem ipſam malè uiuendo turpantes. Noli illos attendere multi ſunt: & quis numerat? pauci autem per uiam anguſtam. Profer ſtateram: appende: uide contra pauca grana electorum, quantam paleam reproborum leues?*

Auguſt. in pſ. 39.

215 Quartus locus eſt Matth. 16. *Amen dico uobis, quia diues difficilè intrabit in regnum Cęlorum, & iterum dico uobis, facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cęlorum. Auditis autem his diſcipuli mirabantur ualdè dicentes, quis ergo poterit ſaluus eſſe.* Quæ illatio iurè facta eſt à diſcipulis: *Quippè à minore uſque ad maiorem omnes auaritię ſtudent.* Ieremiæ 6. *Et omnes quę ſua ſunt quęrunt.* Ad Philippen. 2. Si igitur etiam inter ipſos fideles ex ore Chriſti penè impoſſibile eſt diuitem intrare in regnum Cælorum; manifeſtè apparet etiam inter fideles paucitas ſaluandorum; qui enim non ſunt diuites re,

Matth. 16.

Ier. 6. Ad Philipp. 2.

ſunt

sunt diuites spe, & affectu, quod deterius est; Nam, *Qui uolunt diuites fieri incidunt in laqueum, & tentationes diaboli*, ad Tim. 6. Vndè sequitur etiam inter fideles paucos saluari, eos scilicet, qui voluntariè facti pauperes spiritu, vel saltem affectu, diuitijs non inhærent. De quibus dici potest illud tritum Poetæ *Rara auis in terris*: seu potius illud sapientis Eccl. 31. *Beatus uir, qui post aurum non abijt. Quis est hic &c.* Confirmatur ex Matth. 7. vbi dicitur: *Nemo potest duobus Dominis seruire*, quod Christus explicans subdit, *Non potestis Deo seruire, et mammonę*; idest, vt Augustinus, & alij interpretantur, diuitijs, lucro, pecuniæ. Idcircò monet ibi Christus resecandam à Christianis solicitudinem etiam victus, & vestitus. *Hæc enim omnia gentes inquirunt*. Quotus autem quisque est, qui pecunijs non inhiet? qui mammonæ non seruiat? qui penè totam sollicitudinem huic seculo nō impendat? Si igitur hi ex ore Christi, non Domino seruiunt, sed mammonæ, non poterunt connumerari inter eos, qui expectant mercedem à Domino, atque adeò, nec inter electos. Hoc autem est maximè animaduertendum, quia in plerisque tota fiducia de facilitate salutis pendet ex hoc, quod putent posse se, & Deo seruire, & pecuniæ, cuius contrarium Christus definit, *non potestis Deo seruire, et mammonę*, exemplificans etiam in necessarijs ad vestitum, & victum. Si igitur etiam inter adultos fideles paucissimi sunt, qui pecuniæ salutem

1. ad Timoth. 6.

Eccl. 31

Matt. 7

August.

affectu non seruiunt; paucissimi etiam erunt, qui Domino seruiunt: cum nemo possit vtriq; seruire: ergo sic paucissimi sunt, qui expectare possunt à Deo tanquam à Domino gloriam, vt mercedem: ergo paucissimi sunt, qui saluantur: cũ salus adultis non obueniat, nisi vt merces seruitij impensi Deo.

Mat. 25 216 Quintus locus est Matt. 25. vbi dicitur *Regnum cęlorum simile decem virginibus, & quinque ex eis fatuę, & quinque prudentes*: idest, vt explicat Christus in fine parabolæ, quinque virgines reprobæ: quibus dicitur *nescio vos*: quinque electæ, quæ admissæ à Sponso *intrauerunt cũ eo ad nuptias*. Ergo in statu perfectissimo virginitatis, totidem à Christo ponuntur virgines reprobæ, quot electę. Ergo hinc manifestę arguitur in statu imperfecto, qualis est status communis adultorum fidelium, plures esse reprobos, quam electos: cum valdè recedat hic status cõmunis à statu perfectissimo virginitatis. Quod expendens Gregorius dicit. *Redemptoris voce decem virgines, omnes dici virgines: & tamen non omnes intra beatitudinis ianuam receptas*, vndè infert, *nos debere praua opera fugere, & mundi huius inquinamenta deuitare, sed etiam cum magna cautela tenenda bona, quæ agimus: ne appetitus laudis subrepat &c.* Quod vanæ gloriæ peccatum inter leuissima computatum, ponitur tot virginibus causa fuisse reprobationis. Chrysost. dicit hanc parabolam à Christo positam, *vt ostenderet virgi-*

S. Greg. hom. 12. Euang.

virginitatem, quamuis verè habeatur, si misericordiæ bonis caruerit, cum fornicatoribus eijci. Defectus autem in misericordia non solet grauiter æstimari. Status autem virginitatis, qui à Cypriano dicitur *flos ecclesiastici germinis, & illustrior portio gregis Christi*, talem numerum efficit reproborum, vt à Christo dicantur quinque Virgines reprobæ, & quinque electæ. Hoc autem dictum est, non ad dehortandum à statu virginitatis, qui proximus est statui Angelico; sed, vt aduertit Chrysostomus loco citato; *Ne quis ea perfecta se totum fecisse existimaret*: cum dentur etiam virgines fatuæ, & reprobæ: quod expendens Caietanus: *Terribilis* (inquit) *sententia, quia media tantum pars fidelium, quorum lucent tam bona opera, quam studia ad obuiandum sponso prudens, ac per hoc saluanda describitur.*

Chrysost. hom. 79. in Mat.

Caiet. hic.

217 Sextus locus est 1. ad Cor. 10. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt: & omnes mare transierunt: & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eamdem escam spiritualem biberunt: sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Et infrà: *Hæc autem in figura contingebant illis.* Duo dicit Apostolus; Primum est Patres Hebræorum, idest eos, qui decesserunt ex Ægypto, vt peruenirent ad terram promissionis fuisse omnes *baptizatos in nube, & in mari*, nempè præcedente columna nubis, in mari rubro per figuram scilicet veri baptis-

1. ad Corint. 10.

ptiſmi: *Et omnes eamdem eſcam ſpiritualem manducaſſe*: nempè manna, quæ ſpiritualiter figura erat Euchariſtiæ: *Et omnes eumdem potum ſpiritualem bibiſſe de ſpirituali conſequente eos petra*, non quod petra, quæ ſcaturiuit aquas Num. 20. dimota ſit de ſuo loco miraculosè, & ſequuta per deſertum Hebræos ad perpetuām aquarum ſcaturiginem, vt ſomniarunt Rabbini: ſed quia omnes eũdem potum fidei bibebant *de ſpirituali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus*, per fidem ſcilicet in Chriſtum venturum, Abrahæ iam pridem promiſſum: *Et tamen non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo. Nam proſtrati ſunt in deſerto.* Quippè egreſſi de Ægypto *cum ſexcentis millibus peditum, abſque paruulis, & mulieribus*, vt dicitur Exod. 12. non intrarunt terram promiſſam præter Caleb, & Ioſuè, vt habetur Deuter. 1. Alterum, quod dicit Apoſtolus eſt, *hæc omnia in figura contigiſſe illis*, quia ſcilicet terra promiſſa figura erat æternæ patriæ: deſertum figura erat huius vitæ: Hebræi baptizati in mari rubro, & credentes in Chriſtum venturum figura erant fidelium, qui ſunt in Eccleſia poſt Chriſtum. Pharao, & Ægyptij omnes demerſi, figura reproborum infidelium: Hebræi mortui in deſerto, & non intrantes terram promiſſionis figura reproborũ ex fidelibus Ioſuè, & Caleb intrantes in terram promiſſam, figura electorum, vt expreſsè docet Gregorius in Pſal. 7. pœnitent. Ergo ex hoc habetur intra fideles Ec-

Numer. 20.

Exod. 12.

Deut. 1.

Greg. in Pſ. 7.

clesię tanta paucitas saluandorum, eorum scilicet, qui ingrediūtur terram promissam, vt designetur per solos Iosuè, & Caleb, nempè per solos duos comparatos ad infinitam multitudinem ab eadem terra promissionis exclusam. Videtur argumentum Origenis: *Terra* (inquit) *huius* (terræ promissionis) *diuisionem, hæreditatemque terrenam, speciem dicimus tenere, & imaginem futurorum, ac formam cęlestis illius hęreditatis ostendere. Requiro in illa, qui sint plures, & qui sint pauci: & inueni ibi beatiores paucos haberi, quam plures etc.* prosequens hoc argumentum, quod pauci sunt qui saluantur. Disertè id ex hac figura collegit Augustinus. *Non transitoriè* (inquit) *nec negligenter, sed cum ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus duo tantum terram repromissionis ingressi sunt. Hoc ergo audiant, qui ità Dominum misericordem esse volunt, vt iustum esse non credant.* Confirmatur, quia si in Israelitis, qui antè aduentum Christi populus Dei erant, non figuram, sed rem ipsam inspiciamus, prædestinati ex ijs numerātur Apoc. 7. duodecim millia è singulis tribubus, excepta tribu Dan, & substituta loco eius Tribu Leui: qui conficiunt numerū centum quadraginta quatuor millium: & hos solos ex Hebræis prædestinatos esse affirmat Bellarminus, & alij in eum locum. Hic autem numerus per tot sæcula ab Abramo vsque ad Christum, minimus omninò est comparatus ad totam Hebræorum multitudinem. Quippè Da-

Origen. hom. 21. in c. 26. Numer.

August. ser. 102. de temp.

Apoc. 7.

uide

uide regnante numerata sunt *ex Israel mille millia, et centum millia virorum educentium gladium: De Iuda autem quadraginta septuaginta millia bellatorũ*. 1. Paralip. cap. 21. Et ex numero hostiarum, quas in Paschate recenset Iosephus, colligit eruditissimus Raynaudus, tempore Paschatis conuenire solitos Hierosolymis: *Quadragies centum, et centum hominum millia*. E' tanto Hebræorum numero per tot secula toties replicato computãtur solum *centum quadraginta quatuor millia signati*, idest iuxtà communem expositionem, prædestinati, & electi: quod si in his accipiatur numerus certus pro incerto, vt volunt Cornelius, & alij, saltem genericè verificatur, vt aduertit Viegas in eum locum, multò minorem esse numerum signatorum, idest electorum ex Iudæis, quam sit reliqua multitudo ad eandem Synagogam spectantium; & sic colligere possumus numerum electorum inter fideles Ecclesiæ, quæ Synagogæ successit, multò minorem numero reproborum: cum hoc ipsum, quod *non in pluribus eorum beneplacitum est Deo in figura factum sit nostri*, vt dictum est ex Apostolo. Quamobrem Irenæus citans hunc locum Pauli: *Quemadmodum* (inquit) *ibi* (in Synagoga) *in pluribus eorum, qui peccauerunt, non benè sensit Deus: ità, et hic* [*in Ecclesia*] *sunt vocati multi, pauci verò electi*. Chrysostomus etiam in eum Pauli locum: *Ostendit* (inquit) *quemadmodum illis Hebræis non profuit tanti muneris fructus, neque his baptismatis munus, et spiritualia myste-*

1. Paralip. c. 10. Ioseph. l. 2. de bello Iud. c. 17. Raynaudus in libello de S. Latrone.

Cornel. Viegas.

S. Iren lib. 4. aduers. hæres c. 46. S. Chrysost.

mysteria proficere, nisi vitam tali gratia dignam exhibeant.

218 Septimus locus est eiusdem ibidem: *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic currite, vt comprehendatis.* Loquitur de brauio æternæ gloriæ, vt patet ex contextu. Sequitur enim: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quod prius appellauerat, *brauium* posteà appellat *coronam incorruptam.* Dicit igitur, sicut ex omnibus, qui currunt, non omnes, sed vnus accipit brauium: ità proportionaliter ex multis, qui ad æternam fælicitatem currunt, vnum accipere coronam gloriæ. Loquitur autem non de quibuscumque, sed de ijs, qui iam fideles sunt, & gradiuntur per viam salutis: immò per eam non quomodocumque ambulant: sed *currunt*: & ex ijs dicit *ab vno accipi brauium.* Et est planè id, quod infrà dicitur ex Patribus, inter ipsos fideles *è centum saluari vix vnum.* Non potuit expressius significari prædestinatorum paucitas, quam à Christo per quinq; Virgines, à Moyse per duos intrantes in terram promissionis, à Paulo per vnũ accipientem brauium. Expendenda etiam sunt duo, quæ addit ad significandã hanc paucitatem. Primum est: *Omnis, qui in agone contendit ab omnibus se abstinet* &c. vt ostendat requiri ad accipiendam coronam in hoc agone, *vt quis ab omnibus se abstineat.* Quotus autem quisque est, qui hoc faciat?

1.Cor.9.

ciat? Alterum, quod subdit est: *Castigo corpus meũ, & in seruitutem redigo: ne cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar*. Apostolus, & Magister gentium, qui de se dictum nouerat: *Vas electionis est mihi iste*, timet ne efficiatur reprobus, nisi castiget corpus, & in seruitutem redigat: idque postquam prędicauerat Christum gentibus, & in perpetua virginitate permanserat, vt ipse de se testatur 1. ad Corinth. 7. Apertè ex hoc colligitur mens Pauli de difficultate salutis, & paucitate electorũ, à quibus timet excludi vas electionis. Quamobrem Chrysostomus in eum locum. *Quidnam* (inquit) *nos dicemus? si Paulus hoc timuit, cum talis esset præceptor: cum post prædicationem, & orbis terrarum susceptum patrocinium formidauit?* Et infrà: *Nam si prędicare, docere, innumeros ad salutem adducere, illi non sufficit ad salutem, nisi se irreprensibilem exhibeat, longè minus sufficiet nobis*.

1. ad Corinth. 7.

Chrisost.

PARAGRAPHVS XIV.

Responsiones ad præfata S. Scripturę loca.

219 RESpondeo ad primum locum negando Prophetam hic loqui de paucitate fidelium Electorum respectiuè ad alios etiam fideles. Nam per oleam, & vineam non intelligit Ecclesiam, vt vult Aduersarius: sed intelligit totum mundum: quod patet ex ipso contextu. Paulò enim

enim antè, versu 10. dixerat. *Attrita est Ciuitas vanitatis*. Quæ Ciuitas ex Cornelio planè, & genuinè est ipse mundus, in quo, vt ait Ecclesiast. cap. 11. *Est vanitas vanitatum, et omnia vanitas*. Isaias igitur facit hic cōparationē non inter fideles, & fideles: sed inter omnes simpliciter homines, tam fideles, quàm infideles, & Iudæos, qui in fine mundi reperientur. Et in hoc sensu concedimus, plures homines reprobari, paucos saluari. Sed quid contra nos, qui facimus dumtaxat comparationem inter fideles, & fideles? Loquens ergo Propheta de fidelibus tāquā de paucis oliuis in eadē arbore remanentibus: & de racemis vuæ in eadem vinea residuis, non intellexit de fidelibus in eadē Ecclesia: sed de hominibus in toto Orbe remanentibus. Idē omninò deducitur ex verbis Micheæ, nempè paucissimos esse *sanctos, et rectos* cum multitudine reproborum promiscuórum comparatos: & ideò non dixit *periit Sanctus* de Ecclesia, sed *de terra*: nec asseruit *rectus in fidelibus non est, sed in hominibus non est*. Et voluit ostendere fideles electos esse paucissimos, sicut paucissimi sunt racemi post vindemiam collecti, & ficus præcoquæ, & antè tempus non quidem comparatiuè ad multitudinem reproborum fidelium in Ecclesia tantùm: sed etiam ad multitudinem reproborum *infidelium in terra*, hoc est per totum Orbem dispersorum: *et in hominibus*, ideſt in vniuersa hominum massa repertorum.

Eccle-siast. 11.

220 Et in hoc ſenſu vſurpanda ſunt myſticè verba Iſaiæ 10. nempè electos eſſe adeò paucos reſpectiuè ad reprobos infideles, vt pauca ſunt ligna, quæ remanent ſuccisa ſylua; ità vt à puero poſſint numerari: & iuremeritò populi Dei reſiduum valeant appellari. At verò ſi ſumere volumus eadem verba in ſenſu litterali, dicendum eſt, non loqui in eis Prophetam de paucitate electorum: ſed de conſumptione, & deuaſtatione exercitus Sennacherib ab Angelo noctis tempore facta: Tradunt enim Hebræi teſte S.Hieron. ex eius exercitu decem tantum euaſiſſe: & corpora militum, feriente Angelo, occulto igne illæſis veſtibus, & armis eſſe exuſta. Dicens igitur Propheta: *Et reliquiæ ligni etc.* idem fuit, ac ſi diceret iuxtà Cornel. *Adeò pauci poſt hanc cladem ſupererunt ei milites, vt puer poſsit eos deſcribere, eorumque cathalogum facere.* Nam cum ex traditione Hebræorum decem tantum ſuperfuerint milites, benè poterāt pueri ſuper digitos illos numerare. Quid igitur paucitas militum cum paucitate electorum? Præterquamquod exercitus Sennacherib, quamuis innumerabilis, totus conſtabat ex militibus infidelibus: vndè ſi qua eſſet comparatio, curreret inter infideles, & infideles: nos autē in præſenti loquimur dumtaxat de fidelibus inter ſe comparatis: & ſic allata Iſaiæ verba non faciunt ad caſum.

Cornel.

221 Ad illud Iſaiæ 28.5. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et ſertum exultationis reſiduo*

Iſaia 28 5.

ſiduo populi ſui. Dico in hoc loco non fieri comparationem inter fideles,& fideles: ſed inter omnes Chriſtianos promiſcuè ſumptos. Ratio eſt, quia hìc ad litteram loquitur Iſaias de excidio decem tribuum, quæ receſſerunt à Deo per Idolatriam: in verſu autem 5. loquitur de duabus tribubus Iudæ, ſcilicet, & Beniamin, quas in fide conſtanter perſeuerantes Deus coronauit: quia eas glorioſè contra Sennacherib, alioſque hoſtes protexit. Hę igitur duæ tribus intelliguntur pro reſiduo populi Dei: & comparatio fit inter ipſas, & decem alias tribus, quæ à Deo receſſerant, eiuſque fidem reliquerant. Vndè non ſunt reſiduum inter fideles, vt vult Recupitus: ſed inter eos,qui in fide perſeuerauerunt, & eos, qui à fide recedentes ad Idolatriam declinarunt. Vndè Hieronymus ab ipſo Recupito pro ſe adductus, eſt potius pro nobis, quam contra nos: dicit enim in explicatione huius loci: *Dominus erit corona gloriæ his, qui in Eccleſia commorantur, et ad multitudinem plurimorum errantium comparati, pauci ſunt numero*. Vbi per hos, qui in Eccleſia commorantur intelligit veros fideles, vt erant tribus Iudæ, & Beniamin,quæ in fide remanſerunt; per multitudinem verò multorum errantium, vel intelligit infideles, qui ſunt extrà Eccleſiam, vel falſos Chriſtianos, ideſt hæreticos, & apoſtatas, qui ab Eccleſia,& fide receſſerunt, vti receſſerant reliquæ decem tribus à Synagoga.

Hieron.

Demum

222 Demum ad illud Esdræ dico expressè loqui de omnibus simpliciter hominibus: nam cũ dicat; *multi quidem creati sunt, pauci autem saluabuntur*: clarè liquet non solos fideles, sed omnes simpliciter homines creatos fuisse: & ex omnibus simpliciter hominibus paucos saluari vltrò cõcedimus; sicut non negamus ex Christianis promiscuè sumptis maiorem partem damnari. Hæc igitur omnia è veteri testamento in vnum testimonium ab Aduersario congesta, claret contrà nostram sententiam non militare.

223 Ad secundum respondeo hanc parabolam facere pro nobis, eaque nos probasse veritatem nostræ assertionis. Probauimus enim §. 3. num. 87. Christum in dicta parabola præcipuè locutum fuisse de ijs, qui renuerunt venire ad nuptias, nempè de Iudæis, qui inuitati tùm antè, tùm post Incarnationem, noluerunt in Christum credere, & sperare. Vbi etiam negauimus ex illo fideli misso in tenebras exteriores, inferri ex fidelibus damnari multos, saluari paucos, & diximus inferri tantùm ex fidelibus, & infidelibus, vel ex Christianis promiscuis paucos saluari, multos damnari.

Neque obstat prima auctoritas Augustini: dato enim quod ipse verba illa: *Multi sunt vocati*, intelligat de fidelibus in Ecclesiæ conuiuio discũbentibus; nihilominus id intelligit, vt numer. 88. probauimus de Christianis promiscuis, inter quos nume-

numerantur etiam hæretici, ſchiſmatici &c. Id, quod ipſemet aduerſarius volens nolens fatetur: infert enim ex Auguſtino, *reſpectiuè*, non ad ſolos fideles, *ſed ad ſolos* Chriſtianos dixiſſe Chriſtum, *multos eſſe vocatos, paucos verò electos*. Nomen autem *Chriſtianus*, commune eſſe catholicis, & hæreticis: nomen verò *Fidelis* proprium eſſe catholicis apud omnes pro comperto habetur. Neque obſtat ſecunda auctoritas eiuſdem: in ea enim etiam loquitur de Chriſtianis promiſcuis, dicens enim: *Quia ſic venerunt, vt de conuiuio proijcerentur*. Idem fuit, ac dicere ideò proiecti ſunt, quia veſte nuptiali veræ fidei, & charitatis, qua induti erant, ſpontè ſua ſe ſpoliauerunt: vndè ſic venerunt, ac ſi abſque nuptiali veræ charitatis, & fidei veſte veniſſent.

224 Ad primam confirmationem dico Gregoriũ etiam loqui de Chriſtianis promiſcuè ſumptis: quia quamuis plures ſint, qui veniunt ad fidem: plures etiam ſunt, qui recepta fide eam deſerunt, & ab ea recedunt: & hi adiuncti alijs fidelibus malè viuentibus, & fidem ſine operibus profitentibus, miſerrimè damnantur: vndè in comparatione eorum, qui vel ob hæreſim, vel per mala opera damnantur, pauci ſunt illi, qui ad cæleſte Regnum perducuntur. Falſa eſt igitur illatio, nempè pauciores in Eccleſia fidelium, intereſſe huic conuiuio veſtitos veſte nuptiali: plures non veſtitos: nos enim non loquimur in præſenti de Chri-

ſtianis

ſtianis promiſcuis: ſed de verè fidelibus in conuiuio Euangelicæ fidei ſub obedientia Ecclesiæ Romanæ vſque ad mortem diſcumbentibus. Neque officit nobis Anſelmus adductus: nam etiam nos concedimus in illo vno non veſtito nuptiali veſte, & de conuiuio proiecto multos fidelium damnatorum repræſentari: hæc tamen multorum damnatio non officit, quin ex veris fidelibus, longè plures ſaluentur, quam damnentur. Neque contrà nos facit Abulenſis, qui loquitur etiam de Chriſtianis promiſcuis, de quibus nos non loquimur in præſenti.

225 Ad ſecundam confirmationem poſſem dicere primò, aſſumptum vniuerſaliter eſſe falsũ: non enim ſoli reprobi, ſed etiam electi dicuntur *multi* iuxtà illud Matth. *Multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Iſaac, et Iacob in Regno Cęlorum*: ſed illo admiſſo. Dico 2. reprobos vocari *Multos*: quia Pſalmus loquitur de omnibus ſimpliciter hominibus, quorum longè plures ſunt reprobi, quam prædeſtinati: & ideò verba dicti Pſalmi nos adduximus num. 9. in probationem noſtræ concluſionis iuxtà expoſitionem Incogniti Carmelitæ. Et quod idem ſentiat Auguſtinus ab aduerſario adductus, claret ex ipſiuſmet verbis: *Etenim* (ait) *per totum Orbem paucæ ſunt grana, multę ſunt paleę*: Nam per totum Orbem, non fideles tantùm (de quibus ſolis nos loquimur in præſenti) ſed omnes omninò homines diſperſi

disperſi ſunt, fideles vt triticum : cæteri, vt paleæ. Præterquam quod verba illa : *qui ſe ſeparauerunt à me mecum erant, non in paucis, ſed in multis*; liquidò monſtrant, Auguſt. loqui etiam de hæreticis, & ſchiſmaticis, qui ſe ſeparant à Chriſto, & ab Eccleſia, recedentes à catholica fide.

226 Ad tertium reſpondeo, negando præfata Chriſti verba non poſſe explicari reſpectiuè etiam ad homines infideles: nam doctiſſimus meus Incognitus ex S. Hilario, ea etiam de infidelibus explicat his verbis: *Dicitur arcta via: Primo quoad fidem credendorum: quod enim via fidei, per quam oportet, accedentẽ ad Deum credere* Hebr. 11. *difficilis, & arcta ſit, credendorum difficultas, & altitudo notitiæ enigmaticę oſtendit. Admiratur Apoſtolus diuinæ electionis occultam altitudinem* Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientię, & ſcientię Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles vię eius? et ſi ea, quę in proſpectu ſunt, cum difficultate reperimus; quę in Cęlo ſunt, quis inueſtigabit? quis enim inueſtigare poteſt in vno indiuiſibili eſſe Trinitatem Perſonarum? quis metiri poteſt in eſſentia non generante Patrem? In eſſentia non genita Filium. In eadem quis inueniet Spiritum ſanctũ procedentem, nec genitum, nec factum? quę ratio hanc viam ingreditur? Vbi pertranſire queat hunc abyſſum? alium realiter Patrem: alium realiter Filium: alium realiter Spiritum Sanctũ? & tamen vnum realiter indiuiſibilem Deum? Hęc tam arcta via eſt, vt vox non tranſeat, ſed ſileat An-*

Incognitus ex S. Hilario

gelica, & humana, vt dicit Hilarius &c. Igitur hęc via fidei arcta est, & angusta, per quam tamen ingredi, & intrare oportet: quia Hębr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Et hęc est, quę ducit ad vitam æternam, ad cuius ingressum nos oportet subiugare intellectum in obsequium fidei: quia Rom. 11. Iustus ex fide uiuit: undè Marci 16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Quoad hoc ergo, lata, et spatiosa dicitur uia illorum, qui non habent lumen fidei: sicut est uia infidelitatis, quę ducit ad perditionem; quia qui non crediderit condemnabitur, et perpetua perditione perdetur; quia perdet gratiam, et gloriam, et dona naturalia: et demum perpetuę pænę subiacebit. En quomodo, & quo acumine exponit Incognitus ex S. Hilario, allata verba Matth. respectiuè etiam ad infideles. Vndè vt falsum negamus id, quod aduersarius asserit nō posse dicta verba in ordine ad infideles explicari.

227 Neque nobis officit, prima eius probatio; Nos enim non negamus, sed asserimus arctitudinem viæ, quæ ducit ad vitam, mandatorumq; semitam esse commun[illegible] etiam fidelibus adultis; negamus tamen consequentiā, quā infert scilicet arctitudinē istam, quæ facit paucitatē electorū respectiuè ad multitudinem reproborum, accipiendam esse etiam inter fideles adultos; si enim hæc paucitas caderet etiam super fideles inter se comparatos, vtique proueniret ex arctitudine viæ, & ex difficultate obseruationis mandatorum Dei:

nam

nam mandatorum obſeruatio conſiſtit in arcto medio virtutis, & virtus eſt circa difficile, vt Philoſophus 2. Ethicor. docet. At talis arctitudo, & difficultas, quam patimur in mandatorum obſeruatione, licet noſtræ naturæ lapſæ aſpera, grauis, & moleſta ſit: eidem tamen, auxilijs diuinæ gratiæ munitæ, delectabilis, ſuauis, & leuis redditur: & hoc ex duplici capite. Primò reſpectu temporalis moræ, & durationis: quia huius mundi tribulationes, quaſi momentaneæ ſunt, præcipuè comparatæ ad pænas æternas, quas patientur, qui hic delectabilia mundi quæſierunt fruendo ipſis. Secundò reſpectu magnitudinis futuræ gloriæ, quæ in nobis reuelabitur: non enim ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis ad gloriam illam futuram. Habemus de hoc exemplum in virtute fortitudinis moralis, quæ ſecundum Philoſophum 3.Ethic. in perpeſſione periculorum, & vulnerum triſtitiā, & tribulationem habet: nihilominus redditur hominibus delectabilis propter finem,& bonum virtutis. Quod expendens Gregorius ſic ſcriptum reliquit: *Via Dei inchoantibus anguſta eſt, et tamen onus eius leue eſt, poſtquam hoc ferre ſuſcipimus: ità vt pro amore eius perſecutio placeat, et omnis pro eo afflictio mentis dulcedo fiat; ſic Sancti quoque Apoſtoli gaudebant cum pro Domino flagella patiebantur. Ipſaq; porta anguſta amantibus lata fit: & ipſę viæ duræ currentibus ſpiritualiter fiunt molles, & planæ.* Et Chryſoſt. *Ideò arctam* (inquit) *& aſperam viam dicit, vt*

Ariſt. 2. Ethic.

Ariſt. 3. Ethic.

Gregor. hom. 17. ſuper Ezech.

Chryſ. hom. 24. ſuper Matth.

 exci-

excitet animos nostros ad viam Domini animosè, & cum insigni, & virtuoso conatu aggrediendam. Qui enim in agone certat, cum viderit coronantem, admirantem laborem agonum, animosior fit. Sic enim Paulus excitabat Ephes.6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: sed aduersus Principes, & Potestates. Tale etiam illud Matth.11.12. Regnum Cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Cum ergo plerique fidelium audiunt, viam esse arctam non cespitant, sed fortius currunt: ad instar Dauid, qui aiebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*: quia diuinis suffulti auxilijs, latam, & delectabilem sciunt extare Ciuitatem ad quiescendum post pænitentiæ labores, ad quam eos inuitat Saluator Matth.11.18. dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.*

Ad Ephes.6.

Mat.12

Matth. 11. 18.

Neque officit probatio secunda: concedo etenim Christum hæc verba dixisse solis discipulis, & consequenter tunc alloquutum fuisse solos fideles, qui iam fidei portã intrauerant: atq; adeò per angustã portam nõ intellexisse solùm portam fidei, sed etiã portam obseruationis mandatorũ: Nego tamen loqui solum de paucitate eorum, qui inter fideles saluantur: paucitas enim, vt satis probatum est, vel refertur ad omnes Christianos promiscuè sumptos, vel ad omnes omninò homines, etiam infidelibus comprehensis. Neque obstant verba illa Luc.13. *Domine si pauci sunt, qui saluantur?* Quia

Luc.13.

Chri-

Christus ibi non loquitur de fidelibus tantum; sed de fidelibus, & infidelibus simul: cum vtrique sint operarij iniquitatis. Quod vel ex eo maximè patet, quia Dominus (vt obseruat Augustinus) respondens confirmauit, quod pauci saluantur: quia nullus saluatur, nisi intrans per angustã portã, per quã ingrediũtur pauci, nẽpè fideles: quibus longè plures sunt infideles, qui intrant per portam latam, quæ ducit ad perditionem. Ex quo patet Augustinum loqui de paucitate fidelium electorum comparatiuè ad multitudinem infidelium perditorum.

August. serm. 32 de verb. Dom.

228 Neque tandem officit tertia probatio: Patres enim exponebant pręfata verba respectiuè ad fideles, quia ad fideles scribebant, & cum fidelibus sermones habebant: & ideò restringebãt hæc verba ad fideles, quæ Christus extenderat ad omnes homines, etiam infideles. Finis autem eorum erat, timorem fidelibus apprimere, ne ab obseruatione mandatorum deuiarent, & satagerent per bona opera certam facere propriam vocationem: sæpè enim Patres rationibus tantum probabilibus, & coniecturis vtuntur, maximè quando euidentem aliquam rationem materia non fert, vt in præsenti contingit; ex deprauatis namque moribus, quibus forsan eorum tempore imbuebantur fideles peccatores, nec vllum signum pænitentiæ ostendebant, eos damnandos secundum præsentem illam iustitiam existimabant. Insuper ex

eo,quod plerosq; fidelium peccare,paucos emendari videbant, indè ansam sumebant dijudicandi, & asserendi multos fidelium esse vocatos, paucos verò electos. At quia in præsentiarum nobis experientia ipsa propalat, magnum fidelium numerum in claustris Angelicam vitam agere:maiorem eorumdem partem cadendo, & resurgendo, peccando, & pœnitendo vitam transigere: in sodalitatem corporis, & sanguinis Christi, sanctissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum adscribi: Oratoria qualibet hebdomada frequentare, pijs operibus insudare, eleemosynas pauperibus erogare, & tandem in mortis articulo siue contritos, siue saltem attritos pænitere, sibique merita mortis, & passionis Christi applicare: & ità dispositos è præsenti vita discedere; ideò ex his omnibus piè deducimus, & probabilius inferimus, plerosque eorum saluari, paucos damnari.

229 Ad auctoritatem igitur S.Ioannis Chrysostomi dico ibi loqui de fidelibus non incipientibus, sed proficientibus, religiosamq; vitam profitentibus; loquitur enim aduersus vituperatores vitæ monasticæ; Ideò de Religiosis loquendo,cõcedimus, paucos esse ex laicis, qui Religionis arctam viam inueniant: quia plerique fidelium non religioni, sed seculo viuunt. Concedimus pauciores item esse, qui arcta Religionis via inuēta summam eius perfectionem attingant: non enim omnes, qui initio illam apprehendunt, ad finem vs-

que

que perueniunt: cum multi per apostasiam habitum religionis dimittant. Concedimus tandem alios in ipsis initijs, nonnullos in itineris medio: plurimos in ipsum ferè portum inuectos, naufragium fecisse. Hīc tamen non benè infertur, plerosque religiosorum esse vocatos, paucos electos: plerique enim illorum iustis de causis dimittunt habitum nulla cōtracta culpa: nonnulli etiam, qui habitum culpabiliter post professionē dimiserunt, antè mortem tamen reassumpserunt: & quamuis multi in ipso portu naufragium fecerint, longè plures sunt, qui in ipso portu salutem assequuntur. Hinc noster Illustrissimus Guido loc. cit. exponens arctitudinem viæ, & angustiam portæ pro statu religiosorum, habet hæc verba. *Tertiò quoad perfectionem consiliorum, quæ est via arcta, quam ingredi debent viri perfecti, quia si vis perfectus esse, vade, uende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in Cęlo; Veni, et sequere me. Ratione cuius arctitudinis adolescens abijt tristis, ut Matth. 19. Etiam hæc ducit ad uitam: undè ibi dicitur: Et habebis thesaurum in cęlo. Lata est autem alia imperfectorū, quæ multos habet uiatores, tam iustos, qui imperfectè seruant præcepta, qui perdunt brauium iudiciariæ potestatis, et alterum præmium perfectorum: licet ad uitam post purgata cremabilia ingrediuntur; quam peccatores, qui in damnationem ibunt perpetuam.* En quomodo etiam ex ipsis religiosis plures sunt, qui saluantur, quàm qui damnantur: nam licet ex eo, quod per-

fectè

ſectè non ſeruant præcepta Decalogi, vel religionis, non conſequātur iudiciariam poteſtatem, quæ pauperibus ſpiritu, & religioſis debetur, non per hoc tamen deperdunt æternam gloriam. Ad auctoritatē Nazianzeni dico, eum loqui de Chriſtianis promiſcuè ſumptis; nam licet multi ſint ex verè fidelibus, qui viam terunt anguſtā, longè plures ſunt hæretici, ſchiſmatici, apoſtatæ, qui adiuncti fidelibus malis per vitium gradiuntur, & malè viuentes malè moriuntur. Similiter Anſelmus loquutus eſt in eodem ſenſu nempè, vel de omnibus omninò hominibus, vel de Chriſtianis promiſcuis, non de ſolis fidelibus: nam per viam latam intelligit viam infidelitatis, per quam innumeri ambulant: per viam verò anguſtam intelligit arctam mandatorum obſeruationem, per quā ambulant verè fideles, qui profectò comparatione infidelium, pauci ſunt. Deindè quando dicit: *Nec qui inuenerint ſtatim ingrediuntur per eam*. Non loquitur de verè fidelibus, de quibus in præſenti eſt ſermo: ſed de Chriſtianis promiſcuè ſumptis, quorum plurimi, vt hæretici, ſchiſmatici, & apoſtatæ allecti ſecularibus delicijs, ſibique benè placentes in conſcientiæ libertate, veram fidem relinquunt, vel ab obedientia Romanæ Eccleſiæ ſe ſubtrahunt: & ideò concludit dicens: *Multi enim inuenta ueritatis uia capti ſeculi uoluptatibus de medio itinere reuertuntur*. Ex quibus omnibus clariſſimè conſtat falſam eſſe conſequentiam, quam ex dictis

PP, au-

PP. auctoritatibus infert aduersarius, nempè hic Christum loqui de paucitate tantùm fidelium, qui per viam præceptorum gradiuntur. Et quamuis manifestè appareat multos fideles ambulare per viam latam, non hinc euidenter infertur (vt ipse infert) plerosq; eorum ad perditionem duci: nam maior eorum pars (vt hactenus probatũ est) nunc cadunt peccando, nunc pænitendo resurgunt: & in vltima vitæ linea finaliter resipiscentes, se ad gratiam sanctificantem per Ecclesiæ Sacramenta præparant, & disponunt. Neq; illi fauet adductus Augustinus in Psalm. 39. quia ibi, quamuis sermonem cum fidelibus habuisset; loquebatur tamen nõ de solis fidelibus, sed de omnibus omninò hominibus; vndè non dixit: *Noli numerare turbas fidelium, sed noli numerare turbas hominum, incedentes per vias latas*. Et de his infidelibus dicit, *multos*, imò innumerabiles esse; subdit enim: *Noli illos attendere: multi sunt, & quis numerat?* Vndè infideles ob multitudinem comparat paleis: fideles verò ob paucitatẽ, granis: & ideò concludit dicens: *Pauci autem per angustam portam. Profer stateram appende: vide contra grana electorum quantã paleam reproborum leues*. Ex quibus omnibus patet non velle Augustinum ex fidelibus ambulantibus per viam arctam multos damnari, paucos saluari: sed velle fideles per viam arctam ambulãtes esse paucos: multos verò esse infideles, qui per viam latam incedunt, quod nos nũquam negauimus, sicut nec

modò negamus; imò libenter concedimus innumeros damnari ex fidelibus, cum infidelibus permixtis.

230 Ad quartum respondeo, quod tempore, quo Christus hæc asserebat ex Iudæis, & Gentilibus, qui tunc erant pauci, & vix vlli erant, qui non cuperent esse diuites: omnes enim inhiabant lucro, & consequenter diuites erant: *Nam quicumque diuitias cupit diuitum numero habetur*; vt ait Augustinus hic in quæstione Euangelica: omnesque, aut ferè omnes in diuitijs spem suam collocabant, in eisque confidebant: & sic Dei ferè obliti sperabant se per aurum omnia huius vitæ incommoda superaturos, commodaque omnia adepturos, scilicet honores, amplam familiam, splendidam mensam, amicitias Principum, victoriam de inimicis &c. Vndè erat moraliter impossibile, idest difficillimum, vt homines illius farinæ in cælum intrarent. Ex quo rectè inferebat Christus, quod si fideles illorum vestigijs insisterent, eorumque cupiditatem consectarentur, etiam ipsi difficillimè in cælorum regnum intrarent. Et quia discipuli videbant ferè omnes Iudæos, & Gentiles diuitiarum cupiditate oppressos, & ad congerendas pecunias occupatos, iure inferebant, neminem fidelium saluari, si pecunias, lucrum, diuitias ad Gentilium, ac Iudæorum exemplum inquirerent: non verò inferebant (vt Recupitus infert) fideles ea omnia ad Iudæorum, & Gentilium normam inquire-

August.

quirere: nam Ieremias, & Paulus loquebantur nō de fidelibus posteris, sed de suis contemporaneis: vndè falsum est, quod aduersarius adijcit, nempè inter fideles saluari paucos, eos scilicet, qui voluntariè pauperes facti sunt; si enim hoc verum esset, sequeretur solos religiosos saluari: vndè ipse viderit quam sit aspera, & dura eius illatio. Igitur ex Christi asserto, non manifestè apparet (vt ipse dicit) inter fideles paucitas saluandorum; Tum quia inter ipsos fideles longè sunt pauperes, quam diuites; Tum quia etiam inter ipsos diuites paucissimi sunt, qui Dei ferè obliti spem, & cor omninò apponant pecunijs; Tum denique quia fideles illi, qui licet non sint diuites re, sunt tamen diuites affectu, & spe: non per hoc omnes *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, vt ex Apostolo infert aduersarius: nam non omnes auaritię student, & cupidè, & ad malum finem diuitias consectantur; & consequenter non omnes incidūt *in tentationem, & laqueum diaboli*. Vbi notandum valdè est, quod nō dixit Apostolus, *qui diuites sunt, sed qui volunt diuites fieri*: nam (vt ait Augustinus) *Cupiditates accusauit, non facultates &c. Auaritia enim est velle esse diuitem, non autem esse diuitem*, vt idem alibi. Si quidem multi boni, & sancti homines pecunias habent, sed vel eas aspernantur, vel ritè dispensant, & pauperibus erogant. Dato igitur, quod fideles ferè omnes sint diuites, si non re, saltem affectu, & spe; non indè

August. hom. 13. inter 50

Idē ser. 105. de temp.

sequitur paucos ex eis saluari: imò sequitur potius oppositũ, quia ex ipsismet longè plures sunt, quos sequuntur diuitiæ, & aurum, quam qui aurum, & diuitias sequantur. Et sic affectu, & spe diuitiarum non peccant, atque adeò nec damnantur: vndè Palacius explicans illa verba Ecclesiast. 31. *Beatus vir, qui post aurum non abijt*, & vbi Tigurina legit, *qui aurum sequutus non est*, sic solidè, & luculenter discurrit. Si aurum ad te iure veniet, tu post illum non abis: sed si aurum iniustè quæris, tu post illud abis. Si gratioso dono, si hæreditario iure, si iusta arte aurum comparo, aurum ad me venit. Si per fas, nefas, illud conquiro: si res diuinas propter illud violo, aut Ecclesiæ leges transgredior, post aurum vado: quia aurum mihi, quasi viæ, vitæque ducem præpono, ac post illud toto amore, affectu, & conatu, quasi mancipium sequor, & feror. Sic Iudæi dicebantur ire per Deos alienos, cum relicto Deo illos colebant. Simili modo auarus, cum aurum, quasi Idolum colit, post illud abit. Si licitè veniens aurum amplector, non pecco. Sed si illicita ratione aurum perquiro planè fugiens aurum consector: ac ideò miser fio, qui felix quærendo, esse nolebam. Ex qua doctrina infertur solutio confirmationis, quamuis enim appareat, multos inter homines esse diuites: nihilominus cõparatiuè ad pauperes sunt paucissimi: tanta enim est, tamque innumera pauperum turba,

Ecclesi. 31. Palacius hic.

ba, vt longè,imò longiſſimè ſuperet diuitum multitudinẽ. Et dato, quod ex ipſis pauperibus multi ſint, qui ſaltem affectu pecuniæ ſeruiunt, & mammonæ; indè tamen non ſequitur, omnes vna, eademque intentione diuitijs inhiare;non enim omnes auaritiæ ſtudent: non omnes eas exoptant, vt luxuria, & ioco diſperdant: non omnes medijs illicitis illas adipiſci deſiderãnt, quod eſſet preferre Deo mammonã, ſeu mammonæ ſeruire,non Deo. Innumerabilis enim eſt Religioſorum phalanx, quæ militat in Eccleſia ſub voluntariæ paupertatis vexillo: & inter ipſos laicos, innumeri ſunt,qui viuunt in ſeculo, ſed non ſeculo: qui vtuntur quidem mundo, ſed non illo fruuntur: qui diuitias haud illicitè congregant, & congregatas vel pauperibus erogant, vel Eccleſijs, alijſque pijs locis diſtribuunt, vel conſeruationi proprij ſtatus conſulendo, commodo ſibi, & familiæ conſentaneo modis conuenientibus applicant: vndè talis affectus ad pecunias non eſt peccaminoſus, quia non præfert mammonam Deo: ſed Deo ſeruit, & non mammonæ; & conſequenter longè plures ſunt, qui nec re,nec affectu diuitijs inhærent: quam qui in diuitijs ſuam collocant ſpem, in eiſq; cõfidunt: atque adeò longè plures ſunt, qui animi temperantia ſaluantur, quam qui diuitiarum cupiditate damnantur.

231 Adde, quod ex ipſiſmet diuitibus, qui mammonam Deo præferre videntur, atque in diuitijs

uitijs ſpem omnem collocare, multi viribus gratiæ ſaluantur: vndè Chriſtus poſt illationem à diſcipulis factam (& eſt acuta Cornelij obſeruatio) eos oculis benignis aſpiciens timidam, & anxiam eorum mentem mitigauit, pacauitq; dicens: *Apud homines hoc impoſsibile eſt; apud Deũ autem omnia poſsibilia sũt.* Quaſi diceret apud homines, ideſt humanæ naturæ viribus impoſſibile eſt diuitē opibus ſuis intricatũ ſalutem conſequi, eò quod ſalus hæc ſit beatitudo ſupernaturalis, quam proindè ſine ſupernaturalibus gratiæ viribus aſſequi non poſſumus. *Apud Deum autem omnia poſsibilia ſunt.* Ideſt Deus; qui eſt auctor, & fons, vti naturæ, ſic & gratiæ, ipſe facit, vt per gratiam ſuam omnes naturæ difficultates, & remoras generosè, & facilè ſuperemus; ac (quod ad rem præſentem attinet) facit, vt fideles diuites diuitijs ſuis non afficiantur: ijſq; rectè vtantur: imò, vt non pauci ijs relictis, vel reſtitutis ambiant, & ſequantur Euangelicam paupertatem. Quod ſi quæras cur talem, ac tantam gratiam conferat Deus non paucis fidelibus diuitibus, qui lucro inhiant? Dico talia præſtare Deum, vel ad oſtenſionem ſuæ munificentiſſimę liberalitatis: vel intuitu meritorum paſſionis, & mortis Chriſti ipſis fidelibus per Sacramenta applicatorum: vel ob deuotionem, quam ergà Beatiſſimam Virginem profeſſi ſunt: vel per eleemoſynas pauperibus erogatas: vel ob aliud pium opus ab eis exercitum, per quod Deus præfata

Cornel. in Mat. 19.

fata

fata auxilia confert non de condigno, sed de congruo: non congruitate ipsi operi meritorio innixa: sed de quadam condecentia in diuina misericordia fundata. Ex quibus omnibus rectè colligitur non paucitas, sed pluralitas saluandorum.

232 Ad quintum locum respondeo primò retorquendo argumentum. Ex decem Virginibus quinque exhibentur prudentes, & quinque fatuæ in figurã prædestinatorum, & reproborum: ergo saltem colligitur electorum numerum à reproborum numero non excedi.

Respondeo secundò, quod si parabola conuinceret, vtique conuinceret, ex omnibus omninò hominibus mediam partem damnari, mediam saluari, quod est omninò falsum, vt satis ostendimus quæst. 1. per totam; & insuper patet ex eo, quod SS. PP. Hieron. & Hilarius apud Cornel. hic, *per decem Virgines* accipiunt omnes homines: *per fatuas* Iudæos, & Hæreticos: *per prudentes* Christianos catholicos: Cum igitur Iudæi, & Hæretici sint longè plures, quam Christiani catholici, cumque certum sit, Iudæos, & Hæreticos omnes, & ex Catholicis ipsis damnari non paucos, sequitur falsum esse mediam eorum partem damnari, & mediam saluari, vt Caietanus adductus ab aduersario opinatus est. Adde quod ex eadem parabola sequeretur, omnes fideles adultos saluari, cuius oppositum probauimus qu. 2. per totam. Quod autem

Hieron. & Hila. ap. Cornel.

In decẽ Virginibus figurantur omnes homines: in fatuis Iudai, & Haretici: in prudẽtibus Catholici.

hoc

hoc sequeretur, patet, quia quinque Virgines prudentes per Hieron. & Hilarium significant fideles: ergo ex eo, quod saluatæ sunt omnes quinque prudentes, sequitur, quod saluentur omnes fideles in eisdem significati; sicuti ex eo, quod in quinque fatuis significãtur Iudæi, & hæretici, sequitur quod omnes isti damnentur, cum omnes illæ damnatæ sint.

Respondeo tertiò directè ad argumentum: negando secundam consequentiam, quia quamuis communis status adultorum fidelium longè distet à statu perfectissimo virginitatis: nihilominus ex hoc nõ benè infertur in statu illo imperfecto plures esse reprobos, quam electos. Nam (vt diximus ex Damasceno orat. de his, qui in fide migrarunt) Plerique fidelium saluantur, *qui vel parum de fermento virtutis possederunt, & tempus non habuerunt*, vt ex eò panem facerent; & voluerunt quidem, licet vel ob desidiam, vel ob negligentiam, vel ob fragilitatem, vel ob quotidianam procrastinationem nequiuerunt. Plures igitur fidelium saluantur, licet virtutes ad summum perfectionis non attingãt: nam ad salutem assequendam sufficit mandatorum obseruatio, nec requiritur consiliorum supererogatio. Permisso ergo, sed non concesso, quod in statu perfecto virginitatis media virginum pars damnetur, & media saluetur, dico hoc prouenire ex arduitate obseruationis cõsiliorum, quæ ob naturæ nostræ corruptionem non facilè

supe-

superatur. Vndè licet semita præceptorũ quoad obseruantiam sit arcta, arctior tamen est semita consiliorum. Hinc factum est, vt adolescens ille Matth. 19. audiens consilium illud Christi: *Vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus*, ac egrè ferens se copiosis, quas habebat spoliare diuitijs, contristatus abijt potius, quam consilium illud amplecteretur. Vndè subdit Euangelista: *Cum audisset autem adolescens abijt tristis: erat enim habens plures possessiones*. Cum igitur minus difficilis sit obseruatio præceptorum in statu imperfecto, quã consiliorum in statu perfecto; mirum non est, plerosque fidelium in statu imperfecto saluari, quam damnari: in statu verò perfecto mediam partem damnari, ac mediam partem saluari. Adde, quod iuxtà Chrysostomum, & alios, non omnes, quæ Virgines appellantur, virgines sunt propriè dictæ: sed solũ illæ, quæ prudentes dicuntur, & quæ cum virginitate habent oleum charitatis adiunctum, quo se in operibus misericordiæ sedulò exercent: quæ verò tali charitatis oleo carent non re, sed nomine tenus dicũtur Virgines: & ideò istæ damnatæ, illæ saluatæ.

Matt. 19.

Chrys.

233 Ad sextum locum respondeo, argumentum ex illo erutum iam planè solutum esse per ea, quæ diximus suprà num. 55. & 56. ibi enim luculenter ostendimus, Hebræos, qui in deserto prostrati non intrauerunt terram promissionis, non fuisse figuram fidelium orthodoxorum dumtaxat;

 sed

sed fidelium cum infidelibus, vel saltem cum hæreticis, apostatis, & schismaticis immixtorum: & ex his promiscuè sumptis iam concedimus, quamplurimos damnari, paucos saluari: sicut in deserto quamplurimi remanserunt prostrati, & pauci in promissam terram habuerunt ingressum. Ad confirmationem, dato quod Recupitus asserit, nempè ex Hebræis, qui Christum præcesserunt, prædestinatos conficere numerum centum quadraginta quatuor millium; Dato etiam, multò minorem esse numerum signatorum, idest electorum ex Iudæis, quam sit reliqua multitudo ad Iudaicam Synagogam spectantium: non tamen hinc colligi potest, numerum electorum inter fideles Ecclesiæ esse multò minorem numero reproborum; sed solum colligitur numerum electorum inter Christianos promiscuos superari à numero reproborum: & hoc tantùm infertur ex verbis Apostoli: nam per illa verba: *Hæc in figura factum est nostri*; voluit Apostolus insinuare, quod sicut non fuit beneplacitum Deo in pluribus Iudæorum promiscuè sumptorum: ità nec est beneplacitum Deo in pluribus promiscuorum Christicolarum. Et in hoc sensu loquitur Irenæus, dum dicit in Ecclesia *sunt vocati multi, pauci verò electi*: nam pro multis vocatis intelligit tam infideles, quam hæreticos, & apostatas, quæ ad fidem vocati, vel noluerunt venire, vt Iudæi: vel à fide recesserunt vt apostatæ cum hæreticis. Auctoritas autem Chrysostomi,

quam

quam adducit, nec ipsi proficit, nec nobis officit; quæstio enim præsens præscindit ab hoc, quod Chrysostomus verè asserit, nempè fidelibus munus baptismatis non proficere, nisi vitam tali gratia dignam exhibeant.

234 Ad septimum respōdeo primò ex Cornelio negando antecedens: non enim loquitur Apostolus de brauio gloriæ, vt sic: sed propriè de brauio, idest aureola, & excellente præmio: & ideò non dixit tres, vel quatuor, *sed vnus accipit brauium*: quia non omnibus electis, sed paucis heroicè certantibus datur præmium excellens, & aureola, vt ijs, qui non tantum præcepta, sed & consilia Christi heroicè sequuntur. Et ideò subdit, *sic currite, vt comprehendatis*, quasi diceret. O fideles currite, non tantum ritè, vt comprehendatis: sed, & quam optimè, & velocissimè currite, vt primū, & nobilissimum gloriæ brauium reportetis: *Socordis enim animæ est dicere* (inquit Chrysostomus) *sufficit mihi vt saluer, & ad Cęlum perueniam*. Quisque enim conari debet, vt in Cęlo sit primus, primumque ibidem referat brauium: & in hoc sensu concessis prima consequentia, & minori subsumpta, nego secundam consequentiam: non enim per hoc vult Paulus significare paucitatem saluādorum, sed solum paucitatem eximiorum electorum, qui inter cęteros heroicè laborātes, nec non præcepta simul, & consilia Christi amplectentes, aureolam, & excellens præmium consequuntur.

Cornel. in 1. ad Cor. 10.

Chryso. ad Cornel.

235 Respondeo secundò. Dato, & concesso, quod Paulus hic loquatur de gloria vt sic, & de fidelibus, qui non solum ambulant, sed etiam currunt in stadio, & via salutis: nego tamen hinc inferre paucitatem saluandorum. Quamuis enim dicat ex omnibus fidelibus in stadio currentibus vnum accipere gloriæ brauium: in illo tamen vno intelligit innumeram fidelium multitudinem charitatis vinculo ad vnitatem collectam, & colligatam. Quod vel ex eo patet, quia in primitiua Ecclesia magna erat credentium multitudo: omniũ tamen *erat cor vnum, & anima vna*. Non solum igitur singuli iusti, sed etiam omnes simul, *Vnus* appellari solent: *Vt qui* (inquit Ambrosius) *eodem consortio Religionis eodem consortio fruerentur, & vitæ. Hoc est, vt quibus erat vna fides, esset, & vna substantia: & quibus erat communis Christus, communis esset, & sumptus*. Sed aptius ad propositum Origen. *Cur non omnes* (inquit) *Vnum dicuntur, quorum cor, & anima vna esse describitur? vnam semper omnes sapientiam meditantur: vnum sapiunt, vnũ sentiunt, vnum Deum venerantur, vnum Dominum Iesum Christum confitentur, vno spiritu Dei replentur? Vndè meritò, & ipsi omnes non solum vnum, sed & vnus dicuntur, sicut Apostolus designauit dicens: omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Vide manifestè, quia omnes Iusti vnus est?*

Act. 4. 32.

Ambr. serm. 9. de vnit. charit.

Origen. hom. de Elcana.

236 Ad confirmationem antequam respondeam, necesse est inuestigare, quænam in illis verbis

bis

bis ſit mens,& finis Apoſtoli. Suppono igitur cum interpretibus apud Corn. ſtadium, in quo agonizatur, & decertatur, eſſe vitam præſentem, vel Christianorum,vel cuiuſq; ſtatum: ſtadiodromũ, ſeu agonizantẽ, ac decertantẽ eſſe quemq; Chriſtianum. In hoc ſtadio, & certamine dico Antagoniſtas eſſe mundum, carnem,dæmonem: Coliphium eſſe victum ſobrium,& ieiunium: Pugnam, & luctam eſſe corporis caſtigationem, omniaque ardua virtutis officia, quæ cum conflictu interno, vel externo peraguntur, ex quibus oritur contrà præfatos antagoniſtas plena victoria: Brauium victoris eſſe coronam incorruptam,ideſt æternam gloriam. Pœnam victi eſſe reprobationẽ,& confuſionem æternam. Dicens igitur Apoſtolus: *Omnis autem, qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet &c.* Alluſit ad Agones Olympicos, aliaque certamina Græcorum, maximè ad Iſthnia, quæ Corinthi celebrabantur, & conſequenter alluſit ad Athletas paleſtritas, & pugiles, qui pugnis pugnabant ad ſtadiodromos, qui curſu in ſtadio certabant: ad Achrochiriſtas, qui ſummis inter ſe manibus depugnabant: ad Pancratiaſtes,qui toto corpore, manibus,pedibuſque certabant. Subdit poſteà. *Ego autem ſic curro, non quaſi in incertum: ſic curro, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, ne cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar.* namque loquebatur cum Corinthijs, qui velut recentes Chriſtiani erant in fide incipiẽtes: & inten-

Brauiũ eſt æterna gloria.

ten-

tendebat eos exhortari, vt de ſtatu incipientium ſe transferrent in ſtatum proficientium:& ideò dicebat, *ſic currite, vt comprehendatis*: Nam qui ſiſtit in gradu virtutis, non progreditur,& proficit: ſed deficit,& regreditur: vndè Bernar. *Itaque* (inquit) *ſi proficere currere eſt: vbi, & proficere, ibi & currere deſinis; vbi verò non currere, ibi et deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, nonniſi deficere eſt.* Finis igitur,& mens Apoſtoli erat, exhortari Corinthios ad curſum non interrumpendum vſquequò triumphale acciperent æternæ gloriæ brauium, exhibens eis ſemetipſum in exemplum: & ideò dicens: *Ego autem ſic curro non quaſi in incertum*: idem fuit ac ſi diceret iuxtà Cornel. Sicut Athleta, corpus abſtinentia, exercitio, labore, ſubigit, exercet, parat ad curſum, & luctam, vt in ea legitimè, & generosè decertans vincat, & quaſi victor brauium,& coronam corruptibilem adipiſcatur; Nos Chriſtiani, & ego in primis Apoſtolus veſter, corpus meum, inedia,labore,fatigatione, ſubigo, & exerceo: acerbè à me omnia officia pugilium exigo, quaſi Athleta certaminis Diuini; ne corpus meum continentiæ, & ſeuerioris vitæ lacertos in delicias mutet,&in imbelliam,ac ignauiam vaneſcat licentioris vitæ; ſed potius, vt luctaturus cum dæmone, carne, & mundo, Athleticis viribus decertem, vincam, atque coroner. Agite ergo ò Corinthij, in ſtadio hoc mecum decurrite, & non tantum Idolothytis (quorum occaſio-

Bernar. ep. 254. ad Garinum.

casione hæc dico, & hucusque decurro) ob scandalum: sed & delicijs, vino, & venere abstinete (ab his enim se abstinebant Athletæ, vt docet Budæus cum Quintiliano, Cicerone, & Aristotele: & Clemens Alexandrinus sequutus Platonem) vt luctaturi victoriam, & brauium reportetis. Hæc ex Cornelio. Non igitur præcipit, sed solùm exhortatur Apostolus, vt Corinthij, cæterique fideles ad sui exemplum currant, nec currere desinant, aut cursum interrumpant, vsquequò gloriæ brauium accipiant: imò vt tutius brauium, & coronam assequantur, ab omnibus, eos in agone impedientibus, *se abstineant*. His suppositis.

Budæus in pandectis pag. 180. Quintil. Cicero, & Aristotel. Clem. Alex. l. 3. strom. Plato l. 8. de legibus.

237 Respondeo ad confirmationem concedendo illa duo Apostoli asserta. Ad primum verò argumentum ex asserto primo erutum respondeo distinguendo maiorem: Necessè est, vt quis se abstineat ab omnibus, quæ ei in agone impediunt assecutionem brauij, & concedo: Ab omnibus, quæ ei brauij assecutionem non impediunt, & nego. Similiter distinguo minorem. Pauci sunt, qui ab omnibus eum in agone impedientibus se abstinent feruidè, iugiter, & perseueranter vsque ad mortem: concedo. Pauci sunt, qui se abstinent frigidè, vel interruptè, & remissè dum vitam agunt: nego minorem, & simul consequentiam, nempè paucos etiã esse, qui saluantur: Non enim pauci sunt, sed multi, qui dum viuunt, si non iugiter, & feruidè, saltem interruptè, & remissè se abstinent

stinent

ſtinent ab ijs, quæ brauij conſecutionē impediunt (quod quidē ſufficit ad ſalutē;) Imò pleriq; fideliū, poſt quā vitā tranſegerunt, nūc in culpas mortales cadendo, nunc per pænitētiā reſurgendo, tandē in mortis articulo maiori contentione, ac generoſiori conatu curſum reaſſumentes, ſe ad gratiam ſanctificantem per Eccleſiæ Sacramenta præparant, & ſic brauium ſalutis accipiunt, & gloriæ coronam aſſequuntur. Ad argumentum deductum ex aſſerto ſecundo concedo, Paulum ibi non loqui (vt volunt aliqui) de reprobatione hominum, ſed Dei: at non de reprobatione æterna, quæ eſt in mente diuina: ſed de temporali, quæ eſt executio æternæ: & ſubdo timuiſſe Apoſtolum, ne ob carnis petulantiam (ſi eam non caſtigaret), & ne ob corporis concupiſcentias, (ſi illud non ſubigeret) in perditionem abriperetur reprobatus, ac reiectus à Deo, cæloque excluſus: ſiquidem tunc temporis forſan non habuerat de ſua ſalute reuelationem, vt vult Gregorius; vel quia tunc temporis non ità fuerat confirmatus in gratia, vt ab ea non potuerit excidere. Ex quo tamen non ritè infertur paucitas fidelium ſaluandorum, ſed tantummodo deducitur, tutius eſſe, & vtilius ad aſſequendum brauium ſalutis, corpus per vigilias, ieiunia, humiliationes, auſteritates, aliaſque carnis macerationes caſtigare, quam carnem illecebris fouere, voluptatibus allicere, ac delicijs enutrire. Hinc tamen non ſequitur reprobari, & dam-

Greg. l. 6. ep. 22. ad Gregor.

damnari omnes illos fideles, qui ad exemplum Apoſtoli, non corpus caſtigant, non carnem ieiunijs macerant; non eam in ſpiritus ſeruitutem redigunt. Tum quia, vt quis ad vitam ingrediatur, ſatis eſt, vt ſeruet præcepta, nec tenetur Euangelica conſilia amplecti. Tum quia non omnes fideles poſſunt ieiunijs, vigilijs, & orationibus affligere corpus, quia non omnes habent eamdem complexionem, non omnes ijſdem potiuntur viribus, non omnes eadem fruuntur valetudine: vnde D.Thomas docet; *Carnis macerationem, & corporis ſubiectionem debere eſse diſcretam, & viribus, ac valetudini commenſuratam*. Tum quia licet corporis caſtigatio ſit recta ad ſalutem via, & inſtrumentum aptiſſimum ad virtutem, & perfectionem, plenamque vitiorum victoriam aſſequendã. Nihilominus aliæ non deſunt viæ, quibus fideles ad vitam ingredi valeant. Neque aliæ deſunt luctæ, & conflictus cum interni, tum externi, quibus vitia extirpentur, & eorum Antagoniſtæ, mundus, caro, & dæmon profligantur; ex quibus tandem oriatur victoria, & brauij, coronæque æternæ gloriæ conſecutio, & acceptio. Quamuis ergo non omnes fideles decertent, & gymnaſticent in agone, ſubigendo corpus, & carnem macerando: nihilominus multi eorum id faciunt: & eorum plerique alias exercent luctas, & conflictus contrà omnes Antagoniſtas; ideò plerique illorum ſaluantur, pauci damnantur.

D.Tho. 2. 2. qu. 188. a. 7.

PARAGRAPHVS XV.

In quo proponuntur argumenta è varijs Sacræ Scripturæ figuris eruta.

238 PRima figura est Arca Noè, in qua ex tota hominū multitudine paucissimi saluati sunt. Hæc figura ad hanc paucitatem saluandorum ostendendam in Ecclesia adhibetur. 1. Petri 3. *Quando expectabat Dei patientia in diebus Noè, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, idest octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & vos similis formæ saluos facit baptisma.* Dicit arcam, in qua Noè cum paucis saluus factus est per aquam, figuram fuisse Ecclesiæ, in qua fideles salui fiunt per baptismum. Signanter autem dicit, *in arca paucos, idest octo animas saluas factas esse*, vt ostendat paucitatem prædestinatorum in Ecclesia: quamuis verò hic non fiat comparatio fidelium inter se; tamen cum dicitur paucos saluandos esse in Ecclesia, sicut pauci, idest octo animæ saluæ factæ sunt in arca respectiuè ad reliquos omnes homines, qui tūc in diluuio perierunt, satis ostenditur tanta in Ecclesia paucitas saluandorum, vt comprehendere non possit, prçter paruulos, maiorem partem adultorum; nulla enim daretur proportio cum ijs, qui in arca octo tantum, respectiuè ad reliquos omnes homines saluati sunt. Diluuium autem illud vniuersa-

1. Petr. 3. Arca Noè figura saluandorum.

uersale figuram esse extremi iudicij, dicitur etiam à Dauide Psal. 33. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Ex hoc diluuio in Ecclesiæ arca pauci salui fiunt: licet multi sint intra hanc arcam. Ideò subdit ibidem Petrus, *quod, & vos similes formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum.* Quod perpendens Augustinus dicit, *homines in vnitate catholica baptizatos, qui seculo solis verbis, non factis renunciant, non pertinere ad huius arcę mysterium, in quibus non est conscientię bonę interrogatio.* Hanc eandem arcæ figuram ad ostēdendam paucitatem electorum affert Chrysostomus: *Cum Christus* (inquit) *ampliorem peccantium partem aßeueret, atque in paucis salutem prędefinitam dicat, quid impugnas aduersum me? Prorsus enim idem facis, ac si de Noè, & diluuio nobis verba facientibus, admirareris: & an id fieri potuerit, duoque tantum, vel tres homines effugerint, interrogares.* In hoc etiam expendi oportet, quod arcæ cacumen, seu pars superna, erat arctissima: pars verò inferna erat latissima, vt significaretur in arca Ecclesiæ paucos ad superna deduci: plurimos ad inferna. Quod adnotauit Origenes homil. 21. in cap. 26. Num. vbi, *quam pauci*, inquit, *sunt qui saluantur. Sed & in arca, quę à Noè constructa est, vbi mensura cęlitus designatur, in inferioribus arcę centum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo:*

Psal. 33.

Aug. l. 5 de bapt. con. Donat. c. 18.

Chrysost. lib. 1. ad uer. vit. vitæ Monast.

Arca pars superior arcta: inferior lata paucitatem saluandorum designat Origen.

summitas in vnius cubiti spatium consumatur.

239 Secunda figura reperitur Gen.20. vbi Pentapolitanum incendium figura fuit extremi iudicij: *Cum Dominus*, vt canit Ecclesia, *venerit iudicare seculum per ignem*. Loth autem, & tres animæ ex eo igne saluatæ, quo omnes quinq; vrbium incolæ perierunt, incendio extendente se per septuaginta duo milliaria in longum, & nouemdecē in latum, vt testatur Iosephus lib. de antiquit. Hebraic. signa sunt paucorum electorum, qui in eo vniuersali incendio saluabuntur. Quod animaduertens Isidorus Hispal. alleg. in sac. Scrip. *Loth.* (inquit) *typum habuit Sanctorum, qui in fine seculi ab impiorum incendio liberabuntur.*

Gen.20.

Incendium Sodomorū figura futuri Iudicij.

Tertia figura est ingressus paucorum in terram promissionis, de qua dictum est supra occasione testimonij producti ex Paulo.

240 Quarta figura est euersio vrbis Ierico salua sola domuncula mulieris nomine Rahab, vt habetur in lib. Iosuè cap.7. Ierico enim, vt notat Gregorius hom.2. in Euang. *Idem sonat ac Luna, & mundi huius mutabilitatem designat*. Muri autem Ierico, *clangentibus tubis illicò corruentes* Iosuè 6. mundi figurabant excidium complēdum extremo die *in nouissima tuba* 1. Corinth. 15. Rahab autem, quæ sola saluata est cum paucis, figura fuit saluandorum. Dicitur enim ad Hebræos 11. *Rahab fide non perijsse*. Et Iacobi 2. *Rahab ex operibus iustificata*. Ideò à Chrysostomo dicitur, *admirabilis illa*

Iosuè c.7 Rahab figura prædest. Iosue 6. 1. Cor. 15. Ad Hebr. c. 11. Iacob. 2. Chrys. hom. 5. de pæni.

Rahab

Rahab per pœnitentiam ſaluata. Et Ioſue 2. dicitur ſaluata per *ſignum funiculi coccinei*: quia ſcilicet, vt notat Ambroſius: *Vexilla Dominicæ paſsionis attollens coccum in feneſtra ligauit: vt ſpecies cruoris myſtici, quę foret mundum redemptura vernaret*. Nempè electi omnes, vt notat Rupertus: *per vnũ ſaluantur funiculum coccineum, per crucis, & paſsionis Chriſti ſignaculum*. Si igitur, vt notat Lyranus in eum locum: *Ierico ſignificat ciuitatem culpę, quã fecit amor ſui, vſque ad contemptum Dei*, in hac latiſſima ciuitate reproborũ electa eſt ad ſalutem ſola Rahab, quæ erat in medio illorũ, vt ait Chryſoſtomus: *Velut in volutabro confuſa margarita, aurum in luto abiectum, flos ſpinis confoſſus, religioſa anima incluſa in loco impietatis*. Hanc igitur comparationem habent electi ad reprobos, quam domus Rahab ad vniuerſam vrbem Ierico.

Ambr. lib. 5. de fid. c. 5.

Rupert. in Ioſuè c. 13.

Lyran.

Chryſ. loc. cit.

Iud. c. 7.

241 Quinta figura ſumitur ex lib. Iudicum cap. 7. vbi ex triginta duobus millibus, qui erant in exercitu, Gedeon elegit tantum trecentos, qui victoriam de hoſtibus reportarent, reliquos reprobauit. Gedeon autem apertiſſima eſt Chriſti figura, vt expreſsè Origen. Aug. & Theodoretus. Idq; habetur Iſaiæ 10. vbi dicitur de Chriſto *ſceptrum exactoris ſuperaſſe, ſicut in die Madian*, ideſt, ſicut Gedeon Madianitas. Trecenti igitur electi inter triginta duo mille reiectos ſignificãt electos inter reprobos. Sicut enim fuerunt reiecti, *qui curuauerunt genua vt biberent*: & electi, qui hoc non

Iud. c. 7.

Orig. homil. 8. et 9. in lib. Iudic.

Auguſt. ſer. 108. de temp.

Theod. q. 14. & 15. in li. Iud.

Iſaia c. 10.

fece-

Origen. homil. 9. in lib. Iudic.

fecerunt, ità vt notat Origenes: *Ille electus est, qui post quam ad aquam baptismi ventum est, flecti ad terrenas necessitates nescit: qui vitijs non indulget: neque ob peccati sitim sternitur pronus*. Apertè loquitur de Christianis, ait enim: *postquam ventum est ad aquam baptismi*, è quibus tota ferè multitudo reiecta dicitur, præter trecentos, qui electi sunt ex eo, quod *lamberent aquam, sicut lambit canis*. Quippè, vt notat Augustinus in lib. Iud. quod *illi probati sunt, per quos vinceret, qui similes in bibendo canibus dicerentur, significat, quod contemptibilia, & ignobilia elegit Dominus*. Electi igitur à Domino ad vincendos Madianitas, idest dæmones, eā proportionem habent ad reprobos, quam soli trecēti, ad triginta duo millia reiectorum. Simile quid habetur lib. 3. Reg. cap. 19. vbi dicitur *Deum dereliquisse sibi in Israel septem millia virorum, quorum non sunt incuruata genua antè Baal*. Ex multitudine penè innumerabili Israelitici populi nō plusquam septem millia sibi à Deo reseruata paucitatem designant electorum inter fideles. Ideò in Reuel. S. Birgittæ Christus ei ità dicit: *Sicut dicebatur ad Heliam, qui nullum superesse putabat amicum meum, habeo septem millia &c. Sic ego, licet multi sint inimici, habeo tamen occultos amicos inter eos*.

3. Reg. 10.

S. Birgitta in reuel. l. 5 c. 56.

Ezec. 9.

242 Sexta figura habetur Ezech. 9. vbi iubetur Angelus, *signare Tau super frontem virorum gementium, & dolentium super abominationibus, quæ fiebant: & interficere omnes reliquos incipiendo à San-*

ctua-

ctuario. Ex qua figura Augustinus colligens paucitatem saluandorum ex fidelibus: *De bonorum* (inquit) *paucitate propter malorum plurium comparationem pauca commemoro*. Et infrà: *Vidit Ezechiel signatos quosdam, ne cum malis pariter interirent: de quibus dicitur, qui gemunt, & mærent peccata populi mei, quæ fiunt in medio eorum. Populum suum non diceret, quem paucis solis illæsis, perire mox iubet, nisi qui eius Sacramenta gestabant*. Apertè loquitur de paucis electis in comparatione plurium perditorum ex eodem populo Dei. Ex quo, vt notat Origenes: *Illi solum sospites reseruantur, quos Thau littera, idest crucis pictura signabat*. Aduertẽdum etiam in hac figura *sex viros*, idest, vt explicat Theodoretus, & alij, sex Angelos missos ad occidendum, vnum verò ad signandum Thau: sex ad reprobos, vnum ad electos, illorum multitudinem, horum paucitatem designare. Idem habetur ex Apocalypsi cap. 7. vbi mittitur etiam vnus Angelus ad signandos electos, & cap. 15. *Septem Angeli, cum septem phialis plenis iracundia Dei viuentis*, & cap. 8. introducuntur *septem Angeli cum septem tubis*: quæ datæ erant ad intimanda supplicia: *Et primus Angelus tuba cecinit, et facta est grando, et ignis etc. Et secundus Angelus tuba cecinit: et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare*, & sic in cæteris septem tubis, quæ datæ sunt septẽ Angelis. *Vnus verò Angelus stetit ante altare habens thuribulum aureum de orationibus Sanctorum etc.* Septem Angeli deli-

Aug. li. de vnit. Eccles.

Origen. hom. 8. in Ezec.

Apoc 7. & 15.

fecerunt, ità vt notat Origenes: *Ille electus est, qui post quam ad aquam baptismi ventum est, flecti ad terrenas necessitates nescit: qui vitijs non indulget: neque ob peccati sitim sternitur pronus.* Apertè loquitur de Christianis, ait enim: *postquam ventum est ad aquam baptismi*, è quibus tota ferè multitudo reiecta dicitur, præter trecentos, qui electi sunt ex eo, quod *lamberent aquam, sicut lambit canis*. Quippè, vt notat Augustinus in lib. Iud. quod *illi probati sunt, per quos vinceret, qui similes in bibendo canibus dicerentur, significat, quod contemptibilia, & ignobilia elegit Dominus*. Electi igitur à Domino ad vincendos Madianitas, ideſt dæmones, eã proportionem habent ad reprobos, quam soli trecẽti, ad triginta duo millia reiectorum. Simile quid habetur lib. 3. Reg. cap. 19. vbi dicitur *Deum dereliquisse sibi in Israel septem millia virorum, quorum non sunt incuruata genua ante Baal*. Ex multitudine penè innumerabili Israelitici populi nõ plusquam septem millia sibi à Deo reseruata paucitatem designant electorum inter fideles. Ideò in Reuel. S. Birgittæ Christus ei ità dicit: *Sicut dicebatur ad Heliam, qui nullum superesse putabat amicum meum, habeo septem millia &c. Sic ego, licet multi sint inimici, habeo tamen occultos amicos inter eos.*

Origen. homil. 9. in lib. Iudic.

3. Reg. 10.

S. Birgitta in reuel. l. 5 c. 56.

Ezec. 9.

242 Sexta figura habetur Ezech. 9. vbi iubetur Angelus, *signare Tau super frontem virorum gementium, & dolentium super abominationibus, quæ fiebant: & interficere omnes reliquos incipiendo à Sanctua-*

ctuario. Ex qua figura Augustinus colligens paucitatem saluandorum ex fidelibus: *De bonorum* (inquit) *paucitate propter malorum plurium comparationem pauca commemoro*. Et infrà: *Vidit Ezechiel signatos quosdam, ne cum malis pariter interirent: de quibus dicitur, qui gemunt, & mẹrent peccata populi mei, quẹ fiunt in medio eorum. Populum suum non diceret, quem paucis solis illẹsis, perire mox iubet, nisi qui eius Sacramenta gestabant*. Apertè loquitur de paucis electis in comparatione plurium perditorum ex eodem populo Dei. Ex quo, vt notat Origenes: *Illi solum sospites reseruantur, quos Thau littera, idest crucis pictura signabat*. Aduertēdum etiam in hac figura *sex viros*, idest, vt explicat Theodoretus, & alij, sex Angelos missos ad occidendum, vnum verò ad signandum Thau: sex ad reprobos, vnum ad electos, illorum multitudinem, horum paucitatem designare. Idem habetur ex Apocalypsi cap. 7. vbi mittitur etiam vnus Angelus ad signandos electos, & cap. 15. *Septem Angeli, cum septem phialis plenis iracundia Dei viuentis*, & cap. 8. introducuntur *septem Angeli cum septem tubis*: quæ datæ erant ad intimanda supplicia: *Et primus Angelus tuba cecinit, et facta est grando, et ignis etc. Et secundus Angelus tuba cecinit: et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare*, & sic in cæteris septem tubis, quæ datæ sunt septē Angelis. *Vnus verò Angelus stetit ante altare habens thuribulum aureum de orationibus Sanctorum etc.* Septem Angeli

Aug. li. de vnit. Eccles.

Origen. hom. 8. in Ezec.

Apoc 7. & 15.

deli-

designantur ad supplicia reproborum, vnus ad orationes Sanctorum. Hùc etiam pertinet, quod dicitur in Apocal. cap. 20. vbi Ioannes *vidit mortuos magnos, et pusillos stantes in conspectu throni: et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est uitæ.* Contradistinguit librum vitæ, in quo electio, & opera eorum bona scripta sunt, ab alijs libris, in quibus scripti sunt reprobi, & opera eorum mala. Quæ expositio patet ex sequentibus. Subdit enim: *Iudicati sunt mortui ex his, quę scripta erant in libris, secundum opera ipsorum*; idest, vt interpretatur Hugo: *Lecti sunt libri, et mortui, idest mali iudicati sunt à Sanctis secundum opera eorum, quæ scripta erant in libris*. Liber vitæ vnicus ponitur: libri mortui, seu reproborum plures: vnus ille, quia paucos continet saluandos: multi hi, quia multos continent damnandos. Quod adnotans Viegas in hunc locum: *Multi* (inquit) *libri ad reprobos, unicus libellus ad prędestinatos spectabat. Cum enim multi sunt reprobi, multos oportet esse libros, in quibus describantur. Quia uerò electi pauci numero, si cum reprobis comparentur, unus, isque perexiguus libellus ijs omnibus notandis sufficiet.*

Apocal. cap. 20.

Hugo Card.

Viegas.

243. Septima figura est probatica piscina, quæ, vt habetur Ioann. 5. *Erat quinque porticus habens: in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquę motum.* Ex tanta multitudine ad descensum Angeli saluabatur vnus; ille scilicet, *qui prior descendisset in pisci-*

Ioann.

piscinam post motionem aquę. Hæc piscina symbolum erat baptismi, vt notat Tertullian. Ambrosius, & Chrysostomus in eum locum Ioannis, vbi; *Cum uellet* (inquit) *Deus appropinquantis baptismi fidem nos erudire, morbos per aquam expulit*. Ideò lectio Syriaca pro *piscina* vertit *baptisterium*. Angelus descendens in piscinam est ipsemet Christus appellatus Isaiæ 9. iuxta lectionẽ septuaginta. *Magni consilij Angelus*: cuius virtute aqua baptismalis mouetur, seu eleuatur ad producendam gratiam. Mirabile tamen est, quod cum per aquam baptismalem sanantur omnes, per aquam probaticę piscinæ, vt ibi notat Augustinus, *saluabatur unus, et postea quisquis ueniret non sanabatur*. Nimirum eo mysterio non aliud videtur significari posse, nisi Christianis post baptismum perfectam, & cõsummatam salutem, quæ in prædestinatione consistit, tã paucis obtingere, quasi è multis saluetur vnus. Quod fortasse significatur etiam Isaiæ 27. *Congregabimini unus, et unus filij Israel*. Figuratum id etiam fuit in vna vidua, ad quam missus est Elias, & in vno leproso, quem mundauit Elisæus. Quod expendens ipsemet Christus Lucæ 4. *Multę* (inquit) *Viduę erant in diebus Elię in Israel, quando clausum est Cęlum, et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in sarepta Sidonię ad mulierem uiduam: et multi leprosi erant in Israel sub Elisęo Propheta, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus*. Prætereà id etiam innuitur Cantic. 6. vbi dicitur, quod *Salomoni sexaginta*

Tertul. l. de baptis. c. 5. Ambr. lib. 1. de Spir. S. c. 7. Chrisost.

Isa. 27.

Luca 4.

Cant. 6.

ginta erant Reginę, octoginta concubinę, et adolescentularum non erat numerus. Ex his *una columba, una dilecta.* Ex omnibus vnus leprosus mundatus: e plurimis vna Salomoni dilecta: ex innumeris vnus ex probatica piscina sanatus; certè cum hæc mysterio non vacent, significant id, quod infra dicetur è Sanctis è *decem millibus saluari uix unum.*

PARAGRAPHVS XVI.

In quo Responsiones ad figuras adducuntur.

244 AD primam figuram respondeo, & cōcedo Arcam fuisse figuram saluandorum, & consequenter figuram Ecclesiæ, in qua fideles salui fiunt per baptismum: sicut Noè cū suis saluus per aquam factus est. Id tamen quod aduersarius assumit: nempè signanter dici; *In Arca paucos, idest octo animas saluas factas esse*, vt ostendat paucitatem prædestinatorum in Ecclesia, distinguendum est sic: vt ostendat paucitatem prędestinatorum in Ecclesia in comparatione omniū aliorum hominum, qui sunt extrà Ecclesiam: & concedo. In comparatione ipsorum fidelium inter se: & nego. Vndè falsum est, quod indè infert, nempè satis ostendi tantam saluandorum in Ecclesia paucitatem, vt non possit comprehendere maiorem adultorum partem, exceptis paruulis: quia quamuis non detur proportio arithmetica,

datur

datur saltem geometrica, quæ sufficit in præsenti. Falsum insuper est, quod Petrus hìc dicat, paucos saluandos esse in Ecclesia de ipsis fidelibus inter se comparatis; sed id, quod intendit dicere est, iustos in arca saluatos paucos fuisse comparatiuè ad reliquos homines impios, qui extrà Arcam perierunt; in quo sensu nos etiam concessimus, & concedimus prædestinatos in Ecclesia, quamuis innumeros, nihilominus paucos esse respectiuè ad reliquos omnes homines ob infidelitatem, vel hæresim, vel iudaismum reprobandos: immò argumentum aduersarij sic posset contrà ipsum retorqueri. Omnes iusti, qui ingressi sunt Arcam Noe saluati sunt, quamuis pauci respectiuè ad eos, qui extrà manserunt: ergo omnes fideles, qui viuunt in gremio Ecclesiæ, quamuis pauci sint respectiuè ad infideles reprobos, saluantur. Hoc tamen esse etiã falsum ostendimus suprà: non enim verum est omnes fideles adultos saluari; sed longè plures saluari, quam damnari. Neque contrà nos faciũt verba, quæ subdit Petrus Apostolus: *Quod et nos similis formæ saluos facit baptisma etc. Non carnis depositio sordium; sed bona conscientiæ interrogatio, uel* (vt Cornelius legit) *Probatio, et exploratio apud Deum.* Sensus enim illorum verborum est hic: Sicut Arca olim seruauit octo animas in vita corporali: ità nunc baptismus saluat animas vita spirituali: non quatenus est ablutio carnis, vt ex ea sordes eluat, & deponat, vti faciebant baptis-

mata, & lauacra Iudæorum; sed quatenus est ablutio animæ, & conscientiæ, eamque bonam, idest puram, & sanctam efficit coram Deo iuxtà illud Hebr. 10.22. *Aspersi corda à conscientia mala, et abluti corpus aqua munda*. Et in hoc sensu benè dixit Augustinus loc. cit. Baptizatos, qui seculo verbis, non factis renunciant, non pertinere ad mysteriũ huius Arcæ: quia in eis non est conscientiæ bonæ interrogatio, idest non habent conscientiam puram, & mundam coram Deo.

Interrogatio bona conscientiæ est possessio conscientiæ puræ, & mundæ coram Deo.

245 Ad auctoritatem Chrysostomi dico, illum loqui de paucitate saluandorum respectiuè ad reliquos omnes homines, non respectiuè ad omnes fideles adultos inter se comparatos. Quod vel maximè patet ex illis verbis: *Prorsus enim idem facis, ac si de Noè, & diluuio nobis verba facientibus admirareris: & an id fieri potuerit, duoque tantum, vel tres homines interrogares*. Nam sicut in Arca Noè pauci saluati sunt, non respectiuè ad iustos inter se comparatos, sed in comparatione reliquorum omnium impiorum, qui extrà Arcam reperti fuerunt: Ità hic Apostolus, & ex eo Chrysostomus asserunt, paucos esse fideles, qui in Ecclesia saluabuntur, non quia simpliciter pauci sunt: sed quia comparati ad infideles, qui extrà Ecclesiam damnabuntur, pauci, imò paucissimi dici possunt. Et hoc etiam videtur insinuare angustia Arcę in parte superna, & latitudo in inferna, scilicet paucos ad superna deduci, plurimos ad infernũ; facta nimirum

mirum comparatione fidelium ad infideles: non verò fidelium adultorum inter ſe: ſic etiam intelligendus eſt Origenes ab aduerſario adductus: nã ex longitudine, & latitudine partis inferioris Arcæ: & anguſtia partis ſuperioris infert dumtaxat paucitatem ſaluandorum, nulla facta mentione de fidelibus inter ſe comparatis: vndè patet eum loqui de paucitate ſaluandorum reſpectiuè ad fideles, & infideles promiſcuè ſumptos.

246 Ad ſecundam, & tertiam reſpondeo has figuras inutiles eſſe aduerſario, nobis perutiles: eiſdem enim vſi ſumus num. 19. & 20. ad probandam paucitatem ſaluandorum ex maſſa omnium omninò hominum. Dico igitur Loth cum tribus alijs ſaluatum ab incendio Pentapolitano, fuiſſe ſignum paucorum electorum, qui in incendio vniuerſalis Iudicij ſaluabuntur. Sed quia incolæ earum Vrbium, qui perierunt erant infideles idolatræ: idcircò Loth cũ paucis ſaluatus, figura fuit paucorum electorum fidelium reſpectiuè ad omnes infideles damnandos. Tertia figura facit totaliter pro nobis, & ideò eandem attulimus ad probandam paucitatem ſaluandorum ex omnibus omninò hominibus: & §. præcedenti in reſponſione ad ſextum locum idem luculentius oſtendimus num. 260.

Loth figura fidelium ſaluandorũ reſpectiuè ad infideles dãnandos.

247 Ad quartam figuram de Raab, clarè liquet comparationem fieri inter fideles, & infideles: non inter fideles inter ſe: Raab enim relicta

Idola-

Idolatria, cum paucis ad fidem conuersa, saluata est: reliqui autem omnes eiusdem vrbis incolæ in idolatria permanentes, tanquam infideles damnati sunt.

248 Ad quintam respondeo cōcedendo Gedeonem esse figurám Christi: & trecentos electos inter triginta duomille reiectos, significare electos inter reprobos; sed dico figuram currere inter Christianos promiscuè sumptos, non inter fideles, de quibus tantùm loquimur in præsenti. Ratio est, quia Hebræi apud Lyranũ tradunt eos, qui curuatis genibus biberant, ideò exauctoratos, quia assueti fuerant curuare genu coram Idolis. Vndè Brixianus apud Ioannem Freyre: *Voluit* (inquit) *Dominus solos iustos viros habere in hoc prælio &c. Quomodo enim vincerent ij, à quibus Dominus exercituum non stabat?* Addit Origenes: *Ideò hos trecentos more canum dictos bibere: quia hoc animal super cętera animalia mortẽ dicitur proprij domini seruare: nec tempore, nec iniurijs obliterari in eo fertur affectus.* Quasi verò ideò electi, quia maiori ergà Deum, & Dominum amore fuerint affecti; quemadmodum de Abraham dixit Chrisostomus, *trecentos illos vernaculos elegisse, vt vltionem spontè, & beneuolè facerent, vtpote serui pro Domino certãtes.*

Brixia. ap. Freyre in 7. priora capita lib. Iud.

Orig. homil. 1.

Cum igitur reiecti fuerint idolatrę inter fideles, manifestè apparet, figurã supradictã habere locũ inter fideles, & infideles: vel inter Christianos promiscuos, & nõ inter fideles tantũ, de quibus loquimur.

mur. Imò Orig. ab aduerſario adductus, clarè loquitur, nō de fidelibus catholicis, ſed de chriſtianis quod ipſemet aduerſarius deducit ex illis verbis: *Poſtquā ventū eſt ad aquā Baptiſmi*. Per Chriſtianos autē intelliguntur non ſolum fideles catholici, ſed etiā hæretici, ſchiſmatici, & apoſtatæ. In eodem prorſus sēſu intelligēda sūt verba allata ex 3. Reg. cap. 19. Iſraelitæ enim tempore Heliæ erant omnes idolatrę (exceptis viris de tribubus Iuda, & Beniamin) vndè numerus ſeptem millium ſibi à Deo reſeruatorū, ex multitudine penè innumera Iſraetici populi, paucitatem deſignat electorum, non inter fideles tantum, ſed inter fideles, & infideles, vel inter Chriſtianos promiſcuos.

Origen.

3. Reg. 19

249 Ad ſextum reſpondeo hanc figuram nobis non obſtare: non enim comparationem facit inter fideles, & fideles: ſed inter fideles, & idolatras. Quod clarè liquet ex præcedentibus: nām Ezechiel. cap. 8. refert ſe raptum à Deo in Hieruſalem, ibique vidiſſe idolatriam, & abominationem quadruplicem, quæ fiebant in Templo: Vidit primò Idolum Zeli, quod vocabant Baal, quaſi omnium dominum, & poſſeſſorem; quodque poſitum in Templo à Manaſſe, & ablatum poſteà à Ioſia, repoſitum tandem fuerat ſub Ioachim, & Sedecia. Vidit ſecundò depicta Idola in exedris, ac ſeniores domus Iſrael eis thurificantes. Vidit tertiò mulieres plangentes Adonidem, Veneris Amaſium, quo planctu fæminæ, & viri libidinoſi eādem

Ezech. 8

Baal Idolum Zeli.

dem Venerem colebant, vt eam sibi propitiā redderent. Vidit quartò Sacerdotes obuertētes terga Sancto Sanctorum, qui sic auersi terga dabant Arcę Domini, & ipsi Domino, atque ad Orientem conuersi more Gentilrum Solem adorabant. Hinc Deus ad émulationē prouocatus cap. 9. iussit cuidam Angelo, vt Hierosolymæ signo Thau signaret viros pios, qui populi peccata lugebant: deindè iussit sex alijs Angelis, vt signatis parcerent: reliquos autem non signatos, per Chaldæos occiderent. Ex his omnibus manifestè apparet paucitas saluandorum in signatis signo Thau figuratorum: non tamen comparatiuè ad fideles inter se, sed respectiuè ad fideles, & infideles: nam reliqui Israelitæ non signati, & à Chaldæis occisi, erant omnes idolatrię dediti, vt probatum est: & in pęnā idolatrię iussit Deus per Chaldęos trucidari. Neq; officit, quod Deus, Israelitas idolatras vocauerit populum suum: vocauit enim suum, quia in suum ipsemet elegerat: sed ex eo quod posteà populus ex propria voluntate, & malitia ab eius fide apostatando ad Idola colenda se conuerterit, implacabili indignatione concitus Deus, eum iussit per Chaldæos exterminari. Neque contrà nos est Augustinus adductus: apertè enim loquitur de paucis electis in comparatione plurium perditorum ex eodem populo Dei, sed idolatra (quod ipsemet aduersarius negare nō potest.) Multò minus nobis contradicit Origenes: qui solum dicit re-

ser-

ſeruatos ſoſpites fuiſſe, qui Thau ſymbolo Crucis ſignati fuerunt: quod neque nos negamus. Eodem prorſus modo explicanda ſunt loca Apocal. adducta: nempè vnum Angelum deſignari ad orationes Sanctorum, ſeptem ad ſupplicia populorũ: quia pauci ſunt electi non reſpectiuè ad fideles inter ſe: ſed in comparatione omnium omninò hominum, quod nos nunquam negauimus.

250 Ad id, quod addit *de libris, qui aperti sũt: & de alio libro, qui apertus eſt, qui eſt vitę*, concedo librum vitæ contradiſtingui ab alijs libris: ſed nego alios libros à libro vitæ contradiſtinctos eſſe illos, in quibus ſcripti ſunt tantúm reprobi, & opera eorum mala. Sed cum Interpretibus paſſim, & cum Suarez dico libros, qui aperti ſunt, eſſe illos, in quibus cuiuſque opera, ſiue bona prædeſtinatorum, ſiue mala reproborum conſcripta ſunt, vt ex ijs quiſque iudicetur: & ideò ſubdit Ioannes. *Iudicati ſunt mortui ex his, quę ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum*. Hi ergo libri ſunt cõſcientiæ, & memoriæ ſingulorum, ſiue prædeſtinatorum, ſiue reproborum, in quibus, quaſi in libris deſcripta ſunt cuiuſque facta tam bona, quam mala, vt ex Hieron. dicunt interpretes. At liber vitæ eſt liber prædeſtinationis Dei, in quo ſcilicet Deus retinet conſcripta ſolummodò nomina eorum, qui prædeſtinati, & electi ſunt ad vitam æternam; de hoc autem libro fit ſpecialis mentio propter duo; Primum eſt: quia hic liber componen-

Suarez 3.p.q.59 ar.6.diſput.57. ſect.9.

Interpr. ex Hier.

dus eſt, & coæquandus cum libris apertis ſingulorum, ideſt cum conſcientijs ſingulorum hominum, ſiue prædeſtinati, ſiue reprobi ſint. Secundum eſt: quia propter electos, qui in libro vitæ ſcripti ſunt, maximè fiet iudicium, vt nimirum illi à Deo glorificentur, eorumque labores, & dolores, iuſtum pro meritis, & condignum præmium recipiant. Volebat enim hic Ioãnes animare fideles, & Martyres dura patientes ſub Domitiano, & dura paſſuros deinceps, præſertim ſub Antichriſto, vt fortiter martyria, & mortem ſubirent, cogitantes ſe per illam tranſituros ad vitam beatam, ad quam à Deo conſcripti erant in libro vitæ. Perperam igitur expoſuit hunc locum Viegas: vndè eius expoſitio reprobatur à Cornelio ex eo, *quia hi libri ſunt vniuerſales, & communes tam bonis, quam malis:* tam prædeſtinatis, quam reprobis. Expoſitio verò Hugonis cohæret Auguſtino, qui docet, libros apertos, qui ſpectant ad bonos, & ſanctos, eſſe ipſorum vitas, merita, virtutes, bonaſque operationes, & ſic benè dicit Hugo: *Malos iudicari à Sanctis ſecundum opera eorum, quę ſcripta ſunt in libris.* Vbi notandum eſt, quod non dixit in libro, ſed in libris. Nam fides, exempli gratia, Abraham condemnabit infideles: Virginitas Ioſephi laſciuos: Patientia Iob impatientes: Humilitas Dauid ſuperbos: Caſtitas Suſannæ infidas adulteras, & ſic de cæteris. Quod totum nos etiam affirmamus: vndè Hugonis auctoritas potius nobis prodeſt,

Expoſi- Viegas reprobatur à Cornel.

quam

quam obest. Hinc patet falsam esse consequentiam, quam infert Recupitus, nempè de fidelibus adultis plures esse damnandos, quam saluandos, cum falsum sit, quod supponit, nempè libros illos mortuorum, qui aperti sunt, esse libros reproborum: cum ex Hieronymo, & Interpretibus passim libri illi sint communes prædestinatis, & reprobis, bonis, & malis: liber verò vitæ sit Dei prædestinatio. Adde, quod quamuis libri illi aperti prædestinatis, & reprobis communes sint, concedimus tamen plures ex hominibus esse damnandos, quam saluandos, si loquamur de omnibus omninò hominibus, seu de Christianis promiscuis; solum igitur negamus ex fidelibus adultis inter se comparatis plures damnari, quam saluari: quod malè infert aduersarius ex non recta, & genuina expositione illorum librorum.

251. Ad septimam respondeo concedendo probaticam Piscinam fuisse figuram Baptismatis: Angelumque in piscinam descendentem fuisse figuram Christi: sed nego vnum illum in piscina sanatum designasse paucitatem saluandorum ex fidelibus adultis inter se comparatis. Vndè valde [illegible] miror, tam mirabile videri Aduersario, quod cum per aquam baptismalem sanentur omnes, per aquam piscinæ probaticæ sanetur dumtaxat vnus. Miror (inquam) quia ipse non poterat ignorare, communem huius dubij solutionem traditam à Sanctis Patribus Augustino, Beda, Ruperto, Henrico,

Aug. Beda, Rup. Henric.

Alb. D. Th. Bonau. ap. Sylueri. ra Carmel. rico, Alberto Magno, Thoma Aquinate, & Bonauentura, quos refert, & sequitur Syluerira meus Carmelita, nempè per hunc vnum in piscinam descendentem intelligi vnitatem populi Christiani. Qui enim est in vnitate Ecclesię, & corporis Christi sanatur: qui verò discrepat, salutem habere nō potest: vndè Augustinus dicit: *Christus cum esset Medicus corporum, & animarum, & venisset sanare animas omnium credentium; de istis languentibus vnū elegit, quem sanaret, & vnitatem significaret. Ibi enim sanabatur vnus vnitatem significans: quia si quis postea veniret non sanabatur, eo quod, quicumque præter vnitatem fuerit, sanari non poterit;* Neque poterat ignorare, quod tot seculis antecedentibus docuerat Tertullianus, scilicet hoc factum esse, vt extolleretur excellentia legis gratiæ super veterē; nam olim semel in anno veniebat Angelus, vt salus vni impertiretur. At verò nunc post quam eluxit gratia Christi in sacratissimis eius fontibus Baptismatis, & Pœnitentiæ; iam nō semel in anno, sed omnibus momentis fluunt in nos cælestia æternæ vitæ beneficia. *Proficiente itaque in hominibus gratia Dei* (hæc sunt verba Tertulliani) *plus aquis, & Angelo accessit; qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur; qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant; qui vnum semel in anno liberabant, nunc quotidiè populos conseruant, deleta morte per ablutionem delictorum.*

Aug. tr. 17. sup. Ioan.

Tertul.

252. Desinat igitur mirari aduersarius, sanitatem

tatem vnius per aquam piſcinæ: hoc enim fiebat, vt virtus aquæ baptiſmalis in aqua piſcinæ figurata eluceſceret magis, quam ipſa figura; magiſque pateret facilitas, & libertas conſequendæ ſalutis in Euangelica, quam in Moſaica lege. *Hoc fiebat* (ait Guido noſter Carmelita ſuper quatuor vnum pag.411.) *ad oſtendendum defectum efficaciæ legalis, quę non iuſtificabat: nec ad omnes languidos, etiam corporaliter ſanandos, efficax erat; dum vnus ſolus ſanabatur, & non alij. Per quod Sacramentum Baptiſmi, tanquam medicina vtilis, oſtenditur neceſſarium, & vtile ad inſtituendum, & Iudæis facilius ad credendum.* Et poſt pauca. *Prius enim non ſanabatur quicumque volebat propter multa impedimenta: ſed ille, qui corporaliter accedere poterat: Nunc autem omnes.* Cuius diſcriminis rationem aſſignat Chryſoſtomus homil. 16. in Ioannem dicens: *Nunc vnuſquiſque poteſtatem habet accedendi; Non enim Angelus aquam mouet: ſed Angelorum Dominus totum perficit. Et licet vniuerſus mundus accedat non conſumitur gratia, neque virtus deficit; ſed eadem ſemper manet.* Vndè Sanctus Cyrillus noſter docet, quod aqua piſcinæ reſtringebatur ad ſanitatem alicuius de populo Iudaico tantum; At aqua baptiſmalis ad omnes ſe extendit nationes, vt dictũ eſt: & ideò aqua piſcinæ ſanabat vnum: aqua baptiſmi ſanat omnes, qui volunt ad illam accedere, eaque ablui: *Hęc curationis virtus* (ſunt verba Cyrilli) *in vno terminabatur homine, quod ſignum*

Guido Carmelita ſup. quatuor vnum pag. 411

Chriſ. hom. 18. in Ioan.

S. Cyril. lib. 2. c. c. 125.

erat

erat, vtilitatem legis in solo Iudæorum genere terminatam, nec ad alios vnquam transgressam fuisse. Perperam igitur infert, & deducit aduersarius, eo mysterio, quo sanabatur vnus in piscina figurante baptismum, non aliud videri posse significari, nisi Christianis post baptismum perfectam, & consummatam salutem tam paucis obtingere, quasi è multis saluetur vnus. Neque ad hoc faciunt verba illa Isaiæ: *Congregabimini vnus, & vnus filij Israel,* loquitur enim ibi Propheta de Ierusalem deuastatione ab Assyrijs, vel à Tito Imperatore facienda, & consequenter de congregatione Iudæorum ad Christum, & Christianismum conuersa, de qua dicitur Ioannis 11. *Vt Filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum.* Dicens igitur Propheta, *Congregabimini vnus, & vnus*; vel vt ex Hebræo legitur, *Ad vnum vnus,* ideſt *vnus ad vnum,* nempè *sigillatim in vnum omnes colligemini:* fuit idem ac dicere, vt vult Adamus: *Quicumque estis veri Israelitæ, non carne, sed spiritu, singuli [esto pauci] tunc congregabimini ad Christum in Ecclesia.* Videat aduersarius, quid cōferre possunt hæc verba ad paucitatem saluandorum? Multò minus conferunt illa de Vidua in diebus Heliæ, & de leproso Naaman in diebus Elisæi. Volebat enim Christus assignare rationem, per quam non Nazaret, sed Capharnaum miraculis honorabat; & attulit pro ratione exempla Eliæ, & Elisei, qui prætulerunt alienigenis Israelitas eo, quod Vidua

Adam. ap. Cornel.

magni

magni fecerat Eliam, parumque olei, & farinæ, quod habebat ei dederat: & leprosus Naaman deuotioni Elisei addictus, ei ingentia munera obtulerat; id quod non fecerant ergà eos Israelitæ. Quasi vellet dicere: sicut Elias, & Eliseus solos alienigenas honorarunt, quia solum ab eis honorati fuere: ità & ego faueo, & miraculis meis honorifico Chapharnaitas, & non vos Nazarenos, quamuis conciues meos: quia illi me, vt Doctorem à Cælis missum audiunt, honorant, obsequuntur, mihique, & in me credunt, quod vos non facitis.

253 Denique ex illo Cant.6. potius infertur pluralitas, quam paucitas saluandorum. Tum quia Nyssenus, & Gregorius Magnus cũ alijs, per *Reginas* accipiunt animas, quæ ex vera charitate, & amore Deo seruiunt, & ad cæleste Regnum aspirant; & hæ sunt paucæ; per *Concubinas*, illas quę ex timore inferni, alteriusq; dãni, aut spe mercedis legem Dei seruant: & hæ sunt plures; per *Adolescentulas* tandem intelligit animas, quæ in fide sunt rudes, & in opere remissæ; & hæ sunt innumerabiles. Tum quia per Chrysostomum, Origen. Theod. Tres Anonymos, Iustum, & Ambros. *Reginæ*, idest animæ perfectæ sunt sexaginta, idest paucæ. *Concubinæ*, idest proficientes octoginta, idest plures; *Adolescentulæ*, idest incipientes, quarum non est numerus; animæ enim incipientes sunt plurimæ, & quasi innumerabiles. At verò *Vna est Columba*, idest paucissimæ animæ perfectissimæ

Gr.Nys. Gregor. Papa.

Chrys. Origen. Theod. Tres A. nonymi, Iustus, & Ambros.

ſimæ ſunt; ità, vt ex mille animabus ſit vix vna perfectiſsima, & ſingularis ſponſa Chriſti quæ ipſi ſoli intendat, ac tota quaſi in ipſum tranſeat. Ex quibus omnibus malè infert Aduerſarius è decem millibus fidelibus adultis ſaluari vix vnum; ſed debet inferre innumeros ex fidelibus incipientibus, & proficientibus ſaluari: quamuis pauciſſimi ſint, qui ſummum perfectionis gradum attingant, & longè pauciores, qui in ſtatu perfectiſſimo ſaluentur. Allatis expoſitionibus fauet Pſellus ſuper illa verba, *Vna eſt Columba mea* apud Theodoretum; qui ad cõfirmandam veritatem, quam propugnamus tres ſaluandorũ ordines diſtinguit. Primus eſt *filiorum* per Reginas: *Qui enim* (inquit) *à teneris vnguiculis ex toto corde Deum rerum omnium Auctorem optimum diligunt, & amore ipſius mundum, & quæ in mundo ſunt contẽnentes, Chriſto Verbo & Sponſo coniunguntur diuina gratia, filiorum ordinem obtinent*; Secundus *mercenariorum* per Concubinas. *Qui autem* (inquit) *Regni cęleſtis cupiditate adducti, vt eo potiantur, Chriſto diligenter inſeruiunt, in mercenariorum loco conſtituuntur*. Tertius *ſeruorum* per Adoleſcentulas. *At qui* (inquit) *peccatis omnibus obruti* [*vt ego infelix*] *cruciatuum, & ſuppliciorum formidine reſipiſcunt, & pœnitentiam agunt* [*quorum in numero vtique ipſe quoq; ſim per gratiam tuam, ò Chriſte, Verbũ Saluator*] *in ſeruorum, qui tamen ſalui fiunt, ordine collocantur*. Demum per Columbam, quę eſt vnica, & perfecta, intelligit Deiparam Virginem: vndè

vndè subdit: *Inter tot animas omnium hominum, qui saluantur, vt electa Columba est illa sola, quæ Christum genuit, Virgo Mater puella Maria, quæ puritate profectò Cherubim, & Seraphim antecellit.*

PARAGRAPHVS XVII.

In quo proponuntur argumenta ex Scripturę similitudinibus excerpta.

255 PRima similitudo sumitur ex Gen. 22. vbi Abrahæ dicitur: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cęli, & sicut arenam, quę est in littore maris.* In hoc expende, quod Abraham dicitur ad Rom. *Pater omnium credentium*: & sic semen ipsi promissum, sunt omnes credentes. Præterea assimilantur hi rebus valdè dissimilibus: nempè *stellis cęli, et arenę maris*: nempè electi stellis cæli, vt dicitur Dan. 12. reprobi autem *arenæ maris* huius seculi fluctibus agitatæ. Stellæ autem licet multæ sint, & ex artificiosa quadam dispositione innumerabiles videantur, non transcendunt ea, quæ apparent numerum mille, & duarum supra viginti, vt Mathematici testantur. Hæ paucissimæ sunt respectu numeri arenarum, quæ per omnia littora non solū superficie tenus, sed etiam vsque ad profundum in quantitate adeò minima coaceruata, & conspissata cernuntur; & ideò dicitur loc. cit. specialiter de arena maris, *quæ præ multitudine numerari non potest.* Electi igitur in com-

Gen. 22. v. 17.

Ad Roman. 4.

Dan. 12

paratione reproborum sunt stellæ cæli in comparatione numeri arenæ maris. Est animaduersio Augustini, qui probans *paucos saluari*, nempè, *bonos Christianos, qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt*, subdit infrà, *sic etiam, vt de ipso Dei testamento dicam, quod factum est ad Abraham de semine eius, quod est Christus, multę sunt stellę, quas numerare non possumus: quibus tam grande cęlum vndique circumfulget: & paucas dicimus in comparatione arenę maris. Fortè stellę signauerunt spirituales Christianos: maris autem arena carnales.* Hinc colligitur paucitas electorũ etiam inter ipsosmet Christianos.

Aug. l. 3 con. Cresson. ca. 37. 3. Reg. 25.

256 Secunda similitudo sumitur 1. Reg. 25. vbi appellantur electi *fasciculus viuentium. Erit anima Domini mei* (Dauidis) *custodita, quasi in fasciculo viuentium. Inimicorum autem eius anima rotabitur* &c. vbi Glosa: *Pulcherrima comparatione statum iustorum, & reproborum discreuit*: quia scilicet, vt ibidem Lyranus, *sicut ramusculi in fasciculo ligantur, & in aqua ponuntur, & posteà transplantantur: sic iusti transplantantur in terra viuentium*; sed quod ad nostram rem facit, electi comparantur fasciculo, qui, vt notat Cornelius, *componitur ex floribus selectis, & paucis*: isque aptè significat paucitatem electorum inter fideles. Quippè mundus totus constans ex fidelibus, & infidelibus veluti quidem ager est Luc. 6. iuxtà expositionem Gregorij hom. 15. in Euang. Ecclesia fideliũ est quasi

Cornel. in Amos 6.

hortus

hortus conclusus ex Cant. 4. Electi in tota amplitudine, & mundi totius, & Ecclesiæ sunt veluti collectus ex hoc horto fasciculus. Quia, vt notat Eusebius lib. 1. in 1. Reg. *Sicut fasciculus vinculis colligatur: ita omnis cœtus Sanctorum eadem fide, spe, & charitate constringitur. Et sicut facillimum est fasciculum conseruare: ita electos omnes ab initio vsque ad finem seculi Deus sine vllo labore tuetur.* Electi ab initio vsque ad finem seculi non sunt, nisi florum fasciculus, ad significandam paucitatem electorũ. Ideò etiam dicitur Amos 9. *Qui ædificat in cœlo ascēsionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit.* In quem locum Cornelius, *fasciculus* (inquit) *hic est Sanctorum colligatus vinculo charitatis in terra, vinculo prædestinationis in mente Dei.* Quod autem hoc dicatur ad ostendendam electorum paucitatem, apertè Hieronymus in eum locum; *Ille* (inquit) *intelligitur, qui quotidiè fasciculum suum fundauit super terram, de quo in Euangelio loquitur, Nolite timere pusillus [illegible].* Idem est ex Hieronymo, *pusillus grex, & fasciculus*, sicut igitur, vt notat Beda, *pusillum gregem electorum nominat ob comparationem maioris numeri reproborum:* Ità etiam hic fasciculus ob selectionem, & paucitatem electorum; contrà verò reprobi sarmentis inutilibus comparantur, qui plurimi ex vitibus amputantur. Ideò dicitur Ioan. 15. *Si quis in me non manserit mittetur foras sicut palmes, et arescet, et in ignem mittent, et ardet.* Quod si aliquando reprobi assimilantur fasciculo,

Euseb. lib. 1. in 1. Reg.

Amos 9.

Cornel.

Hieron. Beda l. 4. c. 54. in Lucam.

pluribus fasciculis, non vnico assimilantur, comburendis in gehenna, iuxtà illud Matth. 13. *Colligite primum zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum*. Vnicus viuentium fasciculus custodiendus in manu Domini ex loco citato: Sarmentorũ plurimi colligendi ad comburendum, in quo etiam reproborũ pluralitas demonstratur. Quod innuit Hugo Cardinalis in eum locum Matth. vbi *fascisculus* (inquit) *electorum animę custoditę in fasciculo: fasciculi reproborum, colligite ea in fasciculos fasciculi culpę; solue fasciculos deprimentes;* Cum contrà, electi sint tanquam vnus *viuentium fasciculus custodiendus in manu Domini*. Electi igitur fascieulus ex agro Ecclesiæ, satis demonstrat paucitatem eorum inter fideles.

Mat. 13

Hugo Card.

157 Tertia similitudo sumitur ex Cant. 2. vbi electi assimilantur lilio, reprobi spinis, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter mulieres*, siuè, vt legit Augustinus, *inter filias*. Dicuntur electi esse inter reprobos, tanquam vnum lilium inter multas spinas. Non satis fuit comparari electos omnes florum fasciculo, nisi etiam (ad ostendendam paucitatem) assimilarentur vni lilio inter spinas quamplurimas. Vt autem appareat sermonem esse de electis in comparatione ad reprobos, non quoscumque, sed fideles dicuntur esse sicut lilium inter spinas, sic ipsi inter filias, idest inter animas Christianas; quæ quamuis reprobæ, filiæ dici possunt per communicationem Sacramentorum. Est exposi-

Cant. 2.

positio Augustini, qui loquens de bonorum paucitate per malorum plurium comparationem: *Est* (inquit) *in Canticis Canticorum, quod de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit, sicut lilio in medio spinarum: ita proxima mea in medio filiarum. Vndè appellat spinas? propter malignitatem morum. Vndè filias vocat? propter communionem Sacramentorum.* Dicit autem esse electos inter hos reprobos tanquam vnum lilium inter plurimas spinas: vndè infrà colligit paucitatem prædestinatotum inter fideles, vt patebit ex verbis, quæ dabuntur infrà.

August. lib. de vnit. Eccles. c. 14.

258 Quarta similitudo sumitur ex Matt. 3. vbi electi comparantur tritico, reprobi paleis. *Permundabit Deus aream suam, et congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Loquitur de reprobis non quibuscumque, sed fidelibus. Tum quia desumuntur ex eadẽ area, quæ est Ecclesia: tum quia palea habet eandem radicem cum tritico. Ideò August. *Illi* (inquit) *qui in eadem fide mali sunt, palea potius, quam zizania reputantur. Quia palea fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem.* Excludit etiã ipsos hæreticos quos vult non venire nomine paleæ, sed zizaniæ: *quia societate solius nominis Christiani in hoc mundo bonis permiscentur.* Inter fideles igitur catholicos electi tritico assimilantur, reprobi paleis, quæ in comparatione frumenti sunt longè plures; ita vt in area vix grana appareant inter pa-

Mat. 3.

August. lib. 9. in Euang. in Mat. cap. 11.

paleas. Est animaduersio Augustini, qui in ea verba, *Suscepimus Deus misericordiã tuam in medio populi tui* (ita enim ipse legit, vbi vulgata *templi tui*) *populus* (inquit) *Dei censentur omnes, qui portant Sacramenta eius: sed non omnes pertinent ad misericordiam eius*. (non omnes pertinent ad misericordiã electorum) *omnes quippè Sacramentum baptismi accipientes Christiani vocantur: sed non omnes dignè illo Sacramento viuunt. Tamen propter speciem pietatis in populo Dei nominantur: quomodo ad aream, quando trituratur, non solum grana, sed etiam palea pertinet. Numquid, & ad horreum pertinebit?* Et infrà: *Non possumus negare, paleas esse malos, et tam plures, vt inter eos prorsus boni non appareant; quomodo non apparent grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare, quod sola sit palea*. Vndè patet ex Augustino reprobos fideles, de quibus expresè loquitur, esse respectu electorum veluti quamplurimas paleas respectu paucorum frumenti granorum: itaut possit putari ferè omnes esse reprobos: sicut *quisquis aream videt, potest putare, quod sola sit palea*.

Aug. in ps. 47.

259 Quinta similitudo sumitur ex Matth. 13. vbi dicitur: *Verbi Dei semen, aliud cecidisse secus viam, aliud in petram, aliud in spinas, aliud in terram bonam*. Quatuor ponuntur loca, in quæ semen verbi Dei cecidit. Tria dicuntur recipere semen frustrà; & sic pertinent ad reprobos; vna tantummodò ex his quatuor dicitur *terra bona*. Quæ, vt

Mat. 13

notat

notat ex Remigio Sanctus Thomas in catena: *Est fidelis conscientia electorum, quæ verbum Dei cum gaudio, desiderio, & cordis deuotione suscipit: inter prospera, & aduersa similiter construat, & ad finem perducit.* Ecce prædestinationem ad finem perductam in vnica terra bonorum inter plures malas. In quo obseruandum est sermonem esse de terris, in quas iactum est semen Euangelij. Ex his inter quatuor terra bona, non nisi vna. Et hæc, *quę fructum affert in patientia*: id est, vt explicat Gregorius per multas tribulationes, & passiones: *Terra bona* (inquit) *fructus per patientiam reddit. Cum calcibus truditur oliua, concussionibus expromitur. Per trituram grana separantur à paleis, & ad horreum purgata perueniunt.* Hoc paucis inter fideles contingere experientia demonstrat: vt iure triplex à Christo assignetur terra mala, & reproba; vnica terra bona, & electa.

S. Rem. S.Th. in cat.

Gregor. hom. 15. in Euāg.

260 Sexta similitudo sumitur ex 2. ad Tim. 2. vbi assimilantur electi vasis aureis, & argenteis; reprobi vasis ligneis, & fictilibus: *Nonnè* (inquit) *in magna domo non solum sunt vasa aurea, et argentea: sed et lignea, et fictilia: et quędam quidem in honorem, quędam in contumeliam?* Quod apertè electis, & reprobis applicat ad Rom. 9. appellans electos *vasa misericordię*, reprobos *vasa irę*. Sicut igitur ex eadem terra, quæ producit cretam, & aurum, fiunt vasa cretacea, & vasa aurea: sed multò plura cretacea, quam aurea: quæ in compara-

2. ad Timoth. 2.

Ad Roman. 9.

tione

tione vaſorum fictilium perpauca ſunt, & ex ipſa paucitate habentur in pretio: ità ex eadem terra humanæ naturæ, *quę de terra eſt, & terrena* 1. ad Corinth. 15. Multa ſunt vaſa teſtacea, ideſt reprobi: & pauca vaſa aurea, ideſt electi. Quod quia fit dependenter à propria cuiuſque voluntate bona, vel mala, ideò in hunc locum Chryſoſtomus: *Non naturę*, inquit, *carnaliſque neceſsitatis eſt aureum eſſe, vel fictile: ſed tantummodò noſtræ voluntatis*. Hęc eadem ſimilitudo affertur loc. ſupra cit. Eſdræ 4. cap. 8. illius auctoritatis, de qua tunc diximus, vbi: *Dicam* (inquit Angelus) *coram te ſimilitudinem. Quomodò interrogabis terram, et dicet tibi, quoniam dabit terram multum magis vndè fiat fictile, paruum autem puluerem, vndè aurum fit: ſic et ætas præſentis ſeculi: multi quidem creati ſunt: pauci autem ſaluabuntur*. Ex his apparet quocumque nos verterimus ad Scripturas, ſiue noui, ſiue veteris Teſtamenti, ſiue ad verba, ſiue ad figuras, ſemper in ijs terribile neſcio quid modò exprimi, modò adumbrari de paucitate electorum. Vt meritò de hac poſſit enunciari, quod in alia materia ſcriptū reliquit Sanctus Leo: *Nihil eſſe hoc firmius, quod noui, et veteris teſtamenti concinit tuba: dum cum Euangelica doctrina antiquarum proteſtationum inſtrumenta concurrunt*.

1. ad Corint. 15.

Chryſ. hic.

4. Eſdr. cap. 8.

PARA-

PARAGRAPHVS XVIII.

In quo ad adductas similitudines respondetur.

261 AD primam similitudinem respondeo hoc argumentum esse omninò solutum ex ijs quæ diximus §. 3. nu. 79. 80. 81. vbi probauimus etiam arenam maris figurare numerum innumerabilem prædestinatorum; Augustinum autem quando dixit arenam maris significare reprobos, loquutum esse dubitatiuè: quod si assertiuè loquutum esse aduersarius contenderit, intelligendus est non de fidelibus inter se comparatis: sed de Christianis promiscuè sumptis: & ideò conclusit dicens: *Fortè stellę signauerunt spirituales Christianos: maris autem arena carnales*; vbi non dixit *Fideles*, sed *Christianos*. Quod etiam paulò superius dixerat: *Paucos saluari*, nempè *bonos Christianos, qui per se ipsos multi sunt*. *Christianos* igitur dixit, & non *fideles*: vt ostenderet paucitatem saluandorum applicandam esse non fidelibus adultis, de quibus in præsenti loquimur: sed Christianis promiscuis, de quibus loquuti sumus in quęstione præcedenti, & diximus plures ex illis damnari, quam saluari.

Stellæ cæli, & arena maris figurant prædestinatos

262 Ad secundam similitudinem respondeo, solidam esse doctrinam, quam ex scripturis, & Patribus deducit aduersarius: imò vtilem ad pro-

 ban-

bandam paucitatem electorum, vel in comparatione omnium omninò hominum tam fidelium, quam infidelium: vel in comparatione Christianorum promiscuè sumptorum, scilicet fidelium cum apostatis, schismaticis, & hæreticis commixtorum: parum tamen sibi proficua est, imò prorsus inutilis ad probandam paucitatem electorum inter ipsos verè fideles. Concedo igitur *fasciculum viuentium* esse cathalogū, vel potius cætum, & concilium Sanctorum Dei amicorum, & electorum ad vitam æternam: & viceuersa *fasciculum morientium* esse cathalogum ad mortem sempiternam damnatorum, de quibus Isaias cap. 24. 22. ait: *Congregabuntur in cōgregatione vnius fascis in lacum.* Concedo etiam lapidem in funda rotatum esse figuram impiorum, & reproborum in gehennam, & in mortem æternam eijciendorum. Cuius rationem magno cum acumine Anselmus assignat his verbis: *Pulcherrima comparatione statum iustorum, ac reproborum sorte discernit. Horum quippe animas, idest iustorum appellat viuentes: vt reproborum è contrario spiritali morte præoccupatas insinuet. Hos fasciculo: illos lapidi fundæ assimilat: fasciculus enim constringitur, vt integer maneat, & conseruetur: lapis in funda expeditus ponitur, vt abijciatur; sic in hoc seculo electi pressuris coangustantur: vt his admoniti arctius ad inuicem mutua charitate connectantur, & coadunati ad inuicem, manu sui Redemptoris in perpetuum conseruentur. At verò reprobi quantò latius in*

Isa. c. 24.

Ansel.

hac

hac vita voluptatibus proprijs, velut liberi dimittuntur; tantò longius in futuro à diuinæ visionis gloria proijciuntur: vt de eis meritò dicatur, & quidem ipsi de manu tua expulsi sunt. Nec omittendas dijudico alias rationes (præter illam ab aduersario in argumento adductam) quas assignat Eucherius. Vna est, quia *sicut fasciculus florum in manu ad oblectationem gestatur: ita electos omnes Deus in manu sua gestat, & virtutum odore, qui ex illis afflatur, continuò delectatur iuxtà illud sapientiæ, Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Altera, quia sicut fasciculus non nisi ex certis, ijsque lectissimis floribus conficitur: ità prædestinatorum numerus ex certis, ijsque charitatis, virtutumque cęterarum odore, ac suauitate redolentibus existit. Addit aliam rationem Cornelius, nempè fasciculum viuentium esse librum vitæ, & notare ordinem gradusque gloriæ Sanctorum, ait enim: *Sicut in fasce flos vnus alteri ordinatè inseritur, & vnus præ alio emicat: sic & in cęlo Sancti pro meritis suum tenent locum, & ordinem: vnusque præ alio dotibus gratię, & glorię resplendet: Stella enim à stella differt in claritate.* Varias has expositiones non immeritò adduximus, vt videat aduersarius, nullum præfatorum expositorum excogitasse, ex qualitate fasciculi inferre paucitatem saluandorũ inter fideles adultos: ne quidem ipse Cornelius, qui stat potius pro aduersarij sententia, quam pro nostra. Concessis igitur omnibus, quæ adducit in antecedenti, nego cõsequentiam, scilicet electorũ

Duæ aliæ rationes eiusdem rei assignatæ ab Eucherio.

fasciculum ex agro Ecclesiæ satis demonstrare paucitatem eorum inter fideles: nam quamuis mundus figuretur in agro: Ecclesia verò in horto: & electi ab initio vsque ad finem seculi non sint, nisi florum fasciculus; hoc tamen non est ad significandam paucitatem electorum relatiuè ad reprobos fideles dumtaxat: sed etiam ad signandam electorum paucitatem relatiuè ad fideles, & infideles, ex quibus totus mũdus constat: vel ad summũ relatiuè ad Christianos promiscuos, qui simul in horto Ecclesiæ videntur collecti. Neq; aliquid plus deducitur ab auctoritate Hieronymi, qui fasciculum viuentium comparat *pusillo gregi*: prædestinati enim sunt *pusillus grex* in comparatione pluralitatis reproborum, non relatiuè ad verè fideles; sed ad fideles, & infideles, seu veros, & falsos Christianos, scilicet hæreticos, apostatas, chismaticos, &c. hi enim propter pluralitatem colliguntur, non in fasciculũ, sed in fasciculos ad comburendum. Vndè ex eo, quod electi sunt fasciculus ex agro, satis demonstratur eorum paucitas inter omnes omninò homines, fideles scilicet, & infideles, seu inter Christianos promiscuos, scilicet catholicos, & hæreticos &c.

263 Ad tertiã similitudinem respondeo hanc difficultatem manere solutam ex ijs, quæ diximus qu.2.§.1.num.54. Ibi enim ostendimus, pro lilio accipi Ecclesiam electorum, & per spinas cętum reproborum, non in comparatione fidelium inter se;

Videque dicta sunt q.2 §.1.n.54

ſe, ſed reſpectiuè ad Chriſtianos promiſcuos,inter quos connumerantur etiam hæretici, ſchiſmatici, & apoſtatæ per ſpinas ſignificati : quia *ſpinæ, & filię,* (vt diximus cum Ruperto Abbate) *blaſphemię ſunt Iudęorum : ſectę ſunt hęreticorum*. Præterquam quod ipſemet Auguſtinus ab aduerſario adductus eſt potius pro nobis,quam contra nos:quia non dixit *omnis fidelis* agnoſcit : ſed *omnis Chriſtianus,* vt oſtenderet, ſe per ſpinas intelligere, non verè fideles tantum, ſed Chriſtianos promiſcuos: quod clarius patebit ex mox ſequentibus.

264 Ad quartam reſpondeo argumentũ hoc manere ſolutum ex ijs, quæ diximus q.2.§.1. n.60. vbi eadem ſimilitudine vſi ſumus ad comprobandam noſtram concluſionem. Nego igitur, quod ibi Chriſtus loquatur de reprobis verè fidelibus dumtaxat; loquitur enim de Chriſtianis promiſcuis, reſpectiuè ad quos electi comparantur tritico: reprobi verò paleis, quæ in comparatione tritici longè plures ſunt;porrò ex Chriſtianis promiſcuis plures eſſe damnandos, pauciores ſaluandos probauimus iam per totam quæſtionem ſecundam. Et ipſe Auguſtinus ab aduerſario in argumento adductus nobis mirabiliter fauet: volens enim oſtendere ſe non loqui de ſolis verè fidelibus ex induſtria dixit: *Omnes quidem Sacramentum Baptiſmi accipientes Chriſtiani vocantur : ſed non omnes dignè illo Sacramento viuunt : Tamen propter ſpeciem pietatis in populo Dei nominantur : quomodo ad*

Videquę diximus ibid.nu. 60.

Auguſt. adductus expreſsè nobis fauet.

aream

aream quando trituratur, non solum grana, sed etiam palea pertinet. Vbi valdè notandum est Augustinũ non dixisse, quod omnes, qui baptismum accipiũt, vocantur *fideles*, sed *Christiani*: quandoquidẽ etiam apostatæ, schismatici, & hæretici baptismum accipiunt, & Christiani (non fideles) vocantur: & ideò subdit: *sed non omnes dignè illo Sacramẽto vtuntur*; quia multi ex ipsis fidelibus, quia malè viuunt, & peccant, nec de peccatis resipiscunt, illo abutuntur; peius autem faciũt schismatici, qui Ecclesiæ vnitatẽ scindentes, eius capiti renuunt obedire: nec non apostatæ ab omnibus sanctæ fidei articulis, ac hæretici ab aliquibus deficientes, qui non solum abutuntur baptismo; sed ei abrenunciantes catholicam fidem contemnunt, & conculcant. Censentur tamen, & nominantur in *populo Dei*, vel secundum propriam existimationem, quia fideles se esse dicunt: vel propter speciem pietatis, quam effingunt, quaque apparent, sed non sunt in medio populi Dei verè fideles.

Hæc similitudo se extẽdit ad vniuersam hominum massam vt patet ex dictis num. 25 & 60.

Adde similitudinem hanc non collimare solum ad Christianos promiscuos; sed etiam ad reprobos ex omnibus omninò hominibus: dicitur enim Deum esse permũdaturum aream suam, idest vniuersum Orbem, qui suus est, ventilabro, idest iudicio finali (vt exponunt communiter interpretes) sed in finali iudicio ex tota hominum massa, segregabit oues ab hædis, bonos à malis, & prædestinatos à reprobis. Ergo similitudo se extendit

ad

ad omnes omninò homines (nam omnes omninò homines iudicabuntur) & consequenter ad reprobos fideles, & infideles, Ethnicos, & Iudæos, & malos, & falsos Christianos, scilicet apostatas, hęreticos, & schismaticos: qui omnes erunt paleæ inextinguibili igni comburendæ. Falsum est igitur (vt liquidò constat) id quod aduersarius asserit, scilicet nõ loqui hic Christum de reprobis quibuscumque, sed de fidelibus: ipso enim sole clarius est, loqui de reprobis fidelibus, & infidelibus; & ideò electos saluandos assimilat tritico: reprobos verò paleis; quia paleæ longè plures sunt tritico: & damnandi ex tota hominum massa incomparabiliter plures sunt, quam saluandi. Vide quę diximus q. 1. §. 3. num. 25. & qu. 2. §. 1. num. 60. vbi hanc eamdem similitudinem adduximus ad nostras conclusiones probandas.

265 Ad quintam respondeo concedendo illa tria loca, quæ semen Verbi Dei frustrà receperũt, pertinere ad reprobos: sed nego pertinere ad reprobos comparatiuè ad solos fideles inter se: pertinent enim ad reprobos respectiuè ad fideles malos cum infidelibus, & hæreticis immixtos. Vide quæ diximus q. 2. §. 1. num. 61. vbi probauimus cum Guidone Episcopo Carmelita, per *Viam* intelligi infideles incredulos: per *Petram* hæreticos: per *Terram* spinis obsitam fideles malos: & ideò ex quatuor terris, in quas semen verbi Dei cecidit, tres, in quibus figurãtur reprobi frustraneè semen

rece-

tiſmi, veraq; Eccleſiæ Sacramenta adminiſtrant, & ab Eccleſia, quaſi aliquo modo ſubditi, puniri poſſunt. Vel quia antequam per publicam ſeparationem, & obſtinationem ab Eccleſia ſe ſegregent, cum fidelibus in Eccleſia viuunt, dignitatemque, & iuriſdictionem, quam in Eccleſia habuerunt, ſeruant. Igitur in hoc ſenſu concedimus, ex eadem terra humanæ naturæ multa fieri vaſa teſtacea, ideſt reprobos, & pauca vaſa aurea, & argentea ideſt electos: quia ex Chriſtianis promiſcuè ſumptis plures ſunt, qui damnantur, quam qui ſaluantur; licet ex verè fidelibus pauciores ſint, qui damnentur, & plures, qui ſaluentur. Nam quamuis ex corruptione naturæ originali labe infectæ etiam ipſi fideles ſint ad malum proniores, quam ad bonum: nihilominus, quia maioribus, & efficacioribus ſuffulciuntur auxilijs, tum per merita paſſionis, & mortis Chriſti ſibi per Sacramenta ſæpius in vita, vel ſaltem in vltima vitæ linea applicata: tum per interceſſiones continuas Deiparæ Virginis, cuius deuotioni, & obſequio maior fidelium pars mancipatur, à Deo impetratis; Ideò plerique fidelium, tanquam vaſa aurea, & argentea in honorē diuinę miſericordię, à morte, & inferno, alijſque miſerijs corporis, & animæ liberati, æternam beatitudinem aſſequuntur. Vide quæ dicta ſunt q.1.§.1.num.13. & num.26. vbi ad probandas noſtras concluſiones eamdem ſimilitudinem adduximus, & locum Eſdræ in eodem

sensu explicauimus. Hinc aduersarius animaduertere potest, quod quando Scripturæ verba, seu figuræ aliquid terribile, & horrendum de paucitate electorum, vel exprimunt, vel adumbrant, debent intelligi de paucitate saluandorum, vel in ordine ad omnes omninò homines iuxtà ea, quæ dicta sunt per totam quæstionem primam: vel respectiuè ad Christianos promiscuè sumptos catholicos scilicet, ac hæreticos, apostatas, & schismaticos, de quibus loquuti sumus quæst. 2. per totam. Cęterúm loquendo (vt de facto loquimur in præsenti quæstione) de solis fidelibus adultis inter se comparatis, ex eis plures esse saluandos, pauciores damnandos, concors cum veteris, tum noui testamenti concinit tuba: & antiquarum instrumenta protestationum cum Euangelica doctrina concurrunt.

PARAGRAHVS XIX.

In quo proponuntur argumenta Recupiti eruta ex Sanctis Patribus.

268 PRobatur idem secundò ex Patribus, qui consonant scripturis. Præter testimonia earum occasione educta, & alia rationibus interserenda.

Origen. in c 22. Matth. tract. 20

Primum testimonium sit Origenis: *Si quis consideret* (inquit) *multitudinem hominum, qui in Eccle-*

siis

sijs congregantur: & discusserint quanti sunt, qui versantur disciplinatè, et reformantur nouitate sensus: quãti autem negligentissimè conuersantes conformantur huic seculo, videbit, quod verus est sermo Domini, multi vocati, pauci autem electi. Apertè loquitur de fidelibus adultis, qui congregantur in Ecclesijs; & ex his dicit paucos esse prædestinatos comparatiuè ad multitudinem aliorum, *qui negligentissimè conuersantes* &c.

269 Secundum testimonium sit Chrysostomi homil.4. ad populum Antioch. *Quot* (inquit) *esse putatis in ciuitate nostra, qui salui fiunt? Infestum quidem est, quod dicturus sum; dicam tamen. Non possunt in tot millibus centum inueniri, qui saluantur, quin & de ijs dubito*. Testimonium hoc est valdè terribile, si expendatur, Antiochiam ætate Chrysostomi fuisse inter Asiæ vrbes ciuibus frequentissimam. Tres enim ponuntur Vrbes totius Romani Imperij maximæ, Roma, Alexandria, Antiochia. At Romæ censa esse ciuium capita quadragies centena millia tradit Eusebius in Chronico. Qui etiã testatur, tricies centena hominum millia fuisse Hierosolymis, cum obsessa fuit à Tito; vt ex hoc appareat Antiochiæ amplitudo, quæ tertia numerabatur post Romam, vbi minimum contineri oportebat, etiam post aliquod decrementũ, quinquaginta, aut sexcenta hominum millia, qui tunc temporis Christiani omnes erant, immò *primum cognominati sunt Antiochiæ discipuli Christiani*. Act. 11.

Chrys. homil. 4 ad pop. Antioc

Euseb. in chro.

Act. ca.

Hæc ab ipſo Petro Apoſtolo, qui ibi primam ſedem per aliquot annos poſuit, ac poſtmodum à S. Ignatio Martyre religionis, ac pietatis lac ſuxerat, fide vſque ad Chryſoſtomi ætatem incorrupta. In hac ergo Vrbe affirmat Chriſoſtomus è quingentis, aut ſexcentis millibus hominum ſaluari vix centum homines, quod eſt dicere, quingenta, aut ſexcenta nouem hominum millia, & nongenta damnari; immò de illis centum, qui ſuperſunt, an ſaluentur addubitari. Quod admirabile, & tremendum omninò eſt: etiam ſi demus eam vrbém non tranſcendiſſe capita ciuium centum millia; ità vt è ſingulis millibus ſaluetur vix vnus, de quo dici poſſit iuxtà illlud Cant. 5. *Electus ex millibus*. Reſpõdet Granadus, hæc à Chryſoſtomo dicta eſſe hyperbolicè ad deterrẽdos homines à peccatis. Sed contrà eſt primò: quia hyperbolæ huiuſmodi non debent fieri in doctrinalibus, qualis eſt ſententia de paucitate, vel multitudine prædeſtinatorum: aliàs multa alia à Patribus tradita reduci poſſent ad hyperbolas. Secundo hæc hyperbole prolata per modum ſimplicis veritatis, ſi Chryſoſtomus aliter ſenſiſſet, aliter dixiſſet, continuiſſet mendacium: quod indignũ eſt ore illo aureo, nonniſi aureæ veritatis Magiſtro. Quippè non poteſt mendacium ex natura ſua illicitum licitari ex quocumque bono fine, etiam ſi ex eo penderet ſalus totius Orbis. Neque enim Deus ad conuertendos peccatores eget noſtris

Granadus.

men-

mendacijs: neque debet præsumi in re tam graui errasse eos, quos dedit Deus Eccclesiæ suæ Doctores. Tertiò denique etiam dato hoc fuisse à Chrysostomo exaggeratè dictum, quod sint centũ electi, præ quingentis millibus, aut minimum, pro centum millibus reprobis: non potest tamen eò vsque excurrere exaggeratio, vt saltẽ diminuendo dictum Chrysostomi vsq; ad partem decimam, non sit eius iudicio vnus pro centum; quod ipsum esset admittere inter fideles minimã partem electorum respectu multi maioris numeri reproborum.

270 Tertium testimonium est Ambrosij, qui: *Facilius* (inquit) *inueni, qui innocentiam seruauerit, quam qui congruè pœnitentiam egerit.* Vndè sic arguo, inter adultos fideles non saluantur, nisi aut innocentes, qui numquam mortaliter peccauerũt: aut pænitentes, qui pænitentiam congruè egerunt post peccatum. Sed certum est inter fideles paucissimos reperiri planè innocentes, ità vt dici possit: *Beatus vir, qui inuentus est sine macula: quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia &c.* Eccl. 31. ac si diceret miraculo indigitari posset inter mille. Sed ex Ambrosio, pauciores repeiuntur congruè pænitentes. Ergo inter adultos fideles ex Ambrosio, collecto numero innocentiũ, qui sunt pauciores, non saluantur nisi paucissimi. Cõfirmatur ex eodem ibidem, vbi explicans, quid sit post peccatum pænitentiam verè, & non fictè

Ambr. lib. 2. de pænit. c. 10.

age-

agere: *An (inquit) quisquam illam pænitentiam putat, vbi acquirendæ ambitio dignitatis, vbi vini effusio, vbi ipsius copulæ coniugalis vsus? Renunciandum est seculo: somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat: interpellandus est gemitibus, interrumpendus suspirijs sequestrandus orationibus. Viuendum ità, vt vitali huic moriamur vsui: se ipsum sibi homo abneget, totusque mutetur.* Hæc Ambrosius. Cui consonant Patres alij, Ephrem, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius supra citati tract. 1. cap. 5. vbi de pænitentia vera, & fructuosa: quæ relegi poterunt, vt videatur, quod requirant Patres ad hoc, vt quis saluetur per pænitentiam. Cum igitur inter adultos fideles innocentia reperiatur in paucissimis: & salus non sit nisi per innocentiam, aut per pænitentiam: & vera pænitentia iuxtà Ambrosium in paucioribus sit, quam innocentia, manifestè sequitur inter adultos fideles saluari perpaucos.

Ephrem Chrisos. Hieron. August. Gregor.

271 Quartum testimonium sit August. lib. 3. contra Crescon. vbi: *Solue*, inquit, *quæstionem, quomodo ipse Dominus dicit, quia arcta, & angusta est via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam. Et idem ipse alibi dicit, multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham* &c. Et infrà. *Quomodo ijdem sunt pauci, qui multi? Neque vnum horum est verum, alterum falsum: cum sit vtrumque diuina veritate prolatum, nisi quia ijdem ipsi boni, verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt in*

August. l. 3. con. Cresc. c. 66.

com-

comparatione malorum falſorumque (Chriſtianorum) *ijdem pauci ſunt*. Expreſsè fit comparatio non inter omnes homines, ſed inter Chriſtianos bonos, & malos, & dicitur bonos, qui ſaluantur, eſſe multos abſolutè: paucos comparatiuè, reſpectu malorum, qui non ſaluantur.

272 Quintum teſtimonium ſit eiuſdem ſerm. 32. de verbis Domini, vbi explicans illa verba Lucæ 13. *Domine ſi pauci ſunt, qui ſaluantur? Dominus* (inquit) *ad hoc quid? non ait non pauci, ſed multi ſunt, qui ſaluantur, non hoc dixit; ſed quid dixit? Contendite intrare per anguſtam portam. Quando ergo audis pauci ſunt, qui ſaluantur confirmauit Dominus, quod audiuit dicens: Per anguſtam portam pauci intrant. Alio loco ipſe ait, arcta eſt via, quę ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui ingrediuntur per illam. Quid gaudemus ad multitudines? audite me: pauci: Scio, quia multi auditis, & pauci obauditis, ideſt obeditis*. Ecce comparationem facit inter ipſos fideles adultos, qui eum audiebant. Quare, & ſubdit: *Aream video, grana non video: & vix videntur grana, quando area trituratur* (reſpectu ſcilicet multitudinis palearum, quæ excernuntur) *ſed futurum eſt, vt ventiletur: Pauci ergo, qui ſaluàntur, in comparatione multorum periturorum*. Nihil clarius: cum loquatur de ijs fidelibus, quos videbat in eadem Eccleſia, tanquam in eadem area.

Luc. 13.

Auguſt. ſerm. 32 de verb. Dom.

273 Sextum teſtimonium ſit eiuſdem Auguſtini in Pſal. 47. vbi cum dixiſſet ex Cant. 1. *Sicut*

lilium

Aug. in Ps. 47. Cant. 2. *lilium in medio ſpinarum, ità amica mea in medio filiarum*; ideſt inter illos, qui Sacramenta habent, & bonos mores non habent [vt ex eodem explicauimus ſuprà] mouens hanc quæſtionem in terminis, vtrum inter fideles plures ſint electi, quam reprobi: *Iam* (inquit) *hinc occurrit vnicuique cogitanti. Iſte populus, qui in medio populi Dei ſuſcipit miſericordiam* [ideſt qui ſunt miſericorditer electi ex toto populo Chriſtiano] *quantum numerum habeat?* Ecce quæſitum, audi reſponſionem. *Quam pauci ſunt, uix inuenitur aliquis*. Tunc obijcit ſibi ex ore id negantium: *Illis ne contentus Deus erit, & perdet tantam multitudinem? Dicunt hoc, qui ſibi promittunt hoc, quod à Deo promittente non audierunt*. Reſpondet obiectioni, & probat, quod dixerat, *Vix inuenitur aliquis* ex paucitate obſeruantium præcepta Dei: *Quot ſunt illi, qui uidentur obſeruare pręcepta Dei? Vix inuenitur unus, uel duo, uel paucisſimi. Ipſos ſolos Deus liberaturus eſt, & cęteros damnaturus?* [ecce alia obiectio] *abſit*, inquiunt, *cum uenerit, & uidebit tantam multitudinem ad ſiniſtram miſerebitur, & indulgentiam dabit*. [Refellit obiectionem] *Hoc planè etiam ſerpens ille promiſit primo homini. Nam minatus Deus erat mortem, ſi guſtaret: ille autem, abſit*, inquit, *non morte moriemini*: ac ſi diceret: ſimilis ſuggeſtio ſerpentis eſt, non damnabimini. Hæc ad dicipiendos homines ſerpentina vox eſt. Ideoque infrà concludit hæc argumenta, quæ multitudinem electorum ſuadent præ reprobis, tanquã ſug-

ſuggeſtiones diaboli reijciendas. *Ergo* (inquit) *non audiamus tales voces: nec putemus paucos eſſe iſtos* [ideſt ità paucos, ſicut dixerat, *vnus, vel duo*] *multi ſunt: ſed inter plures latent. Non poſſumus enim negare plures eße malos: vt inter eos prorſus non appareant*. Teſtimonium hoc Auguſtini alieno loco in Pſalmorum explicatione prolatum, non ſine ſpeciali Dei prouidentia vltrò in oculos meos incurrit dum hæc ſcriberem. Neque vllam patitur ſolutionem: cum expreſsè quæſtionem moueat de paucitate ſaluandorum inter fideles? & eamdem probet non ex infidelitate multorum, ſed ex paucitate eorum, qui præcepta non ſeruant inter eoſdem. Vndè concludit, ità *malos plures eße, vt inter eos boni prorſus non appareant*. Malos autem, & bonos intelligit finaliter inuentos malos, vel bonos: cum quæſtionem mouerit de ijs, quos *Deus liberaturus eſt, & damnaturus*.

274 Septimum Teſtimonium eſt Gregorij in in ea verba: *Multi vocati, pauci electi. Ad fidem,* (inquit) *plures veniunt, & ad regnum cęleſte pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam feſtiuitatem, quam multi conuenimus, et Eccleſię parietes implemus. Et tamen quis ſcit, quàm pauci ſint, qui in illorum electorum grege numerentur?* Loquitur apertè inter fideles catholicos, qui conueniebant ad Eccleſiã: neque dubitat de paucitate, cum prius abſolutè dixiſſet, *ad fidẽ plures veniunt: pauci perducuntur ad regnum*: ſed tantũ dubitat, hæc paucitas quanta ſit.

Gregor. hom. 19. in Euãg.

275 Octauum Testimonium sit Sancti Nili Abbatis complectens testimonia plurium. Hic, vt refert Baronius tom. 10. Annal. ad annum Christi 978. cum à Theophilacto Calabriæ Metropolita argueretur, quod probaret reuelationem factã S. Simeoni Stylitæ, quod *ex decem millibus vix reperitur vna anima hoc tempore, quæ ad manum SS. Angelorum perueniat*, idest quæ saluetur, respondit: *Si demonstrauero vobis Magnum Basilium, & Chrysostomum, & Ephrem beatissimum, & Theodorum Studitam; sed & Apostolum ipsum; sed et sanctum Euangelium eadem sentientes, & dicentes: quid patiemini vos, qui inconsultè aperientes ora loquimini, et Spiritui sancto aduersamini?* Supponit hanc esse sententiam apud antiquos Patres, præsertim Græcos communem, eamque, & Apostolo, & Euangelio tribuit. Aduertendum in his non fuisse controuersiam de multitudine damnandorum, comprehendendo infideles: ad quod satis erat computare numerum infidelium: sed quæstionem fuisse de adultis fidelibus, quorum salus, vel damnatio incerta gignere poterat controuersiam de numero saluandorum, vel damnandorum. Patrum testimonijs, quorum plura interseruimus locis allatis è sacra Scriptura, addere possumus testimonia sanctorum virorum sibi aliquid ad hoc pertinens reuelatum esse testantium, ac præter reuelationem allatam S. Simeonis Stylitæ.

276 Nonum Testimonium sit cuiusdam Lingonen-

gonensis Episcopi, cui (vt refert Tritemius) Eremita quidam illi anteà notus apparuit, qui de statu suo ab Episcopo interrogatus: *Ea* (inquit) *hora, in qua ego migraui de corpore triginta hominum millia ex hac vita transierunt; è quibus Bernardus Clareuallensis Abbas vnà mecum euolauit ad Cœlos: tres alij ad Purgatorium missi sunt: cęteri omnes per sententiam iusti iudicij condemnati ad inferos cruciandi perpetuò descenderunt.*

Trit. in chro. ad an. 1160

277 Decimum testimomium sit cuiusdam pię fęminæ, quæ (vt habetur in Chronicis S. Francisci, & refert etiam S. Antoninus) inter concionatoris verba ex contritione mortua, paulò post reuiuiscens affirmauit, cum ipsa antè Tribunal Dei esset, adducta esse sexaginta animarũ millia, quæ in varijs mundi partibus simul è vita excesserunt: ex ijs tres tantum Purgatorio addictos, reliquos omnes ad ignem æternum damnatos. Vndè infert Cornelius Num. 14. vers. 30. quod *quàm densi hyeme flocci niuis cadunt ex aere, tam densa hominum turba quotidiè descendit ad tartara.* Animaduertendum est in supradictis, tum ætate Bernardi, tum Francisci in Europa tota, septentrione vix paucis hæreticis veluti asperso, Religionem Catholicam floruisse: in Græcia Imperatoribus Christianis nondum schismate infectis: & tamen in tanta amplitudine fidelium è tot millibus animarum vix saluatæ sunt vna vice quinque, alia tres. Vt non immeritò

Chron. S. Frã-cisci 2. p. l. 1. c. 30. S. Antonin. in chron. 3. p. hist. titulo 24. c. 9. §. 2.

meritò dici possit ad hanc paucitatem saluandorũ alludi Ieremiæ cap. 3. *Assumam vos vnum de Ciuitate, & duos de cognatione: & introducam vos in Sion*, idest in cælestem illam Syon, de qua dicitur Apocal. 14. *Vidi, ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo* &c. In hanc Sion Deus dicit è multis introducturum *se vnum, & duos*. Idcircò iure dicitur à Christo Matth. 7. *Angusta porta*. Angusta dicitur, quæ paucos capit: per quam simul non intrant nisi duo, vel tres: cum contrà in infernum simul intrent, iuxtà priorem reuelationem, triginta millia: iuxtà posteriorem, sexaginta. Ideo dicitur Isaiæ 5. *Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum sine termino*. Et Prou. 30. Inter *tria insaturabilia*, primum ponit *Infernum*, quia vt ait Hugo Victorinus lib. 4. de an. *Infernus est locus sine mensura, profundus sine fundo*: & ideò mirum non est, quod *aperiat os suum sine termino*. Quapropter cuidam viro sancto reuelatum traditur, inter paucos saluatos, eos qui intrà vnius horæ spatium ad inferos depluerant, *fuisse sine numero*. Quidam prẹterea Magister Parisiensis, vt refert Diez, cum apparuisset post obitum Parisiensi Episcopo, seque damnatum proclamasset irreuocabiliter in inferno, addidit, *tot animas iis diebus detrusas esse ad inferos, vt vix crederet tot homines in mundo esse posse*. Denique in hoc verificatur, quod dixit Angelus Esdræ lib. 4. cap. 8. *Hoc seculum fecit Altissimus propter*

Ierem. 3 *Apo. 14* *Matt. 7* *Isa. 5.* *Prou. 30* *Hugo Vict.* *Diez ser. 2. in festo S. M. ad Niues n. 3.* *4. Esd. 8*

pter

pter multos: futurum autem propter paucos. Multi quidem creati sunt: pauci autem saluabuntur. De huius libri auctoritate suprà.

PARAGRAPHVS XX.

In quo fit satis auctoritatibus Patrum.

278 ANtequam argumenta ex auctoritatibus PP. soluamus supponendum est primò tanquam certum ex D. Thom. Dupliciter posse aliquem scribi in libro vitæ, atque adeò ordinari in vitam æternam: liber enim vitæ nil aliud est, quam conscriptio ordinatorum in æternam vitam: hæc autem ordinatio. Vel est ex prædestinatione diuina: vel ex diuina gratia: qui ordinantur priori modo dicũtur simpliciter prædestinati, & consequenter in libro vitæ scripti: quia in eo ità sunt scripti, vt sint infallibiliter habituri vitam æternam in se ipsa, & sic nunquam de dicto libro deleri possunt. Hæc autem ordinatio est hominibus omninò ignota, & soli Deo peruia, vel cui Deus ipse voluerit propalare: ex quo fit, vt Patres, qui loquuti sunt de paucitate saluandorũ, nõ sint loquuti de tali ordinatione ad vitam æternam ex Dei prædestinatione, cuius nullam scientiam habebant: & respectiuè ad quam, canit Ecclesia: *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in æterna felicitate locandus.* Qui verò ordinantur ad

D. Tho. 1. p. q. 24 art. 3. in corp.

Ecclesia in collecta.

vitam

vitam æternam posteriori modo, nempè ex gratia diuina dicuntur prædestinati secundum quid: quia secundum quid, & non simpliciter sunt scripti in libro vitæ, atque adeò possunt de illo deleri: sunt enim in eo scripti, vt habituri vitam æternam, nõ in se ipsa, sed in sua causa, scilicet in gratia diuina, à qua possunt deficere, & de facto sæpius per peccatum mortale deficiunt; & tunc secundum præsentem iustitiam (vt Theologi loquuntur) sunt reprobi ad æternam mortem ordinati: sicuti si resipiscerent, denuò gratiam adipiscerentur, & essent secundum præsentem iustitiam prædestinati, & ad vitam æternam ordinati. De hac igitur ordinatione fidelium ad vitam æternam ex gratia potuerunt Patres, & possumus etiam nos ex coniecturis arguere paucitatem, vel multitudinem saluandorum, ordinatorum ad vitam æternam ex gratia diuina, & hoc modo prædestinati à libro vitæ deleri possunt. Quando enim videmus plures ex fidelibus malè viuere, & in statu peccati mortalis reperiri, possumus sine mendacio, & cum omni veritate pronunciare, eos esse secundum præsentem iustitiam reprobos, & damnandos: sicut si videremus fideles omnes benè videre, & in statu gratiæ permanere, rectè pronunciaremus absque vllo prorsus mendacio, eos omnes secundum præsentem iustitiam esse prædestinatos, & saluandos. Hanc eamdem doctrinam, quam docuit D. Thom. loc. cit. confirmauit etiam in cap. 3. Apoc. vbi sic ait:

ait: *Primo modo dicitur aliquis in libro vitae scribi, quia eius merita ibi scribuntur, idest approbantur, et acceptantur ad vitam pro illo statu, vt patet: quia si sic decederent saluarentur. Secundo modo dicitur scribi, non solum quia eius merita inscribuntur; sed quia ipse efficaciter ordinatur ad vitam secundum praedestinationem diuinam. Qui primò modo ibi scribitur, deletur quantum ad praesentem iustitiam, quando cadit in culpam mortalem: quia eius iustitia siue meritum iam non approbatur, vt habeatur apud Deum dignus vita, vt antè: quia iam merita non habet; qui autem scribitur secundò modo, nunquam deletur, quia praedestinatio quassari non potest*. Et 1. par. q. 23. *Corona enim* (inquit) *dicitur esse alicuius dupliciter: vno modo ex praedestinatione diuina: & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratię, quod enim meremur quodammodò nostrum est: & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens*.

D Tho. in cap. 3 Apoc.

Idem 1. p. qu. 23. ar. 6. ad 1.

Idem docuit noster Incognitus in illud Psal. 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*, vbi ait: *Notandum, quod aliquis dicitur scribi in libro viuentium, siue praedestinationis diuinae tripliciter. Primò scilicet secundum aeternam Dei praedestinationem. Secundò secundum pręsentem iustitiam. Tertiò secundum opinionem propriam. Primò modo scribuntur ab aeterno, qui sunt pręedestinati, & electi à Deo, sicut fuit Petrus: & tales de dicto libro delentur secundùm pręsentem iustitiam, quando mortaliter peccant: sed non delentur secundum pręscientiam aeternam, quia finaliter*

Incognitus Carmelita in Ps. 68

saluan-

saluantur. Secundò modo scribuntur omnes, qui sunt in statu gratiç, quamuis æteenaliter sint reprobati. Tertiò modo scribuntur illi, qui de sua iustitia prçsumentes, se in libro vitç scriptos putant, licet scripti non sint: et tales delentur, quando experimentaliter se vident damnatos. Hic ergo loquitur Propheta de deletione secundò, & tertio modo: & est sensus deleantur de libro viuentium, idest finaliter in peccato decedant: & cum iustis, qui sunt in libro secundum æternam prçscientiam non scribantur. Et hoc fuit impletum de persecutoribus Christi.

279 Suppono secundò, aliud esse verè, & sufficienter: aliud congruè, & superabundanter pænitere. Nam, vt quis veram, & sufficientem pænitentiam agat ad assequendam salutem, satis est, vt detestetur peccata, & ex motiuo supernaturali doleat de commissis, cum firmo proposito ea in posterum non committendi. At verò, vt quis congruè, ac superabundanter pæniteat, requiritur aliquid plus, nempè vt in operibus supererogatorijs, scilicet in ieiunijs, abstinentijs, vigilijs, alijsque corporis afflictationibus se exerceat post peccatum. Porrò pænitentia primi generis dumtaxat est ad salutem necessaria: nam semel, quod peccator verè conteritur, vel cum Sacramēto sufficienter atteritur ex supernaturali motiuo, firmiterque deliberat se deinceps non peccaturum; si tunc casu moreretur, infallibiliter salutem æternam consequeretur. Ratio est: quia hæc prçstando,

do, suis obligationibus facit satis: quod sic ostendo. Ex triplici capite obligatur peccator ad pænitendum, vt colligitur ex D.Thom. 3.par. qu.84. art.5.ad 2. Primò ex charitate erga Deum, quem sicut tenemur super omnia diligere, ità eius malum, & offensam auersari. Secundò ex charitate ergà seipsum: cum non minus teneatur seipsum diligere in bonis animæ, quam corporis: nec minus procurare sibi salutem æternam, quam temporalem. Tertiò ex speciali virtute pænitentiæ, qua sicut tenemur ius primæ regulæ illæsum seruare: ità læsum, quoad fieri potest resarcire. Profectò peccator pænitens hæc omnia præstat. Tum quia detestando, & dolendo de peccatis, diligit Deum super omnia, si minus formaliter, saltem virtualiter; si minus intensiuè, saltem appretiatiuè quod sufficit. Tum quia diligit etiam seipsum tam in bonis animæ, quam corporis, procuratq; sibi tam temporalem, quam æternam salutem. Tum quia quoad fieri potest ius primæ regulæ à se læsum resarcire conatur. Neque aliud, præter hæc dicta, requiritur ex necessitate ad legitimam pœnitentiam: hæc enim præstando facit, quod satis est, vt cum Deo in gratiam redeat: & simul consulit saluti propriæ, cum ponat medium, cui Deus iustificationem, & salutem promittit.

D.Tho. 3.p.q.84 ar.5.ad 2.

Quod autem pænitentia secundi generis, idest congrua, & supererogatoria, non sit necessaria ad legitimandam pænitentiam: sed solum vtilis ad il-

lam perficiendam,eſt concors Theologorum ſententia: pænitens enim, quamuis per actus interioris pænitentiæ ritè, & rectè exercitos, ſalutem aſſequatur: nihilominus illis internis actibus addens etiam opera pænitentiæ exterioris,quæ ſupererogatoria ſunt, tutius tendit ad ſalutis aſſecutionem. Tum quia plenius diuinæ charitatis votis reſpondet; charitas enim ergà Deum conſulit,vt qui eius amicitiam contemnendo, amicum optimum irritauit, & læſit, iterum, atque iterum velit offenſam reparare, illiuſque ius in integrum reſtituere: eſt enim charitas inſatiabile deſiderium Deo placendi. Tum quia, etiam ergà ſeipſum maiorẽ oſtendit charitatem: cum enim incertum cuilibet ſit, vtrum verè,ac ſufficienter contritus fuerit, vel ſaltem attritus dignè Sacramentum ſuſceperit, atq; adeò, vtrum in ſtatu ſit gratiæ,ac ſalutis: certè ille cordatus non eſt, qui rem tantam aleæ tam incertæ committit. Hinc cordati pænitentes in more habuerunt commiſſa peccata plangere, de ijſque inceſſanter dolere,etiam poſt impetratam peccatorum remiſſionem. Sic Dauid poſt veniam obtentam toto ſuæ vitæ tempore lectum ſuum lacrymis rigauit. Magdalena poſt plenariam delictorum remiſſionem,in ſpelunca annis triginta lacrymata eſt. Sanctus Petrus poſt lapſum vſq; ad mortem fleuit. Denique S. Auguſtinus,adhuc peracta publica pænitentia, vt eam omnia ſæcula audirẽt, vixit pænitens, mortuus eſt lacrymans, inter pæniten-

nitentiæ ſuſpiria efflauit animam, teſtatumque reliquit, nullum vnquam debere mori, niſi inter amplexus pænitentiæ. Nihilominus omnia ſupradicta opera ſupererogatoria, vtiliſſima quidem sũt, cunctiſque fidelibus conſulenda ad pænitentiam perficiendam: non tamen ſimpliciter requiſita ad neceſſitatem legitimæ pænitentiæ. Quod expreſsè docet vnus ex aduerſarijs noſtris Paulus Zehentner in ſuo promontorio: vbi recenſitis plurium Sanctorum exemplis, qui poſt lapſum ad aliquod graue peccatum rigidiſſimam, diuturnamque pænitentiam egerunt, hortatur peccatores, qui Sanctos olim ex infirmitate peccantes ſecuti ſunt, vt eoſdem ſequantur pænitentes, ſi minus in rigore ſatisfactionis, ſaltem in celeritate reſipiſcētiæ. Et ne eius verba deſiderentur, hic ea tranſcribo: „Itaque Sancti, quos modo nominauimus, pluresque alij, tametſi pro mortalitatis noſtræ imbecillitate, nonnunquam grauioribus etiam culpis animas inquinauerint: diuini tamen brachij auxilio, mox contractas ſordes emacularunt lacrymis, ieiunijs, vigilijs, flagellis, & longis rigidiſſimæ vitæ exercitijs. Ergò ò male, qui ſecutus es Sanctos in terris peccantes, ſequere & pænitentes: ſi non in amplectendo ſolitudinis horrore, humanæ ſocietatis fuga, ſepulchrorum ingreſſu, corporis continua maceratione, quod ſupracitati fecerunt, ſaltem in celeri reſipiſcentia, ad ſeriam vitæ emendatio-

Pau. Zehentner in promont. malæ ſpei li.4. §.5.n.24

„ nem. Scio; non omnium eſt ire ad illa aſpera
„ ſatisfactionum opera, poſtquam refrixit chari-
„ tas multorum. Eſt tamen omnibus omninò in-
„ iecta obligatio, vt poſt peccata, citò per ve-
„ rum dolorem conſurgant, nolintque amplius
„ plangenda committere. Neque ſit, qui dicat,
pænitentem, qui non ſupererogauerit, eſſe Deo
ſeruum inutilem, ideſt à Deo non impetrare pec-
catorum remiſſionem, iuxtà illud Lucæ 7. *Quis
autem veſtrum habens ſeruum arantem, aut paſcentem,
qui regreſſo de agro dicat illi, ſtatim tranſi, recumbe; &
non dicit ei para, quod cęnem, & pręcinge te, & mini-
ſtra mihi, donec manducem, et bibam, et poſt hac tu man-
ducabis, et bibes? Numquid gratiam habet ſeruo illi,
quia fecit, quæ ei imperauerat? Non puto. Sic et vos,
cum feceritis omnia quę pręcepta ſunt vobis, dicite:
Serui inutiles ſumus; quod debuimus facere, feci-
mus.*

Luc. 17. v. 7.

Nam talis pænitens, licet foret inutilis ſibi, non
tamen Deo: à Deo enim accipit remiſſionem pec-
catorum, quia iuxtà ea, quæ ſibi præcepta ſunt,
verè de peccatis dolet, ea deteſtatur, firmiterque
proponit, deinceps non peccaturum: & ideò di-
citur ei: *Et poſtea tu comedes, et bibes*: non igitur ei
negatur à Deo cibus, & potus, ideſt peccatorum
remiſſio, & gratia ſanctificans, ſeu iuſtitia, quæ
Matt. 5. *eſuriri, & ſitiri* dicitur. Eſſet tamen ali-
quo modo inutilis ſibi: quia quaſi nihil ſibi lucra-
tur; nam cum per opera ſupererogationis, poſſet
pecu-

peculium colligere, quo ſeipſum plenè redimeret, & præter beatitudinem eſſentialem, lucrari etiam gloriam accidentalem: tantum bonum deſes, & iniurioſus negligit, ne ſomnum abrumpat, vel inertiam excutiat: & hoc indicant verba illa Christi: *Numquid gratiam habet illi?* nempè tali pænitenti negari congiarium, & merces, ex qua poſſit peculium colligere. Pænitens igitur, qui non ſupererogat, dici poteſt quodammodo inutilis ſibi, quia cum laudabili lucro præſtare poſſet, quæ nō præcipiuntur, ea tamen omittit facere, vel pigritia detentus, vel incuria; & cum poſſit integrum panem lucrari, micas, vel parum frumenti ſatis habet, vt loquitur Damaſcenus nu. 101. per quod tamen non tollitur, quin: & ipſe ſaluetur, vt ibidē cum eodem Damaſceno probauimus: verumtamen præter beatitudinem eſſentialem non conſequetur accidentalis gloriæ coronam, quam per opera ſupererogationis aſſequeretur: Et in hoc ſenſu Bernardus explicans illa verba: *Serui inutiles ſumus*, ſic ait: *Si ſolis contenti eſtis præcepti, et traditionibus impoſitæ legis, et non ſpontè etiam perfectionis, vos conſilijs, et ſuaſionibus mancipati, liberi quidem eſtis à debito* (damnationis) *non tamen pro merito glorioſi: euaſiſtis pœnam, ſed non acquiſiſtis coronam gloriæ accidentalis*. Demum iſte pænitens eſſet ſibi vtilis, & inutilis. Vtilis quidem, quia per pænitētiam ſalutem aſſequitur: inutilis verò, quia fructum ſupererogationis non accipit. Vndè noſter

Bern tr. de præcept. & diſpenſ. ante fin.

Guido super 4. vnum pag. 192 col. 2.

ſter Guido præfata explicans verba: *Dicit* (inquit) *obſeruantes ſolum præcepta neceſsitatis inutiles, non quod non conſequantur fructum, et vtilitatem indè: quia, vt dictum eſt, manducabunt, et bibent in cęna Agni, et pertingent ad fruitionem vitę æternæ etc. Sed dicuntur inutiles per comparationem ad fructum ſupererogationis, et perfectionis, quę conſiſtit in impletione conſiliorum.*

Porrò quam ſibi ſit inutilis pænitens, qui ſola dolorosa deteſtatione, & peccatorum confeſſione contentus, pænalibus operibus à confeſſario ſibi iniunctis nulla alia adijcit ſpontè ſua ſupererogationis opera, quæ Deo gratiſſima ſunt, e.g. ciliciorum geſtationes, ſeu verberationes, quas diſciplinas appellant pro peccatis ſenſualibus: abſtinentias, ſeu ieiunia pro peccatis gulæ: oſculationes humi, ſeu proſtrationes pro peccatis ſuperbiæ: eleemoſynas pro peccatis ex auaritia ortis, & ſic de cæteris; quam ſibi ſit inutilis talis pænitens deduci poteſt ex multiplici vtilitate, quam opera ſupererogationis afferre ſolent. Prima enim eſt, quia talia opera præſeruant à peccatis futuris, & pleniùs ſatisfaciunt pro præteritis. Secunda eſt, quia faciunt euadere pænam diminutionis auxiliorum Dei, quæ cauſa eſt reprobis ſpiritualis ruinæ. Tertia eſt, quia talia opera Deo in hora mortis exhibita deſeruiunt ad compenſanda peccata, quæ tunc diabolus à ſuo codice proferet: ſicut legimus apud Climacum gradu 7. accidiſſe S. Stephano

phano Anachoretæ, qui moriens, ſingulis peccatis ſibi à diabolo obiectis, certas quaſdam, quas pro ijs egerat pænitentias opponebat. Et ideò monet Bernardus, vt vnuſquiſque poſt peccatum: *Indicat ſibi ieiunia, corpus caſtiget, & ſubijciat ſeruituti: quia non niſi in manu forti liberatio eſt.* Quod exactius docet Auguſtinus, qui cum multa pro minutis peccatis ſtatuiſſet facienda: *Pro capitalibus* (ſubdit) *criminibus* (pro peccatis mortalibus) *non hoc ſolum ſufficit: ſed addendæ ſunt lachrymæ, rugitus, & gemitus: continuata tempore longo, & protracta ieiunia: largiùs eleemoſynæ erogandæ: in luctu, & triſtitia multo tempore permanentes.* His ſuppoſitis.

Bernar. ſerm. de ſeptem donis S. Sancti.

Auguſt. ſerm. de igne purgatorij.

280 Ad auctoritatem Origenis reſpondeo, eum loquutum fuiſſe de fidelibus tunc malè viuentibus, qui ſecundum præſentem tunc iuſtitiam videbantur ferè omnes reprobi: quia ferè omnes indiſciplinatam agebant vitam, & negligentiſſimè conuerſantes ſeculo ſe conformabant. Igitur conſiderabat eos, vt ordinatos ad gloriam ex merito gratiæ, & videbat eos pro tunc amiſiſſe coronam gloriæ per mortalia peccata, quæ committebant, & in quibus perſeuerabant. Videbat inſuper, eos amiſſuros illam finaliter, ſi mors eos tunc temporis præoccupaſſet. Cęterum neſciebat ipſe, quis eorum fidelium eſſet antè mortem pænitentiam acturus; & conſequenter ignorabat, quis eorum eſſet ad vitam æternam ex diuina prædeſtinatione ordi-

ordinatus, atque adeò finaliter saluandus. Conijciebat igitur Origenes multorum fidelium reprobationem ex morum corruptela, quæ tunc inter eos serpebat: Nos autem colligimus, fideles quo ad maiorem partem finaliter saluandos per coniecturam, ex maiori facilitate salutis in lege gratiæ: ex speciali, & potentissima Deiparæ protectione ergà suos deuotos: ex occulatissima Angelorũ custodia, & tutela érgà suos clientes; tandem (& hoc præcipuum est) ex efficacia meritorũ passionis, & mortis Christi, quæ sibi fideles sæpius in vita, vel saltem in mortis articulo, vt plurimum applicant; & his omnibus innixi piè pronunciamus, maiorem fidelium partem ad vitam æternam ex diuina prædestinatione ordinari, atque adeò finaliter saluari: sicuti etiam ex fidelibus ipsis, ad quos loquebatur Origenes, multi in fine vitæ (vt piè credendũ est) se per Ecclesiæ Sacramenta præpararunt, & sic per merita Christi sibi applicata salutem consequuti sunt.

Chrys. hyperbolicè loquutus est ad incutiendũ timorem.

281 Ad auctoritatem Chrysostomi respõdeo primò approbando solutionem Granadi: nempè Chrysostomum ad timorem peccatoribus incutiendum hyperbolicè loquutum fuisse. Neq; obstant impugnationes factæ. Primò quia hyperbolæ, quamuis fieri non debeant in doctrinalibus demonstratiuis; possunt, & debent fieri in doctrinalibus opinatiuis, & coniecturalibus, qualis est opinio probabilis de paucitate, seu multitudine

præ-

prædeſtinatorum. Secundò, quia hæc hyperbola non fuit prolata per modum ſimplicis, ſed tantum probabilis veritatis: vndè Chryſoſtomus nō protuliſſet practicè mendacium, quando etiam aliter ſpeculatiuè ſenſiſſet. Tertiò quia etiam data hac hyperbolica exageratione non poterat Chryſoſtomus habere certitudinem infallibilē de maiori, vel minori numero damnandorum, aut ſaluandorum: nam illam habebat, non per ſcientiā demonſtratiuam: ſed tantummodo per coniecturalem ſecundum iuſtitiam tunc temporis præſentem.

282 Reſpondeo ſecundò, dato, ſed non conceſſo, verificatū fuiſſe dictum Chryſoſtomi, nempè ex tot hominum millibus, qui tunc Antiochię degebant, vix centum ſaluatos fuiſſe; ex hoc nihilominus non rectè inferri poteſt paucitas fidelium in vniuerſo Orbe catholico ſaluandorum. Ad negandam autem hanc illationem, me mouent verba, quæ ipſemet Chryſoſtomus immediatè ſubdit, & ſunt ſequentia: *Quanta enim in viuentibus quęſo malitia? quantus in ſenibus torpor? Filij curam gerit nemo: nemo zelum habet, vt ſenem reſpiciens imitetur: exemplaria deleta ſunt: propterea neque iuuenes euadunt laudabiles*. Non poterat igitur Chryſoſtomus in tot millibus hominum Antiochiæ degentium inuenire centum ſaluandos: quia forſan tunc Antiochiæ iuuenes indiſciplinatè viuebant, nec parentes eorum curam gerebant, nec ſenes

Yy iuue-

iuuenibus deseruiebant in exemplum pietatis, & bonitatis, sed potius impietatis, ac malitiæ. Do ergò, ob præfatas rationes potuisse tunc Antiochię contingere ex tot millibus vix centum fuisse saluatos: sed mordicùs nego ex hoc rectè deduci idem etiam contigisse in reliquo Orbe catholico. Nam tunc temporis in alijs Domibus, Oppidis, Ciuitatibus, & Prouincijs poterat vigere, & forsan vigebat (vt ex pietate credendum est) pia, & laudabilis iuuentutis institutio: sollicita, & vigilans Ecclesiasticorum Pastorum cura, politicique regiminis secundum rectæ conscientiæ ordinem administratio; Poterant insuper eliminari scandala publica, sacra templa in pretio haberi, conciones frequentari, Sacramentaque reuerenter vsurpari. Ex quibus omnibus argumentum eruere (vt nos facimus) de pluralitate fidelium in toto Orbe catholico saluandorum maximè pium, & congruum est: quamuis Antiochiæ contrarium contigerit, ob rationes à Chrysostomo superius assignatas. Adde, quod tunc temporis, quo Chrysostomus conciones habebat ad populum Antiochenum, Asia vniuersa erat maculis deturpata, ob Thraciæ gentis barbariem, ob Ciuitatem opibus, luxuque diffluentem, ob plebem Arianorum, & Origenistarum dogmatibus infectam, ob Cæsaris aulam, & familiã ex paganis, iudæis, hæreticis, & orthodoxis permixtam, vt videre est apud Palladium Helenopolitanum Episcopum, eiusdem

Chry-

Chrysostomi discipulum, Theodorum Ecclesiæ Romanæ Diaconum, & historiam Tripartitam. Vndè mirum non est, quod Chrysostomus pronũciauerit ex tot millibus hominum, tunc Antiochiæ degentium, vix centum fuisse saluandos: cęterùm dispar est ratio in casu nostro, qui loquimur non de Christianis promiscuis: sed tantùm de fidelibus catholicis, & orthodoxis.

Sententia à Chrysostomo prolata est hypothetica, & conditionata.

283. Respondeo tertiò potuisse Chrysostomum illam sententiam seriò proferre, motus non aliundè, quam ex coniectura corruptelæ morum: videbat enim vix centum ex tot millibus hominũ Antiochiæ tunc degentium, secundum normam rectæ rationis disciplinatè viuere: & de salute istorum etiam dubitabat: quia, si in eo statu gratiæ non perseuerassent vsque ad mortem, neque saluati fuissent. Hinc à contrario poterat inferre, quod si illa tot millia hominum, qui tunc perditissimam vitam agebant, antè mortem resipuissent minimè damnati fuissent. Pronuncians igitur sententiam illam, volebat (sed sub tacita conditione) insinuare, vix centum, ex tot millibus hominum saluari, si tamen tunc, vel ad minus antè mortis articulum non resipuissent. At hìc vellem, vt aduersarius consideraret, quot ex illis hominum millibus resipuerunt, audita illa comminatoria concione? Quot territi tanti Præsulis minis, saltem attriti si minus contriti ad Sacramentum pœnitentiæ accesserunt, & commissa peccata expiantes

ad iustificationem peruenerunt? Quot (quamuis post adeptam iustificationem recidiui) in vltima vitę linea de peccato resurgētes medijs Ecclesię Sacramentis se denuò ad gratiam sanctificantem assequendam præpararunt, eaque adepta saluati sunt? Non benè igitur ex sentētia Chrysost. infert Recup. ex fidelibus plures longè damnari, quam saluari: quia Sanctus Præsul loquebatur de auditorum damnatione, non absolutè, sed secundum præsentem tunc iustitiam iuxtà doctrinam à nobis ipsis ex D. Thom. in responsione ad auctoritatem Origenis allatam.

284 Dum hæc scriberem, fortuitò in oculos meos incurrit testimonium Pauli Zehentner in suo Promōtorio malæ spei prolatum, quod magno me repleuit solamine: Hic enim Auctor, quamuis militet pro contraria opinione, nihilominus referens sententiam Chrysostomi, eam expendit, & iuxtà doctrinā à nobis in hac tertia responsione allatam, soluit: Et quia doctè non minus, quam piè, ac neruosè ratiocinatur, iuuat formalissima eius verba transcribere, quæ sunt sequentia. Et ne putes meram esse coniecturam, quam de de mente Sancti Chrysostomi facio: hem tibi ipsa eius verba allego, quæ olim in cathedra Antiochena ad circumfusam ex omni ordine, statuq; concionem prolocutus est. Aures quæso beneuolas præbe tanto Antistiti, & iam inter diuos relato. Itaq; Chrysostomus grauissimam

Paul. Zehentner li. 2. §. 2. n. 13 & 14.

Audi-

„ Auditoribus ſuis quæſtionem mouet ſuper eo-
„ rum fęlici olim, aut infortunata æternitate.
„ *Quot eſſe putatis* (inquit) *in Ciuitate noſtra, qui*
„ *ſalui fiant?* Hæſerat cum illo attonita multi-
„ tudo grauitate argumenti. Et vir ſanctus poſt
„ breuem morulam prorumpit iterum in paucu-
„ las voces, ſed facturas maiora vulnera: *Infe-*
„ *ſtum quidem eſt, quod dicturus ſum* (verba ſunt
„ magni Præſulis) *dicam tamen: non poßunt in tot*
„ *millibus centum inueniri, qui ſaluentur; quin et de*
„ *ipſis dubito*. O Chryſoſtome non amplius au-
„ reus nobis Orator eris, quando tam ferreas
„ loqueris ſententias. Ità ne verò, adeò ſterilis
„ eſt Antiochia Vrbium populoſiſſima, vt vix
„ centum animas cęlis illatura ſit? Quibus autem
„ obſecro id probas indicijs? nempè duobus po-
„ tiſſimum, inſigni illorum temporum malitia, &
„ incredibili cultus diuini negligentia; quæ ma-
„ la, quia Antiochenos ferè omnes occupauerãt,
„ confidenter aſſeuerauit eorum Pontifex, niſi ad
„ frugem redierint, adeòque, & corruptiſſimos
„ mores, & oſcitãtiam rerum ſacrarum exuerint,
„ vix omni ex Vrbis numero centum ituros ad
„ beata beatarum mentium domicilia. Fallun-
„ tur propterea, qui Sancti Patris enunciationem
„ (*expendat hęc, & ſequentia verba Aduerſarius*)
„ accipiunt abſolutè factam, quaſi certa reuela-
„ tione intellexiſſet, ex tot millibus Antiochiæ
„ vix ſuprà centum ſaluandos. Quæ explicatio

non

„ non raró optimis, quibuſque hominibus fraudi
„ fuit, & materia ingentis puſillanimitatis. Hy-
„ pothetica eſt igitur Diui Chryſoſtomi pronun-
„ ciatio, ſiue poſita cum tacita conditione, nimi-
„ rum niſi tanta illa multitudo incolarum Antio-
„ chenorum reſipuerit, atque in capite vtroque
„ ſe ſe emendauerit, probabiliſſima coniectura
„ futurum, vt exceptis pauculis reliqui omnes pe-
„ reant, & ſempiternùm. Id ne fieret ſtrenuè ad-
„ laborauit Zelotiſſimus vir, imitatus fabrum, qui
„ graui malleo ſuper incude tam diù ferrum tun-
„ dit, donec Artificis ſui ductum, nutumque ſe-
„ quatur. Ità planè magnus Pater grauiſſimis ſen-
„ tentijs, velut malleo vibrato, conatus eſt ſuos
„ auditores ad emendationem flectere, præſer-
„ tim verò ad ſinceram deuotionem, & legitimũ
„ Dei cultum in templis perſoluendum, quo tem-
„ pore præceptum Eccleſiæ vrget.

Recup. de ſignis præd. & reprob. cap. 5. pag. 110.

285 Ad auctoritatẽ Ambroſij, antequã reſpon-
deam, vellem vt in mentem Recupiti venirent,
quæ ipſe docuit tractatiuncula prima cap. 5. pag.
110. circa initium: ibi enim ſcriptum reliquit,
multò plures eſſe electos per pœnitentiam, *quam per in-
nocentiam*. Si igitur hoc eſt verum, vt ipſe l. cit.
docet: quomodo verum eſſe poteſt, quod hìc pro-
nunciat, ſcilicet pauciores eſſe electos pœniten-
tes, quam innocentes? Certè iſtæ duæ propoſi-
tiones manifeſtam contradictionem inuoluunt:
igitur alterutra earum falſa ſit, neceſſe eſt. Sed ve-
riſſima

rissima est illa prior propositio: *multò plures sunt electi pęnitentes, quam innocentes*, vt ipsa rerum magistra experientia docet. Ergo falsa est hæc posterior, *Pauciores sunt electi pęnitentes, quam innocentes*. Ergo falsissima est consequentia, quam ex Ambrosij sententia infert, scilicet inter fideles adultos non saluari, nisi perpaucissimos. Sed his prætermissis, vt ad Germanam Ambrosianæ sententiæ intelligentiam deueniamus.

Dico, *pro congrua pęnitentia* intellexisse Ambrosium, vel pęnitentiam operibus supererogatorijs suffultam (posse tamen pænitentiam esse veram, & sufficientem ad assecutionem salutis absque eo, quod talibus operibus fulciatur, satis patet ex nu. 279.) siquidem prę fata opera sunt manifesta signa veræ, & non fictæ pænitentiæ. Vel pænitentiam illam rigidam, & asperam, de qua mentionem facit Climacus de accurata pænit. gradu 5. quæque erat admirablis potius, quam imitabilis. Quod autem hic sit sensus Ambrosianæ sententię, expresse asseritur à Paulo Zehentner, quamuis sit vnus ex aduersę opinionis propugnatoribus: eiusque verba sunt hæc: *Itaque ait cælesti ambrosia, & nectare dignissimus Antistes Mediolanensis: Facilius inueni, qui innocentiam seruauerit, quàm qui congruè egerit pęnitentiam*. Loquitur autem de pæniten- tia illa rigida, quam ex opere supererogationis (vt vocant) quidam sanctissimi olim homines exercuerunt ad regulam primæ in Ecclesia auste-

Climacus gradu 5.

Paulus Zehen. in prom. l. 3. §. n. 6

„ austeritatis. Sic enim D. Ambrosius propo-
„ sitionem suam confirmat. *An quisquam illam pænitentiam putat, vbi acquirendæ ambitio dignitatis? vbi vini effusio? vbi ipsius copulæ coniugalis vsus? Renunciandum seculo est: somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat; interpellandus est gemitibus, interrumpendus suspirijs, sequestrandus orationibus: viuendum ità, vt vitali huic moriatur vsui: Seipsum homo abneget, & totus immutetur,*
„ &c. Quod vltimum quidem totius senten-
„ tiæ pondus esse arbitror: & simpliciter re-
„ quiri ad necessitatem legitimæ pænitentiæ: si-
„ cut priora ad liberam eiusdem perfectionem
„ spectant. Nam vt quis verè dicatur pænitere
„ negare sibi debet veteres delicias, noua purio-
„ rioris vitæ desideria elicere, aliam induere
„ cutem, certè mentem aliam, aliumque
„ hominem, qui secundum Deum est, vt te-
„ stari possit, se non esse amplius eum, qui nuper
fuit. Quid dicet ad hæc Recupitus? Paulus Zehentner est ex suis sectatoribus vnus: & tamen nō interpretatur Ambrosij propositionē de actibus necessariò requisitis ad veræ, & sufficientis pęnitentiæ constitutionem: sed de operibus supererogatorijs, quæ pænitentiam veram, quam inueniunt sufficienter constitutam, perficiunt. Et in hoc sensu verissimum est, quod facilius inueniuntur Innnocentes, quam congruè idest rigidè, &

super-

ſupererogatoriè pænitentes. At nos hic non loquimur de iſtis; ſed tantùm de ritè, vereq; pænitentibus, qui exercent opera, ſi non adeò vtilia, ſaltem ad pęnitentiam legitimandam ſufficientia, atque adeò de his dicimus, eſſe longè plures, quã Innocentes. Vndè.

285 Reſpondeo in forma ad argumentum Recupiti. *Inter adultos fideles non ſaluantnr, niſi aut innocentes, qui nunquam mortaliter peccauerunt: aut pęnitentes, qui pęnitentiam congruè egerunt poſt peccatum*. Concedo primam partem maioris: ſed diſtinguo ſecundam. Aut pænitentes, qui congruè tantùm, ideſt rigidè, & ſuperabundanter per opera ſupererogationis pænitentiam perfecerunt poſt peccatum: Nego ſecundam partem maioris. Aut pænitentes, qui vel congruè, ideſt ſuperabundanter per opera ſupererogationis: vel ſufficienter, & per actus ſimpliciter requiſitos ad neceſſitatem legitimæ pænitentiæ, pęnitentiam egerunt poſt peccatum: Concedo primam partem maioris. Ad minorem: *Sed certum eſt inter fideles pauciſſimos reperiri planè Innocētes, &c. & ex Ambroſio, pauciores reperiri congruè pænitentes*: Conceſſa minori quoad primam partem, iterum diſtinguo ſecundam. Pauciores inueniri congruè, ideſt rigidè, & ſuperabundanter pænitentes: concedo ſecundam partem minoris: Pauciores reperiri ſufficienter, atque adeò revera pænitentes; Nego ſecundam partem minoris. Demum ad

consequentiam : *Ergo inter adultos fideles ex Ambrosio, collecto numero innocentium, qui sunt paucissimi, & congruè pœnitentium, qui sunt pauciores, non saluantur, nisi perpaucissimi*: Distinguo denuò consequens: & concedo consequentiam, nempè saluari perpaucissimos ex fidelibus congruè, idest superabundanter pænitentibus: sed nego saluari perpaucissimos ex fidelibus sufficienter, atque adeò verè pænitentibus; Nam cum certissimum sit saluari non solum Innocentes, & congruè, idest rigidè, ac superabundanter pænitentes: sed etiam eos, qui pænitentiam veram sufficienter agunt; Cum etiam certissimum sit, pænitentes secundo modo esse permultissimos relatiuè ad innocentes, & rigidè pænitentes: certissimum profectò existimari debet, permultissimos esse, qui inter adultos fideles æternam assequuntur salutem.

Ex supradictis omnibus colligi potest, opera supererogatoria esse consilia, non præcepta: atq; adeò pænitentes non teneri ea omnia præstare: quia Patres ea consulunt, tanquā vtilia, non tanquam necessaria. Colligi etiam potest, maiorem fidelium partem saluari: quia maior eorum pars sæpè sæpius in vita, & demum in articulo mortis per sacramenta ad iustificationem se præparando, præstat, quæ simpliciter requiruntur ad necessitatem legitimæ pænitentiæ præceptæ; quamuis non semper præstent, quæ concurrunt ad perficiendam pænitentiam consultam: & illa sufficit

Ad ingressum æternæ vitæ sufficit seruare mādata.

cit

cit, si ritè, & rectè præstetur (vt in pluribus contingere piè credendum est) ad æternam salutem adipiscendam. Non enim quisque fidelium tenetur euangelica consilia complecti: sed tantum ea, quæ sunt de præcepto seruare, vt vitam assequatur æternam, iuxta illud Christi. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

286 Ad auctoritates Augustini. Respondeo, & primò ad primam dicendo, eum ibi loqui de Christianis promiscuis, non de fidelibus tantum, vt dictum est supra: loquitur enim de bonis, & veris christianis, & de malis, & falsis. Primi sunt boni fideles: secundi fideles mali: tertij sunt hæretici: ipsi enim falsi Christiani dicuntur.

Hæretici sunt falsi christiani.

Ad secundam dico, loquutum quidem esse de fidelibus tantùm; sed in eodem sensu, in quo loquutus est Origenes, nempè per coniecturam, inferendo paucitatem saluandorum ex corruptela morum fidelium tunc malè viuentium: & secundum præsentem tunc iustitiam arguebat fuisse ex eis paucos saluandos, si mors in illo statu eos præoccupasset. Loquutus est igitur de fidelibus ordinatis ad vitam ex dono Gratiæ, non de ordinatis ex prædestinatione diuina; vndè non negauit, plerosque eorum, si resipuissent, saltem in mortis articulo, & per sacramenta se præparassent, saluandos fuisse: & reuera plerosque eorum sic saluatos esse piè credendum est, vt probant Rationes in probationem nostræ conclusionis

 addu-

adductæ. Ad tertiam tandem dico, Augustinum etiam ibi loquutum esse, non de fidelibus tantũ: sed de christianis promiscuè sumptis: Nam per Lilium intelligit catholicos Orthodoxos, & per spinas, vel hæreticos tantùm, vel hæreticos, & malos catholicos simul. Quod patet manifestè ex antecedentibus,& consequentibus ad illa verba. *Sicut lilium in medio spinarum: ità proxima mea in medio filiarum.* Ipse enim antecedenter exponens illa verba eiusdẽ psalmi. *In Ciuitate Domini virtutũ, in Ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum,* dixerat, *Non insultent hæretici per partes concisi: non se extollant, qui dicunt, Ecce hic est Christus, ecce illic, ad partes inducit. Vnitatem promisit Deus: Reges in vnum collecti sunt: non per schismata dissipati sunt.* Ecce quomodo apertè loquitur de Hæreticis, & Schismaticis. Et infrà exponens illa verba *suscepimus Deus misericordiam tuã in medio templi tui,* dixerat. *Qui susceperunt, & vbi susceperunt? Nonne ipse Populus tuus suscepit misericordiam tuam? Quomodo suscepimus misericordiam tuam, & in medio populi tui, quasi alij sint, qui susceperunt? alij, in quorum medio susceperunt? Magnum sacramentum, sed tamen notum, &c. Nunc quidem populus Dei censentur omnes, qui portant sacramenta eius: sed non omnes pertinent ad misericordiam eius. Omnes quippè sacramentum Baptismi accipientes, Christiani vocantur: sed non omnes dignè illo sacramento viuunt.* Ecce quomodo commiscet christianos catholicos cum Hæreticis, & Schismati-

cis

cis. Per populum enim ſuſcipientem misericordiam Dei in medio populi Dei, intelligit catholicos miſericorditer vocatos ad fidem, & baptiſma (*non miſericorditer electos ad gloriam ex toto populo chriſtiano, vt gratis interpretatur Aduerſarius*) & dicit eos eſſe vocatos in medio populi Dei, ideſt in medio Hæreticorum, & Schiſmaticorum: qui eatenus dicuntur etiam populus Dei, quatenus etiā hi ratione ſuſcepti baptiſmatis dicuntur chriſtiani; licet poſtea eo ſacramento abutentes veram dereliquerint fidem, & ſe ab Eccleſia Romana ſeparauerint. Quod autem hic ſit genuinus ſenſus Auguſtini, deducitur ex eo, quod immediatè poſt ſubdit. *Sunt enim quidam, de quibus dicit Apoſtolus 2. Timoth. 3. Habentes formam pietatis: virtutem autem eius abnegantes*. Certiſſimum enim eſt apud omnes Interpretes, & ipſi legenti eam epiſtolam etiam patebit, Apoſtolum ad Timotheum ſcribentē, impios hæreticorum mores intendiſſe deſcribere, vt verè deſcribit à verſu 1. ad decimum vſque. Nam immediatè ſuperius nuncupauerat eos, *Cupidos*, ideſt amatores pecuniæ; *Elatos*, ideſt faſtuoſos, arrogantes, ſuam eloquentiam, eruditionem, & virtutes, etiam ſuprà veritatem extollentes, & iactantes; *Voluptatum amatores, magis quam Dei*: etenim Hereſiarchæ, & Hæretici paſſim voluptarij fuerunt, eaque de cauſa plures habuerunt aſſeclas: *Habentes ſpeciem quidem pietatis: virtutem autem eius abnegantes*:

2. Timot. 3.

Quia

Ambr. Quia profitentur (inquit Ambrosius) *se christianos, cum sint, & nequissimi opere, & sensu peruersi, de quibus Christus Matth. 7. 15. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Nam* (vt ait Cyprianus contra Iulianum) *Hæretici imitantur Catholicos, sicut Simiæ imitantur homines: & sicut lupi imitantur canes, quibus sunt similes.* Apertè igitur claret, Augustinum loco citato loquutum esse, non de fidelibus orthodoxis; sed de Christianis catholicis, & Hæreticis simul. Prosequitur postea immediatè. *Tamen propter ipsam speciem pietatis in populo Dei nominantur: quomodo ad aream, quando trituratur, non solum grana, sed etiam palea pertinet: num quid, & ad horreum pertinebit? In medio autem populi mali est populus bonus, qui suscipit misericordiam Dei. Viuit dignè misericordia Dei, qui credit, & tenet, & facit, quod ait Apostolus 2. Cor. 6. Præcipientes ergo rogamus, nè in vacuum gratiam Dei suscipiatis. Qui ergò non in vacuum gratiam Dei suscipit, ipse tam sacramentum, quam gratiam Dei suscipit.* Distinguit hìc Augustinus populum bonum à populo malo, & dicit populum bonum esse, qui credit, tenet, & suscipit tam sacramentum, quam gratiam Dei: Ergo per populum malum non solum intelligit malos fideles, sed etiam hæreticos, qui non credunt, sed in vacuum suscipiunt gratiam Dei; quamuis enim suscipiant baptismum, non tamen gratiam Dei; quia cum relinquant fidem, Dei misericordiam

Matth. 7. 15.

Cyp. con. Iulian.

Hæretici sunt Simiæ, & lupi.

2. Chor. 6.

non

non ſuſcipiunt. Vlterius vt oſtendat ſe loqui de de chriſtianis promiſcuis ſubdit. *Sicut lilium in medio ſpinarum: ità proxima mea iu medio filiarum. Numquid dixit in medio alienarum? Non: ſed in medio filiarum. Sunt ergo filię malæ* (En hæretici) *Et inter illas eſt lilium in medio ſpinarum.* (En Catholici) *itaque illi, qui ſacramenta habent, & mores bonos non habent, & Dei dicuntur, & non Dei, & eius dicuntur, & alieni: Eius propter ipſius ſacramentum: alieni propter proprium vitium. Ità, & filiæ, & alienæ: filiæ propter formam pietatis: alienæ propter amiſſionem virtutis* (ſcilicet fidei, quæ virtus theologica eſt) Nonnè Sole clarius eſt his verbis, hæreticos ab Auguſtino deſcribi? Nihilominus per hoc nõ inficior in verbis ab Aduerſario adductis, ideſt in expenſis obiectionibus, & reſpõſionibus, Auguſtinum loqui dumtaxat de fidelibus adultis: ſed dico, eum de fidelibus loquutum eſſe ſecundũ præſentem tunc iuſtitiam, ideſt de fidelibus ad vitam æternam ordinatis, non ex prædeſtinatione diuina: ſed ex diuina gratia, quam reſpectiuè ad malos fideles, pauci erant, qui non inuacuum gratiam Dei tunc ſuſciperent, & ſacramentum, & gratiam ſimul in ſe ſeruarent. Quod autem in hoc ſenſu loquatur hìc de fidelibus. Auguſtinus patet ex hoc: quia poſtquam reſpondiſſet. *Quam pauci ſunt? vix inuenitur aliquis.* Et tunc obieciſſet ſibi ex ore id negantium. *Illis nè contemtus erit Deus, & perdet tantam multitudinem? Dicunt*

Per malas filias intelliguntur hæretici

hoc,

hoc, qui ſibi psomittunt hoc, quod à Dco promittente non audierunt, ſubdit immediatè. *Et verè ſi malè viuamus, ſi mundi huius delitijs perfruamur: ſi noſtris libidinibus ſeruiamus perditurus eſt nos Deus.* Quæ verba neſcio qua intentione prætermiſit Aduerſarius: niſi velimus dicere, ea prætermiſiſſe, vt Auguſtinus videretur loqui non hypotheticè, vt nos aſſerimus: ſed abſolutè, vt ipſe intendit: & conſequenter, vt ab ipſo Auguſtini aſſerto poſſet inferre, quod intendebat, nempè paucitatem ſaluandorum inter fideles. At verò quia Auguſtini pronunciatio non abſoluta; ſed hypotetica eſt, & cum expreſſa conditione poſita, ideò quando dixit, *Non poſſumus negare plures eſſe malos, vt inter eos prorſus boni non appareant.* Per bonos, & malos non intellexit, qui finaliter inuenientur boni, vel mali (vt vult Aduerſarius) ſed eos, qui ſecundum præſentem tunc iuſtitiam boni, vel mali videbantur. Et quamuis Auguſtinus mouerit quæſtionem de ijs, quos Deus liberaturus, & dãnaturus erat: nihilominus non abſolutè, ſed conditionatè pronunciauit multitudinem Reproborum præ electis; nimirum ſi illa tanta malorum multitudo non reſipuerit, & ad frugem redierit, nec non corruptos mores emendauerit, probabiliſſima coniectura futurum, vt (pauciſſimis exceptis) damnaretur: Et ob hanc cauſam adiecit verba illa ab Aduerſario prætermiſſa. *Et verè, ſi malè viuamus, &c. ſi noſtris libidinibus ſeruiamus*

perdi-

perditurus est nos Deus. Hoc igitur Augustini testimonium non est contra nos, id enim, quod ipse in sensu explicato asserit, nos etiam asserimus nempè fideles peccatores, si non resipiscunt ante mortem, damnari, & si omnes in peccato morerentur, sempiternùm perituros. At quia ex Dei misericordia, ex meritis Christi, & Deiparæ, ac Sanctorum intercessione plerique fidelium antè mortem resipiscunt, & per Sacramenta ad iustificationem se præparant: ideò probabilissima coniectura ducti, piè asserimus fideles orthodoxos esse maiori ex parte saluandos.

287 Ad auctoritatem Gregorij respondeo, eum quoque loqui de Christianis promiscuis, cum dicat ad fidem plures venire. Ad fidem enim veniunt etiam hæretici, schismatici, & apostatæ, quã postea derelinquunt, & ab Ecclesia se separant, & recedunt. Et quamuis posteà Gregorius restringat sermonem suum ad solos fideles; nihilominus non absolutè pronunciat paucos ex eis saluari, sed hypotheticè, & cum conditione tacitè intellecta. Nam cum sibi obiecisset, & quæsisset: *Quis scit, quam pauci sunt, qui in illo electorum Grege numerantur?* Subintellexit, si corruptissimos mores, in quibus tunc se exercebant, non correxissent; vndè loquitur eodem sensu, quo explicauimus auctoritates Origenis, Chrysostomi, & Augustini.

288 Ad octauum, nonum, & decimum testimonium respondeo solutionem eorumdem clare-

ſcere ex ijs, quæ diximus quæſt. 1. §. 4. per totum: nempè has viſiones eſſe veras de vniuerſa hominũ maſſa, fidelium ſcilicet, & infidelium: & de his ſimul ſumptis, illas explicant Cornel. ibi relatus, & Paulus Zehentner, quãuis ſtent pro contraria ſententia: & ne hoc videatur effugium, iuuat adducere in medium ipſiſſima Zehentner verba, qui poſt recenſitas omnes illas viſiones ab aduerſario adductas ſic ipſe loquitur. Hìc aliquibus pilus in horrorem ſurget. Quid mirum? quando tanta audiũtur fulmina, & de multorum capitibus vno, eodemque velut momento iactam eſſe infelicẽ aleam pro miſerrima eorum æternitate. Igitur etiam hodie volant indignantium verba ijs ſimilia, quæ olim Primates quidam Calabriæ viri litteratiſſimi regeſſerunt Nilo Abbati aſſerenti ſaluandorum paucitatem. *Nos igitur* [inquiunt] *fruſtrà baptizati ſumus, & crucem adoramus, & communicamus, & chriſtiani dicimur*. Sed ne plus ęquo deijciantur in puſillanimitatem animi, indè ituri in baratrum deſperationis, Aio, tametſi reuelationes, & viſiones ſupra allegatæ veræ ſint: nequaquam tamen numerum illum de tot millibus animabus perditis, reſtringendum eſſe ad ſolos Chriſtifideles, atque catholicos, qui comparatione aliorum hominum quaſi pauculi ſunt: ſed extendendum maximè ad totam illam colluuiem, quæ vniuerſo orbe ex Gentilibus, Saracenis, Hæbreis, & Hæreticis

Cornel. & Zehentner.

„ ticis conflatur: fieri adeò facilè poteſt, vt ſi ſi-
„ mul eodemque die, ex his multa millia tollan-
„ tur, ſiue naufragio, ſiue prælio, ſiue peſtilita-
„ te, aut etiam naturali morte, ſimili damnatio-
„ nis æternitate inuoluantut: quia ſcilicet ſimul
„ ſunt extra veram Catholicæ Eccleſiæ Religio-
„ nem, non tantum infidelitatis, ſuperſtitionis
„ hæreſeos: verum etiam multorum inſuper fa-
„ cinorum rei, quibus ſi comparentur Catholici
„ qui eodem tempore fatis concedunt, exiguum
„ planè facient numerum.

PARAGRAPHVS XXI.

In quo Recupitus ducit argumenta ex rationibus: & primò ex difficultate mediorum ad finem.

289 OBijcit igitur ſic. Omnis aſſequutio finis habens magnam difficultatem in medijs, deficit in pluribus, contingit in paucioribus: Sed talis eſt aſſequutio gloriæ reſpectu quorumcumque adultorum etiam fidelium: Ergo reſpectu quorumcumque adultorũ deficit in pluribus contingit in paucioribus. Maior probatur quia quò res eſt difficilior, eò magis accedit ad impotentiam: ergo magis recedit ab actu ſecundo, qui prodit à potentia. Vndè fit, vt aſſequutio impoſſibilis contingat in nemine, aſſequutio rei

valdè difficilis contingat in paucis. Minor probatur, tum quia media ad finem salutis sunt contra inclinationem naturalem creaturæ ex se magis propensæ ad amorem sui, quam ad amorem Dei, vt ostensum est tom.2: Theolog.lib.2.q.14. Tum quia media ad salutem regulantur à lumine fidei obscurè proponente bonum absens, & abstractum à sensibus: media autem contraria proponuntur à causa naturali clarè proponente bonum præsens sensibile; ex se autem magis inclinatur voluntas ad bonum sensibile præsens, & clarè cognitum, quam ad bonum abstractum, futurum, & obscurè cognitum. Est ratio Diui Thomæ, qui dicit, quod *bonum proportionatũ communi statui naturæ accidit vt in pluribus, deficit vt in paucioribus; sed bonum, quod excedit communem statum naturæ inuenitur in paucioribus, & deficit in pluribus*. Vndè infert infrà *Cum beatitudo ęterna in visione Dei consistens excedat communem statum naturę, & pręcipuè secundum quod est gratia* (originali) *destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores esse, qui saluantur*. Hæc ibi in generali, quæ militant etiam in adultis fidelibus inter se comparatis.

S.Th. 1. p.q.23. ar.2. ad 3.

Mat.11

290 Confirmatur primò ex Matth. 11. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Violentia autem contingit, vt in paucis: quia *violentia contra naturam est*, vt notat Arist.in probl. sect.1. probl.6. & ideò *si quid violentum est, etiam*

acer-

acerbum erit, & si quid molestum, idem etiam violentum 2. moral. Eudem. cap.8. Vndè fit, vt perpetuam naturæ violentiam inferre, contingat in paucis; idque etiam inter fideles; cum gratia euangelica non ordinetur ad tollendam difficultatem, sed ad vincendam: & ideò de ipsis fidelibus dicitur; quod *violenti rapiunt illud*. Sicut igitur cymbulæ contra fluuij cursum impulsus non fit, nisi violenter, nautis in id contentiosè adnitentibus: & si processu temporis, paululùm nautæ de contentione remiserint, continuò à destinata ripa cymba repellitur: ità prorsus euenit, dum violenter ad Cælum tendimus, contra naturæ cursum, tanquam contrà impetum fluuij. Ideoque Christus dixit Lucæ 13. *Contendite intrare,* &c. Quippè vt expendit Gregorius *Dixit, contendite; quia nisi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur: per quam anima semper ad ima reuocatur*. Animaduertat lector quot reperiuntur inter adultos fideles, qui connumerari verè possint inter eos, qui *violenti rapiunt Cælum*: & ex hoc deducat paucitatem electorum comparatiuè ad reprobos.

Aristot. *Luca* 13 *Greg. lib* 11. *mor. cap.*26.

291 Confirmatur secundò ex difficultate orta è varijs impedimentis salutis occurrentibus in hac vita. Nam in humano conuictu occurrunt graues occasiones aut nimij amoris, aut odij: quæ dum diuturnitate temporis adhærescunt, ità radicantur in anima, vt ferè impossibile sit, ea

semel

semel fixa reuellere, vt ostendimus tract. præc. c:4. vbi satis probatum est, ex PP. Pœnitentiæ dilationem ex peccandi consuetudine signum esse reprobationis penè infallibile. Adde his occasiones peccandi innumerabiles ortas, vel ex affectu comparandi diuitias, vel retinendi. Quippè radix omnium malorum est cupiditas 1. ad Timoth. 6. Adde appetitum propriæ excellentię stimulantem semper ad maiora, cum ferè nemo sit sua sorte contentus. Adde illecebras voluptatum, fraudes, periuria, ipsasmet sollicitudines huius vitæ, quæ suffocant semen Verbi Dei. Hoc apertè significauit Christus Lucæ 8. super parabola seminis, dum dicit. *Aliud cecidisse secus viam: aliud inter spinas: aliud supra petram: aliud in terram bonam.* Semē est verbum Dei, vt ipsemet Christus explicat, quod propter varia impedimenta in triplici terra fructum non fecit. Nempè, vt loquitur Paulus ad Hebr. 6. *In terra reproba, & maledicto proxima.* In vnica verò, *fructum attulit in patientia* idest per patientiam *in animis electorum*, vt explicat Glossa, & alij. Impedimenta igitur sunt causa, vt triplex sit terra *reproba*, quibus vna opponitur *terra bona*, & fructificans. Idque in terris, in quibus seminatum est verbum Dei, nempè inter fideles. Quod colligit Christus ex varijs impedimentis salutis, nempè ex *voluptatibus, diuitijs, & sollicitudinibus*: quæ sunt impedimenta difficultantia salutem etiam inter fideles.

Luca 8.

Ad Heb 6.

292 Con-

292 Confirmatur tertiò ex difficultate orta non ſolum ab intrinſeco ex vi naturæ corruptæ, & propenſione ad delectabile oppoſitum honeſto, ſed etiam ab extrinſeco ex vi dæmonum, quorum innumerabiles exercitus obſidentes hũc aerem, toti ad animarum damnationem incumbunt. Quod expendens Apoſtolus ad Epheſ.6. *Non eſt* (inquit) *nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem: ſed aduerſus principatus, et poteſtates: aduerſus huius mundi rectores tenebrarum harum: aduerſus ſpiritualia nequitię in cæleſtibus*. Nempè tales hoſtes, qui dum nos, aut ſomno, aut alijs neceſſarijs vacamus, ipſi ſemper vigiles, diù noctuque nihil, niſi hominum perniciem meditantur. Vt, quemadmodum notat Iſidorus. *Qui ſe continuò damnandos conſpiciunt, ſocios ſibi multiplicent: cum quibus gehennę ignibus addicantur*. Adde vt notat idem Iſidorus, *Dæmones triplici acumine ſciẽtiæ vigere, ſcilicet ſubtilitate naturæ, experientia temporum, reuelatione ſuperiorum poteſtatum*. Quia dæmones natura ſuperiores adiuuant alios inferiores. Adde dæmonum odium incredibile contra hominem, contra quem odium Dei detorquent, tanquam contra imaginem Dei. Quod explicat Baſilius hom. in aliquot Scripturæ loca, ſimilitudine Pardalis. Nam *ſicut hęc furibunda hominis imaginem concerpit, atque dilacerat, hoc argumento ſatis oſtendens quanta ſit eius contra hominem inimicitia: Sic Diabolus in Dei imagine, quo ſit erga Deum*

Ad Epheſ 6.

S. Iſyd. lib.1. de ſum bo.

odio,

odio ostendit, quando Deum ipsum nequit attingere. Adde occultas Diaboli fraudes; & vt ait Cypr. tr. 3. de Præl. simpl. *circumueniendi homines tectam, latebrosamq; fallaciam: vt asserere videatur noctẽ pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi; vt dum verisimilia mentitur, veritatem subtilitate frustretur.* Adde apertam eiusdem audaciam, vt notat Augustinus serm. 4. inter cõmunes, *posuit in cælo bellum, in Paradiso fraudem, inter paucos homines odium, et in omni opere nostro zizaniam seminauit. Nam in cõmestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignauiam, in conuersatione inuidiam, in gubernatione auaritiam, in correctione iram, in dominatione superbiam. In corde posuit cogitationes malas, in ore locutiones falsas, in membris operationes iniquas. In vigilando mouet ad praua opera, in dormiendo ad turpia somnia: lætos ad dissolutionem, tristes mouet ad desperationem.* Denique mundus vniuersus Diaboli laqueis plenus magno Antonio ostensus est, teste Athanasio in eius vita: ita vt vir ille Sanctissimus pænè desperaret posse aliquem ab ijs euadere. Quod alia similitudine expressit Saluianus qui: *Sicut* (inquit) *exercitus pugnaturi ea loca, per quę venturas hostium turmas sciunt, aut foueis intercludere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur, vt etiam si non in omnia quispiam incidat, nullus tamen omnia euadat; ita etiam Dæmones tam multas in vita ista prætendunt*

Cypr. tr. de Præl. simpl.

Aug. ser. 4.

Saluian de prou. lib. 6.

tendunt humano generi illecebrarum insidias, vt etiam si earum plurimas aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur. Non potuit exprimi clarius difficultas euadendi è tot laqueis ad salutem. Quod manifestius apparebit in singulis si dicatur cum Nysseno, & alijs, singulis hominibus assignatos esse à Lucifero singulos dæmones: qui oppositi custodibus Angeli sint ad procurandam eius ruinam, cui trahendo secum ad inferos sint addicti. Contra tot, tamque potentes hostes, tot nostris passionibus, tot mundi, & carnis illecebris ad nostram perniciem fœderatos tota vita pugnare, ac tandem victoriam reportare paucorum est: sicut paucorum est cum tyrannis pugnando in persecutionibus fidei, martyrio coronari. Immò, si Ambrosio credimus, difficultatem hæc cum dæmonibus pugna continere videtur maiorem, quã pugna martyrij. Quippè *hi sine gladij terrore, mentem hominum frequenter elidunt, & illecebris magis, quam terroribus animos expugnant fidelium. Hi hostes cauendi: hi grauiores tyranni, per quos Adam captus est: & multi in persecutione publica coronati, occulta hac persecutione ceciderunt.* Hæc de Diabolo victoria tam paucorum est, vt affirmet Ambrosius, multos martyrio coronatos, idest sub tyrannis fortiter grauia pro Christi fide perpessos, *occulta hac persecutione* (dæmonum) *cecidisse*: quasi erepta illis è capite corona martyrij, quam tot tormentorum perpessione pænè perceperant. Hæc de

Nissen. in vita Moysis.

S. Amb. in ps. 118 lit. xx. v. 5.

difficultate salutis orta ab extrinseco ex impugnatione Dæmonum.

293 Confirmatur quartò hæc eadem difficultas salutis ex districtione diuini iudicij, in quo examinantur non solum opera externa; sed etiam cogitationes, & intentiones cordium: cum ex Paulo ad Hebr. 4. *Dei sermo (idest sententia) pertingat vsque ad diuisionem animę, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis*. Hæc districtio diuini iudicij declaratur Iob. 4. *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur? Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Quantò magis hi, qui domos habitant luteas, & terrenum habent fundamentum?* Quod si Deus propter vnicum, & momentaneum peccatum tantam Angelorum multitudinem, nullo dato spatio pænitentiæ, irremissibiliter detrusit ad inferos; satis in hoc ostendit, quam strictè discussurus sit tantam multitudinem peccatorum in homunculis, non vnico momento, vt Angeli, sed per annos integros contra Deũ superbientibus. Ideò Bernardus, *Quid* (inquit) *putas? indifferenter admittet homines ad illud tantæ beatitudinis templum, qui nè ipsos quidem Angelos in eo indifferenter reliquit? An non discernet inter glebas, qui discernit inter stellas? Qualem ergo putas necesse est hominem inueniri, qui repudiati locum Angeli sortiatur?* Ideò etiam dicitur Iob. 25. *stellę non sũt mundæ in conspectu eius*; idest ij ipsi, quorum virtus ità

Ad Heb 4.

Iob. 4.

Bernar. ser. 2. de verbis Isaiæ, vidi dominum.

Iob. c. 25

micat

micat in Ecclesia, vt eluceant tanquam stellæ. Quamobrem Gregorius *Stellæ* (inquit) *non sunt mundæ: ac si apertè diceretur, si ipsi quoque esse sine contagio non valent, qui inter præsentis vitæ tenebras virtutibus lucent: quanto reatu iniquitatis obstricti sunt qui adhuc carnaliter viuunt? si à peccato esse liberi nequeunt, qui in cęlestibus desiderijs conuersantur: quę peccatorum pondera tolerant, qui carnis suæ voluptatibus dediti, adhuc putredinis iugum portant?* Idem argumentum fieri potest ex eo, quod dicitur Soph. 1. *Scrutabor Ierusalem in lucernis*; sicut fieri solet dum minutissima quæque quæruntur. Si peccata eorum, qui pertinent ad Hierusalem, nempè iustorum, scrutabitur in lucernis: quomodo scrutabitur peccata eorum, qui pertinent ad Babylonem? Præterea dicitur psal. 74. *Ego iustitias iudicabo*. Neque mirum cum pronunciet Isa: cap. 64. *Omnes iustitiæ vestræ tanquam pannus menstruatę*. Quod si iustitiæ in conspectu Dei ita sordidæ, quid iniquitates, & iniustitiæ? Denique vt infertur 1. Petri 4. *si iustus vix saluabitur impius, & peccator, vbi parebunt?* Aduerte hoc nomen iusti tribui à Scriptura viris Sanctissimis, nempè Noè. Gen. c. 6. *Noè vir iustus*. Simeoni *cum esset vir iustus, &c.* Lucæ 2. & Iosepho sponso Deiparæ *Ioseph autem vir eius cum eßet iustus, &c.* Matth. 1. Si iustus vix saluatur, quod iudicium ferendum de impijs? Ideò S. Ephrem. serm. de pat. & compunct. *Quis* (inquit) *horrendum audiens verbum*

Greg. lib. 27. mor. c. 10.

Soph. 1.

Ps. 74.

Gen. 6.

Luca 2.

bum ad Deum singulis horis clamare cessabit? Ait enim Scriptura, si iustus vix saluabitur, impius, &c. Hieronymus etiam lib. 2. contr. Pelag. quærens quomodo iustus vix saluetur, cum certissimum sit, eos qui verè iusti sunt in diuino iudicio saluari, refundit hoc ad districtionem diuini iudicij, quod formidant etiam iusti. *Iustus* (inquit) *vix saluatur in eo quod in quibusdam Dei indiget misericordia. Nam, licet nihil praui sibi conscius sit, tamen sciens, quod non in hoc iustificatur, donec eum iudex iustificet, formidat, & decertat.* Comprobatur hoc memorabili exemplo, quod narrat Climacus grad. 7. de quodam solitario. Qui cum in loco ab omni humana conuersatione remoto, pœnitentiam per annos plurimos egisset, in extremum morbum incidens, cœpit coram discipulis, qui posteà id narrarunt, circumspicere modò dexteram partē lecti, modò sinistram, & quasi rationem ab eo quidam exigerent, cunctis, qui astabant audientibus, aiebat. *Ità sanè: sic reuera est. Sed pro hoc* (peccato) *tot annis ieiunaui. Aliquando verò: non certè; mentiris, hoc non feci. Deindè rursus, ità verè est, sed fleui, sed ministraui. In quibusdam aliquando aiebat, ità sanè: quid ad hæc dicam, non habeo: ideò misericordia est. Erat profectò spectaculum horrendum, ac terrificum, inuisibile illud, sęuissimumque iudicium, in quo etiam quietis, ac solitudinis sectator in nonnullis peccatorum, quid ad ea respondere posset, se non habere dicebat: qui iam ferè quadraginta annos monachus fuerat:*

Hieron. l. 2. con. Pelag.

rat, & lacrymarum gratiam habuerat. Et infrà, *Hic cum adeò infesta ab eo ratio exigeretur, carne solutus est. Quod iudicium, quis terminus, quę sententia, quis rationis finis fuerit, incertum pænitus relinquens*. Hæc quam *tristitiam miserabilem* appellat Climacus, apertè demonstrat, quid de paucitate prædestinatorum dicendum sit. Si enim Anachoretæ huius alioquin sanctissimi à Sanctis illi Eremi Patribus incertus penitus iudicatus est exitus; quia pro singulis peccatis, quorum ab eo ratio exigebatur, quamuis ad misericordiam Dei confugeret, speciales assignare non potuit pænitentias: manifestè apparet districtio diuini iudicij, & quam pauci diuini examinis seueritatem euadant, iuxta id, quod superius dictum est, *si iustus vix saluatur, &c.* Et ideò Sancti viri hoc iudicium pertimescẽtes, peccata in se seuerissimè puniunt, assiduis lacrymis, & afflictationibus corporis, iuxta superius dicta tractatiuncula 1. cap. 5. Quamobrem, vt benè aduertit Saluianus. *Si quis vult scire quam grauiter censenda à Deo sint magna crimina, discat qualiter in semetipsis puniant sancti etiam leuia peccata conscij ex ipsius Dei dictis futuri examinis*. Ad significandam huius examinis districtionem Sanctus Michael, cuius est repræsentare animas in Dei iudicio, ex vsu antiquo Ecclesiæ, depingi solet cum statera, in qua gemina lance librantur pondera operum, tum bonorum, tum malorum, vtraque expendenda adamussim ad tutrinam. Quamobrem

Saluian lib. 4. de Ecclesia catholica.

S. Amb. lib. de Apologia Dauid c. 6.

obrem Ambrosius. *Habet* (inquit) *quis bona merita: habet vitia, atque peccata. Omnia itaque nostra quasi in tutrina ponderantur, si bonis igitur factis peccata preponderant, procedunt ad iudicium. Vergunt enim peccata, quasi in profundum: & vergunt vel pondere, & acerbitate, vel multitudine.* Expendatur in communitate hominum etiam fidelium, quam pauca sint bona (quandoquidem bonum ex integra causa) & bona non quæcumque, sed supernaturalia, ac meritoria vitæ æternæ; quam multa sint opera mala, cum malum sit ex singulis defectibus: & quantum bonis mala præponderãt, vel grauitate, vel multitudine, cum plures sint libri mortis assignati operibus malis, vnus liber vitæ continens omnia opera bona, vt ex Apoc. 20. notatum est supra. Ex his ita breuiter formo argumentum. Vbicumque bonis peccata præponderant, ibi præsumitur reprobatio. Sed in communi statu adultorum, vt in pluribus peccacata bonis præponderant. Ergo in communi statu fidelium, vt in pluribus præsumitur reprobatio. Maior desumpta est ex Ambrosio. Minor patet experientia, testibus Origene, Chrysostomo, & Augustino mox adducendis. Consequentia tenet ex forma. Hæc de paucitate electorum ex districtione diuini iudicij.

294 Confirmatur quintò ex alijs, quæ in Scripturis statuuntur tanquam necessaria ad assequutionem salutis, quibus mensurare debemus

pauci-

paucitatem, aut pluralitatem electorum præ reprobis. Primò Dauid psal. 14. quærens *Quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.* Respondet, *qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*. Item ps. 23. mouens idem quęsitum *quis ascendet in montem Domini, &c.* Ręspondet, *innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam.* Hæc quàm paucis conueniunt definit sapiēs Prouerb. 20. *quis potest dicere mundum est cor meum?* Secundò dicitur Matth. 10. *qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.* Quisquis autem Christo dignus non est, inter prædestinatos non est. Quotus autem quisque fidelium est, de quo verificari possit, *quod accipit crucem suam, et sequitur Christum?* Crucem enim mortificationem Christus intelligit, vt exponit Gregorius hom. 33. in Euang. & vt notat Euthimius in hunc locum, *Crucem vocat Christus mortem ad ea, quę mundi sunt: quia mortis instrumentum crux erat. Oportet enim eum qui Christum sequitur mortuum esse ad voluptates mūdanas.* Quam pauci dici possunt ad has mortui? Tertiò dicitur ibidem: *qui inuenit animam suam, perdet eam: et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*: siue vt Io: 12. *qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Igitur, qui amant animam suam, idest vitam suam, ij sunt reprobi: qui odio habent, prædestinati. Animaduertatur, quam rari sint fideles, qui propter Chri-

Psal. 23

Prou. 20

Mat. 10

Gregor.

Euthymius.

Ioan. 12

Christum *odio habeant vitam*. Audiant Apost. ad Philip. 2. *omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi*. Certè effectus, qui fiunt per causas contrarias recensentur inter miracula. *Magna autem* (vt notat Augustinus) *& mira sententia, quod hominis sit in animam suam amor, vt pereat; odium, ne pereat*. Quippè vt ait Tertullianus *voluit Deus vitam auferendo conferre: carnem lædendo iuuare: animam eripiendo seruare*. Hæc gratiæ miracula non contingunt, nisi, vt in paucis, sicut miracula in cursu naturæ. Quartò dicitur Matth. 18. *nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum*, in quem locum Hilarius, *non nisi reuersos in naturam puerorum introire in regnum cælorum dominus docet, id est per simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum, animarumque reuocanda*. Expendat humana superbia, quam pauci inter fideles reuersi sint ad simplicitatem, & humilitatem puerorum? Quintò dicitur Lucæ 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei*, Quam multi deficiunt à cæptis operibus gratiæ, & recidiui respiciunt retrò ad priora peccata, quos Christus pronunciat prorsus ineptos regno Dei? Qui nosse velit, quid sit retrò respicere, audiat Basilium ser. 1. de Bapt. v*bi respicit retrò* (inquit) *qui vel breuem moram interponit obedientiæ, quæ Domino sine prætextu, vel excusatione velociter, & sine suspensione præstanda est*. Adstipulatur Euthymius in eum locum, vbi,

Ad Phi lip. 2. · *Aug. tr. 51. in Io.* · *Tertull in Scorpiaco c. 5* · *Mat. 18* · *Luc. 9.* · *Basil.* · *Euthym*

vbi, *oportet* (inquit) *eum, qui ſequitur Chriſtum, confeſtim omnia deſpicere, & ſequi, nè oculos quidem ab eo diuertendo: nè fortè, & habitu, & ſpecie eorum, quæ à tergo ſunt, retineantur*. Hoc eſt reſpic ere retró: cum quo ex Chriſti oraculo, nemo eſt aptus regno Dei. Sextò dicitur ad Rom.8. *Quos pręſciuit, & prędeſtinauit cõformes fieri imaginis filij ſui*. Quod explicans ibidem verſ.17. *Si tamen compatimur vt & conglorificemur*. Quam pauci ſunt, in quibus Chriſti imaginem recognoſcas? tales, de quibus meritò dici poſſit eſſe paſſos cum Chriſto, vt de ijs pronunciari poſſit, glorificandos eſſe cum Chriſto? Quis gloriari poteſt, *adimplere ſe, quæ deſunt paſſionum Chriſti*? ad Coloſſ.1. ſiue, vt loquitur Cyprianus epiſt.12. *collegam paſſionis factũ eſſe Chriſto*? Septimò. Gloria vocatur à Paulo *corona iuſtitiæ, quam reddet in illo die iuſtus iudex*. 2. Timoth.4. Expendatur quot ſunt, qui ità ſe gerunt vt exigere poſſint gloriam tanquam *coronam iuſtitiæ*, ideſt ſuis operibus debitam ex iuſtitia à Domino? Qui, vt notat Auguſtinus, *ijs, quibus donauit gratiam miſericors Pater, reddit coronam iuſtus iudex*? Quia ſcilicet in hac vita dat gratiam, vt donum ex miſericordia: in altera reddit coronam, vt mercedem, non niſi ex iuſtitia. Diſcutiant, an multi poſſint dicere, vt notat idem Auguſtinus, *Deum ita eſſe ſibi debitorem, vt poſſint illi dicere, redde quod promiſiſti, quia fecimus, quod iuſsiſti?* Octauò dicitur 2. ad Timot.2. *Qui certat in agone, non*

Ad Ro. 8.

Coloſſ.1.

Cypr. epiſt.12.

2. Tim. 4.

Auguſt. de grat. & lib. arb. c.6.

Idem ſer 16. de verbis Apoſtoli

2.Tim.2

coronatur, nisi legitimè certauerit, ideſt iuxtà leges in agone præſcriptas. Quam pauci autem ſunt, de quibus verè dici poſſit in hac vita certaſſe, & viciſſe: vt his poſſit præſagium fieri de corona danda victoribus, iuxta illud Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum, etc.* Ideò Chryſoſtomus. *Delicatus* (inquit) *es miles, si putas poſſe te sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires: fortior dimica: atrociter in prælio iſto concerta: considera pactum: conditionem accende: militiam noſce, pactum, quod ſpopondiſti, conditionem, qua acceſsiſti, militiam cui nomen dediſti.* Alludit ad baptiſmum, in quo quis Chriſtianæ militiæ adſcribitur, ſponſione baptizati nomine facta, quod *renunciaturus sit diabolo, et pompis eius*. Hoc eſt eſſe Chriſtianum, pro Chriſto militare contra diabolum, & pompam eius. Quam pauci ſtant huic promiſſo? Quam multi à Chriſti militia transfugę diabolum ſequũtur, & pompas eius? Ideò Auguſtinus; *Deprehenderis* (inquit) *et detegeris, Chriſtiane, quando aliud agis, et aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonſtrans in opere, non tenens promiſsionis tuæ fidem. Modò ingrediens Eccleſiam orationes fundens, poſt modicum in ſpectaculis cum hiſtrionibus clamans*. Expendatur quam leuis noxa nunc habeatur intereſſe ſpectaculis, acclamare in comedijs, quod per violationem Chriſtianitatis habetur ab Auguſtino. Neque mirum, cum hæc inter pompas Diaboli numerentur: ideò ſubdit, *quid tibi cum pompis*

Apoc. 2.

Chryſoſt ſerm. de mart. qui habetur to. 3.

Aug. in tract. de Sym. ad Cathec. lib. 4. c. 1

pompis diaboli, quibus renunciasti? Profectò, nisi nobis blandiri velimus, pauciores sunt, qui abrenunciant pompis diaboli, quam qui non. Ergo pauciores, qui seruant pactum, & conditionem baptismi, cum nomen dederunt Christianæ militiæ, quam qui non seruant. Ergo pauciores sunt inter Christianos, qui sunt, vt boni milites coronandi, quam qui non. Nonò dicitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, & Iacobi 2. *Quicumque totam legem seruauit, offendit autem in vno, factus est omnium reus*, quia scilicet vnica vnius mandati transgressio satis est ad reprobandum.

Mat. 19

Iacobi 2

295 Hoc inter postrema colloco; quia obseruantia omnium mandatorum est certissimum requisitum, sine quo ex adultis saluari neminem, in confesso est apud omnes. Examinemus nunc, quot sunt, qui plenè seruant mandata, vt ex hoc inferri possit, quot sint, qui saluentur. Est argumentum, quod fit passim à Patribus ad inferendã inter fideles paucitatem electorum. Origenes loco supra cit. *Si quis* (inquit) *consideret multitudinem, quæ in Ecclesijs congregatur, & discußerit quanti conuersentur disciplinati, etc. videbit, quod verus est sermo Domini, multi vocati, pauci electi*. Chrysost. hom. 40. cum dixisset, *in tot millibus non posse inueniri centum, qui saluentur*, subdit ad id probandum; *Quanta enim in iuuenibus malitia? quantus torpor in senibus? etc.* Idem lib. 1. aduers. vitup. vitæ

Origen

Chrysost. hom. 40. ad pop. Ant. & lib. adu. vitup. vit. monast.

 mona-

monasticæ cum dixisset, *ampliorem esse peccantium partem, et salutem præfinitam in paucis*, id statim probat ex communi transgressione mandatorum. *Quis* [inquit] *non fatuum appellat fratrem? caue id: namque igni sempiterno facit obnoxium. Quis non intendit impudicis oculis in mulierem? hoc autem consummatum adulterium, plenissimumque flagitium deputatur. Adulter autem, quod sit projiciendus in gehennam omnibus profectò constat. Quis non deierauit? quis nunquam omninò amicis inuidit? Hoc vitio publicanis ipsis, & Ethnicis deteriores facti? Quod autem huiusmodi effugere supplicia æterna non possint, ita liquet, vt non possit clarius. Quis furorem omnem atque iracundiam abiecit: peccataque omnium in se delinquentium remisit? At is, qui non dimiserit quod æternis supplicijs adijciendus sit, nemo qui Christum audierit, refragabitur.* Quis *non seruit mammonæ? sed qui huiusmodi seruit, Christi seruitutem abiecit.* Qui *verò Christo seruire abnuit, salutem suam penitus abnegauit.* Quis *occultè nulla in aliquem maledicta coniecit? eos autem, qui sunt huiusmodi, vetus quoque lex iubet interfici.* Et infrà ità concludit. *Omnes veluti ex signo quodam per vitiorum, ac flagitiorum omnium abrupta feruntur.* Hæc ætate Chrysostomi: in qua pænè vbique terrarum florebat Christiana pietas, ac religio.

Non prætermittam alium insignem locum eiusdem Chrysostomi hom. 4. in Matth. vbi ex cōmuni transgressione mandatorum, ostendit pau-

cita-

citatem Christianorum, qui verè Christiani sint: & ex operibus discerni possint ab infidelibus: & perconsequens ostendit paucitatem electorum; cum in adultis necessarium requisitum prædestinationis sit fides probata per opera. Locus est prolixior: excindam aliqua? Fidelis (*inquit*) non modo à communione mysterij, sed etiam ex nouitate vitæ debet agncosci. Fidelem enim sal esse conuenit, & luminare mundi. Sin verò nè tibi quidem ipse luceas, & nè propriam quidem putredinem, fœtoremque detergas, quibus te indicijs possem fidelem agnoscere? Si ex loco te scire iurauero? in circo te, theatroque conspiciam, totos dies in vanissimis illis cætibus exigentem; vel in foro corruptis [illegible]moribus, pestiferisque coniunctum. Si ex motibus corporis notitiam tui habere quæsiero? videbo te horrentibus cachinnis, & fædissima iucunditate resolutum. Si te à veste cõsiderem? nihil à scenico habitu distare cognoscam. Si à sermone? in his te audiam omninò nihil sanum, nihil serium, quodque ad disciplinam nostram spectet, loquentem. Si à cibo? maior hinc profectò accusationis materia oritur. Vndè igitur? responde mihi, potero fidelem te esse cognoscere, cum omnia ista, quæ diximus, apertissimè infidelem te esse cõuincant? & quid dicam vtrum fidelis? nec si homo verè sis possum euidenter agnoscere. In-

Chrysost. hom. 4. in Mat.

terdum

terdum enim, vt asinus calcitras, vt taurus superbis, vt equus libidine incensus, sic hinnis. Interdum in epulis vrsorum imitaris voratum & pinguedine corpus mulorum more distẽdis. Cum in exercenda simultate camelum, lupum imiteris rapina: cum irascaris, vt serpens, & atrocitate scorpionum percutias: cum sub dolo insidieris vt vulpes: cum veneno malignitatis armeris, vt vipera: cum quasi diabolus ipse aduersus fratres crudelia bella suscipias: quonam modo, qua ratione in hominum te possum numero collocare, nulla in te cernens humanę signa naturæ? Quid appellare te debeo? feram? sed illæ vno aliquorum vitio tenentur: tu verò simul omnia colligendo, longè ferarum irrationale, stultumque transgrederis. An te potius appellem diabolum? sed ille nec pecunias concupiscit, nec tyrannidi ventris obsequitur. Cum igitur in te plura vitia sint, quàm in bestijs, atque dæmonibus responde obsecro, vndè te possum iure hominem nuncupare? Si verò te hominem appellare nequeo, quo tandem modo potero te fidelem vocare? Hæc ille: quæ vtinam etiam nunc non quadrarent in commune vulgus fidelium, qui Christiani vocantur; & quoad viuendi licentiam non discernũtur ab infidelibus. Si ergo ex ipsis fidelibus multò plures per hanc viam latam gradiuntur, quam per viam arctam mandatorum: manifesta est consequen-

ſequentia multò plures ad perditionem duci, quã ad ſalutem. Eandem illationem facit Auguſtinus enarr. in pſal.47. proſequens hoc idem argumẽtum. Nam cum dixiſſet de ſaluandis, *quam pauci ſunt, vix inuenitur aliquis*, ſubijcit ad id probandũ *quot enim ſunt illi, qui videntur ſeruare præcepta? Vix inuenitur vnus, vel duo, vel pauciſſimi*.

Aug. in pſ.47.

296 Valet igitur apud Patres hæc illatio, pauciores ſunt, qui ſeruant præcepta, quàm qui non ſeruant: Ergò pauciores ſunt, qui ſaluantur, quam qui non ſaluantur. Adde, debere ſeruari præcepta vſque ad mortem: cum ſcriptum ſit Matth. 10. & 24. *Qui perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit*. Donum autem perſeuerantiæ continet ſpecialem, & maximam difficultatem: vt docent Theologi in materia de gratia. Denique de vniuerſali tranſgreſſione præceptorum dicitur pſal. 13. *Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. Non quod ſiue ætate Dauidis, ſiue noſtra non ſint aliqui iuſti: ſed quia tam pauci ſunt boni, vt non appareant inter malos. Sicut inquit Auguſtinus loc. cit. *Quiſquis aream videt poteſt putare, quod ſola ſit palea. Plures autem ſunt mali: vt inter eos boni non appareãt.* Decimò denique pręcepta omnia illis duobus innitũtur: quæ ex lege veteri repetijt Chriſtus Matt. 22. nempè, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. In his

Pſal.13.

Aug. l. cit.

Mat.22

duo-

duobus mandatis vniuersa lex pendet. Quotusquisque fidelium diligit Deum ex toto corde suo & proximum, sicut seipsum? Certum est autem, sine obseruantia huius duplicis præcepti dilectionis, adultorum prædestinari neminem. Declarat hoc egregiè Augustinus enar. in psal. 64. vbi dicit prædestinatos omnes pertinere ad Hierusalem, reprobos ad Babylonem. *Quas Ciuitates* (inquit) *nunc permixtas in fine separandas ostendit Dominus: cum alios ponet ad dexteram, alios ad sinistram. Hierusalem ad dexteram est, Babylon ad sinistram. Hierusalem auditura est veniti benedicti: Babylon, ite in ignem ęternum. Duas istas Ciuitates faciunt duo amores. Hierusalem facit amor Dei: Babylonem facit amor sęculi. Interroget se Christianus, quid amet: & inueniet vndè sit Ciuis*. Quod magis „ declarans lib. 11. in Gen. *Hi* (inquit) *duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter priuatus; alter acceptus Deo, alter æmulus; alter tranquillus, alter turbulentus; alter veritatem laudibus pręferens, alter gloriæ auidus; alter amicabilis, alter inuidus; alter hoc volens proximo, quòd sibi; alter volens proximum subijcere sibi; alter propter proximi vtilitatem regens proximum: alter propter suam; alter iu bonis, alter in malis. Et distinxerunt conditas in genere humano Ciuitates duas, alteram iustorum, alteram impiorum: quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur seculum, donec vltimò iudicio separentur. Et altera coniuncta Ange-*

Aug. in psal. 64.

Aug. lib. 11. in Gen. c. 15

lis

lis bonis cum Rege vitam consequetur æternam: altera coniuncta Angelis malis in supplicium mittentur æternum. Non potuit clarius explicari collectio electorum, & collectio reproborum. Vt autem videatur alterutrius apud fideles sit maior numerus, debet videri, an plures inter fideles pertineant ad amorem Dei, & proximi cum circumstantijs ab Augustino explicatis, quàm ad amorem sui, & mundi? Sed defacto inter fideles adultos plures reperiuntur amatores sui, & mundi, quam amatores Dei in toto corde suo, & proximi, sicut suiipsius, quod nemo cordatus negabit. Ergo etiam inter fideles adultos plures reperiuntur reprobi, quàm electi: alioquin non valeret argumentum Augustini ex hoc duplici amore dignoscentis *cuiusquisque Ciuitatis sit ciuis*. Idest an pertineat ad Hierusalem cum electis: an ad Babylonem cum reprobis. Ideò ipsemet Augustinus enarr. in ps. 61. ex hoc colligit paucitatem electorum præ reprobis. Nam, cum quæreret cur Matth. 22. vno eiecto sine veste nuptiali, tamen, vt ibidem concludit Christus. *Multi sunt vocati, pauci electi* [illegible]. *Quomodò* (inquit) *proiecto vno de multis, pauci electi, nisi quia in illo vno multi? Omnes, qui terrena sapiunt; omnes, qui fælicitatem terrenam Deo præferunt: omnes, qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi, ad vnam illam Ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylon mysticè, & habet regem diabolum. Omnes autem qui ea quæ sursum sunt sapiunt: qui cælestia meditantur: qui*

Aug. in ps. 61.

cum sollicitudine in sæculo viuunt*, nè Deum offendant: qui cauent peccare: quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, iusti, pij, boni, omnes ad vnam Ciuitatem pertinent: quæ Regem habet Christum.* Et infrà. *Istę duæ Ciuitates permixtæ interim in fine sunt separandæ.* Paucitatem electorum in hac vita permixtorum cum reprobis colligit ex diuersis vtrorumque moribus, quod non benè colligeret, nisi pro certo assumeret, plures reperiri, qui terrena sapiunt, quàm, qui cælestia: plures amatores sui, quam Dei. Ex quo infert illos *pertinere ad Babylonem*, idest ad reprobos: hos *ad Hierusalem*, idest ad electos. Demum quàm strictè sentiendum sit de paucitate electorum patebit clariùs, si expendatur, quid sit ex eodem Augustino *diligere Deum ex toto corde*, quod ad prædestinationem in adultis requiritur. Quippè ille Deum alloquens. *Accende me* (inquit) *toto igne tuo, vt diligam te Deum meum ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota intentione mea, totius dulcedinis amoris tui plenus, totius charitatis flamma succensus.* Quã multis amor hic præcipitur? quàm pauci sunt, qui sic ardent? Origenes dicit, *toto corde Deum diligere*, nihil aliud esse, *quàm amare secundum totam recordationem, operationem, & cogitationem. Ex tota anima, vt eam pro Deo ponere paratißimus. Ex tota mente nil amplius proferre, quàm quę sunt Dei.* Bernardus *toto* (inquit) *corde diligemus, idest diligenter contra suggestiones Diaboli, nè subducamur; tota anima*

Aug. in Manue. li ca.10.

Orig. tr. 23. in Matth.

ma, dulciter contrà delectationes carnis, nè alliciamur; tota mente fortiter contra preßuras mundi, nè opprimamur. Pauci vtique sunt, qui sic Deum amant. Ergo etiam pauci sunt, qui saluantur; cum ab hoc amore fieri debeat prædestinationis iudicium ex Augustino. Ideò reuelauit Deipara. S. Birgittæ quod *sicut pauci fuerunt, qui habuerunt fidem rectam, quando Christus ascendit in cęlū: sic nunc pauci sunt, qui præceptum illud impleant, diliges Deum super omnia &c.* Animaduertatur, quàm pauci fuerint, *qui habuerunt fidem rectam quando Christus ascendit in Cælum*: cum non habeatur ex Actor. 1. *nisi turba hominum simul ferè centum viginti*. Postremò arguendo à fortiori. Plures præsumuntur boni, & seruatores mandatorum Dei è Sacerdotibus, quàm ex alijs inter fideles: Sed inter Sacerdotes sunt pauciores boni, quàm mali: Ergò multò magis inter fideles reliquos. Maior patet ex terminis, quia status sacerdotalis est sanctior. Minor probatur ex Hieronymo apud Euseb. dicente. *Ecce mundus vndique feruet Sacerdotibus: & tamen tàm sunt rarissimi Sacerdotes, quod vix è centum reperiatur vnus*. Adstipulatur his id, quod refert Ioannes Broniardus reuelatum cuidam fuisse, *tot Sacerdotes quotidie ad infernum descendere, vt non possit existimari plures in mundo esse*. Quibus consonat Chrysostomus *Non arbitror* (inquit) *inter Sacerdotes multos esse, qui salui fiant: sed multò plures, qui pereant*. Multò igitur magis de reliqua fidelium tur-

S. Birgit lib. 6. reuel. c. 47.

Hieron. apud Euseb. in epist. ad Damasum.

Chrisost. hom. 3. in Act.

ba affirmandum est inter eos *rarissimos esse bonos; ita vt vix è centum reperiatur vnus: & sic multò plures esse, qui pereant.*

PARAGRAPHVS XXII.

In quo præfato argumento fit satis.

297 RESpondeo ad argumentum principale distinguendo maiorem: omnis assequutio finis habens in medijs difficultatem difficulter insuperabilem, deficit in pluribus, contingit in paucioribus, concedo maiorem. Habens difficultatem facilè superabilem, deficit in pluribus, contingit in paucioribus, nego maiorem, & etiam minorem. Ad cuius primam probationem distinguo iterum antecedens. Media ad finem salutis sunt contra inclinationem naturalem creaturæ præcisè, & nudè sumptæ, transeat antecedens: sunt contra inclinationem naturalem creaturæ vberiorum gratiarum affluentia perfusæ? nego antecedens. Ad secundam probationem responderi potest primò concessa maiori, distinguendo denuò minorem: Ex se magis inclinatur voluntas ad bonum sensibile præsens, & clarè cognitum, quàm ad bonum abstractum futurum, & obscurè cognitum: De voluntate præcisè, & nudè sumpta: transeat minor. De voluntate præsidio vberioris gratiæ munita: nego minorem, atque adeò consequentiam. Dato igitur quod in medijs sit aliqualis difficultas, hæc tamen

tamen non impedit facilitatem attritionis vt ſatis probatum eſt ſuprà §.2.num.154.: & dato quod aliqualiter impediat ex parte naturæ, vt ſic, & præcisè ſumptæ: omne tamen impedimentum tollitur ab ea, cæleſti gratia adiuta, diuinoque auxilio ſuffulta; ſicut enim voluntas nullam patitur difficultatem operandi, quando ex motiuo propriæ libertatis operatur: multò minus difficultatem patitur, quando a Deo mota operatur; *Deus enim* (vt docet Auguſtinus) *habet humanorum cordium, quocumque voluerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, & magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*. Ideò Caiet. exponens verba illa Prou.21. *ſicut diuiſiones aquarum ità cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit vertet illud*, ſic ea declarat: *efficaciam ſimul, & facilitatem diuinæ operationis ad inclinandum cor hominis, quocumque Deo placuerit, deſcribit Salomon inſtar diuidentis aquam in multos riuos; facillima eſt enim aqua in multos riuos, eò quod aqua non reſiſtit diuiſioni*. Patet ergo, quod ſicut Hortolani operatio facillimæ eſt efficaciæ ad diuidendam aquam in plures riuulos: nec oportet laborare ad huiuſmodi diuiſionem, licet laborare opus ſit ad faciẽdos alueos, & foſſas, per quas deducatur aqua. Ita Deus facillimè, & efficaciter mouet cor humanum, illudque quocumque voluerit inclinat, & vertit.

Auguſt. lib. de corr. & gratia cap.14.

Prou.21

298 Hinc rectè colligi poteſt aſſecutionem

gloriæ

gloriæ contingere, vt in pluribus fidelibus adultis, de quibus procedit quæstio: Nam Deus (vt patet ex præcedentibus) maiori fidelium parti confert gratiam, qua valeant mediorum difficultatem superare. Et quidem hoc deducitur ex illo Apostoli. *Deus est Saluator omnium, sed maximè fidelium:* Nam verba hæc declarans S. Prosper, sic ait: *Dicendo enim, quod est Saluator omnium hominum confirmauit bonitatem Dei super vniuersos homines generalem: adijciendo autem maximè fidelium ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei diuinitus inspiratę, ad summam, atque æternam salutem spiritualibus beneficijs prouehat.* Ex quibus patet, Deum, iuxta D. Paulum, vltrà gratiam sufficientem, & generalem, quam confert omnibus hominibus, conferre fidelibus gratias longè vberiores, quibus, vel in vita, vt plerique fidelium faciunt: vel saltem in mortis articulo, vt faciunt ferè omnes, se præparent, & disponant ad gratiam iustificantem: Et quamuis Deus talia vberiora auxilia, regulariter loquendo, nulla legis necessitate conferre teneatur; tenetur tamen aliquo modo ex eo, quod maximè fidelium se exhibuerit Saluatorem; per hoc enim videtur quodammodo teneri, plerisque fidelium, qui si ex fragilitate, vel malitia ciciderunt, illicò per pęnitentiam resurrexerunt, & tandem in vltima vitæ linea per sacramenta se præpararunt, efficacia, siue congrua auxilia conferre, vt per gratiam iustifican-

1. ad Ti. 4.10.

S. Prosp. seu Auctor lib de voca. gen. quit habetur opera D Amb. t. 4

stifican-

ſtificantem ſanctificati vitam æternam conſequā-tur. Mouetur inſuper prædicta auxilia conferre validiſſimo Deiparæ obtentu, cuius obſequio, cultuique maior fidelium pars mancipata eſt; intuitu enim interceſſionis, & meritorum eius Deus pronus eſt ſua beneficia eius clientulis conferre, eorumdem intellectum ſplēdidioribus radijs circa æterna illuminare: pium in eorum voluntate affectum concitare, reluctantes, ſi qui ſunt, etiam prodigijs ad vitam in melius mutandam, trahere; bonos Angelos hortatores ſubmittere: & tandem (ſi fuerit opus) ex alto tonare, & fulmina in improba capita torquere, quale olim in Saulum adhuc ſpirantem minarum, & cædis in diſcipulos Domini, fæliciter torſit. Proprium enim Dei eſt, & eius gratiæ talia mirabilia patrare iuxtà illud Pſalmi 109. *Conquaſſabit capita in terra multorum.* Vbi incognitus meus *ſcilicet Gentes capita malorū: quia conquaßando, & diſſipando multorum vitia, ipſos iuſtificabit, & ipſis ruinas Angelorum implebit. Vndè hic ait Gloſſa, conquaßabit capita in terra multorum, quia vt impleret ruinas Angelicas, hic in vita iſta de multis ſuperbis humiles facit.* Porrò Deus per gratiam efficacem, ſiue vberiora auxilia, quæ pleriſque fidelium confert, quamuis non tollat difficultatem, quæ naturam humanam ab operibus meritorijs retinet; tamen eam ità minuit, & & extenuat, vt à fidelibus facillimè ſuperetur; & ideò dixit Damianus. *Spiritus, qui ex Deo eſt, quas replet*

Pſa. 109

Incognit Carmelita Glo.

B. Petr. Damia. ſerm. de Spiritu Sancto.

replet mentes ad cælestia prouocat: & expulso torporis & negligentiæ frigore, ad amorem diuinum inflammat: petulantia carnis desideria reprimit, & liberum cor ab omni terrena delectatione suspendit. Ille reddit hominem ad despicienda prospera rigidum, ad aduersa superanda robustum: ille exhibet benè viuentibus humiliter subditum, ille obijcit prauè agentibus in iura liberę auctoritatis erectum. Vndè non immeritò Bernardus, *quod per naturam* (inquit) *est impossibile per gratiam Dei non solum possibile, sed & facile fit.* Gratia igitur vel extenuat vel superat difficultates, quas patitur natura circà media ad finem salutis, eaque facilia reddit: quia Deus non solum consilijs, & suasionibus illam mouet: sed etiam intùs eam immutat, & reformat. Vndè ait S. Prosper.

Ber. ser. 2. Pent.

S. Prosp. car. de ingratis

Non hęc consilio tantum, hortatuque benigno
Suadens, atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia: sed mutans intùs mentem, atque reformans,
Vasque nouum ex fracto fingens virtute creandi.

299 Ex quibus etiam sequitur, fideles in lege gratiæ, vberiorum auxiliorum causa, magis esse propensos ad amorem Dei, quamuis respectu naturæ nudè sumptæ propensiores sint ad amorē sui. Adde, quod etiam ex hoc, quod naturaliter proniores essēt ad amādum se ipsos, quàm Deum, sequeretur saltem fideles in lege Gratiæ in maiori numero saluari, quam qui in lege veteri saluabantur; in hac enim ad consequendam salutem ne-

cessa-

cessario requirebatur contritio, quæ difficillimè eliciebatur; & sic in paucis contingebat, vtpotè quæ paucis conferebatur à Deo. In lege verò Gratiæ, quamuis extra sacramentum Pœnitentię sit etiam necessaria contritio: nihilominus cum tali sacramento sufficit dumtaxat attritio: & quia hæc consistit in detestatione peccati, vel ob metum gehennæ, vel iacturam Paradisi: hinc fit, vt fideles, qui ex inclinatione naturæ solitariè sumptæ magis diligunt se, quàm Deum, ex tali philauthia, seu amore sui facilius moueantur ad detestationem peccati, vt ea mediante à se remoueant Inferni supplicia; & sibi comparent Paradisi bona.

300 Ad primam cõfirmationem respondeo violentiam, qua rapitur regnum cælorum, esse contritionem, seu veram pænitentiam peccatorum, vt docet Ambrosius his verbis. *A diebus Joannis Baptistæ* (qui fuit lacrymarum, & pænitentiæ Prædicator) *regnum cęlorum vim patitur: quia vim facimus, non compellendo, sed flendo: non prouocando iniurijs, sed lacrymis exorando.* Et hæc violentia non est perpetua (vt supponit argumentũ) & sic non contingit in paucis fidelibus inter se comparatis: non enim oportet, fideles iugiter flere, vt à peccatis soluantur: sed sufficit, vt in instanti conterantur; vel vt verè attriti peccata confiteantur, & sic data per Confessarium absolutione, iam remanent à peccatis soluti: ita vt si

Ambr. ser. 11 in die Nat Domini

tunc temporis morerentur, salui fierent: & sic valeret dicere, eos vim fecisse cælis, cælosque vim passos esse. Vndè cum maior fidelium pars ex Dei liberalitate, vel ex gratia Christi, ac obtentu Deiparæ Virginis saltem in mortis articulo vel conteratur, vel ritè attrita suas culpas confiteatur, sequitur per consequens, vt maior fidelium pars rapiat Cælorum Regnum, & saluetur. Nec obstat exemplum de Cymba: nam cymba nauigans contra fluuij cursum adumbrat naturam, præcisè, & secundum se sumptam; at nos supponimus naturam esse diuina gratia suffultam; & dicimus ipsam diuinam gratiam ex vna parte, & humanam voluntatem ex altera, esse nautas, quæ contentiosè adnituntur cymbam animæ impellere, eamque faciunt ad ripam appellere. Vndè verum est id, quod dicit D. Gregorius: eius tamen assertum nobis nihil officit: nos enim piè credimus, maiorem fidelium partem diuinis adiutam auxilijs, munitamque sacramentorum præsidijs, per feruidam contentionem vincere mundi vndam, per quam anima solet ad ima reuocari. Quapropter complaceat sibi Recupitus aduertere, plerosque fidelium connumerari posse inter eos, qui violenti rapiunt Cælum: & ex hoc deducat pluralitatem electorum comparatiuè ad reprobos. Nam à diebus Ioannis Baptistæ, qui pœnitentiæ violentiam prædicauit, violenti, idest peccatores, qui ob commissa facinora à Cælorum

Regno

Regno alieni facti fuerant, vſque nunc vi, & virtute pænitentiæ regnum cælorum rapuerunt, & rapiunt. Quod obſeruans Hieronymus in Matt. *Grandis* (inquit) *eſt violentia, nos in terra genitos eſſe, & cælorum ſedem quærere, & poſſidere per virtutem* (pænitentię) *quod non tenemus per naturam*. Vndè cum per virtutem pænitentiæ maior fidelium pars (vt iam ſatisprobatum eſt) totum hoc præſtet, rectè inferri poteſt, maiorem fidelium partem ſaluari.

Hier. in Matth.

301 Quod adeò verum eſt, vt nullum eſſe ambigendi locum pateat ex ipſis Matthæi verbis, vt mox videbimus. Nam à diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, tot innocentes, ac pænitentes rapuerunt, rapiuntque regnum cælorum, vt vix illorum ampliſſimus Empyrei Sinus ſit capax: quod quidem ob Chriſti benignitatem, & gratiã in homines largiter diffuſam ſignatè cecinit Regius vates quando volens oſtendere cæli amplitudinem innumeramque ſaluandorum copiam, ait, *Qui extendit Cælum, ſicut pellem*. Quaſi diceret: cælum quod anteà implicitum, & contractum erat, Deus per Chriſtum ità explicauit, atque protraxit, vt non pauculos quoſque, ſed planè innumerabiles caperet: ſic enim eleganter declarat hunc locum Arnobius his verbis. *Dominus, vt pellem cęlum extendit: quia modò meretrices, & publicanos ad illud conſtat accedere: nam cum ſint per Iuſtitiam cęli iuſtorum, facti ſunt ex gratię lar-*

 gitate

gitate, Peccatorum. Adde nunc, quod tanta erit ſaluandorum multitudo, vt affirmare audeamus, ipſam Cæli amplitudinem videri quaſi ſpatium quoddam contractum, & reſtrictum, tantæque multitudinis incapax. Tantum igitur abeſt, vt ex illis Chriſti verbis: *Regnum cælorum vim patitur, &c.* poſſit inferri ſaluandorum Fidelium paucitas (vt aduerſarius infert) quod potius infertur maxima ſaluandorum multitudo; & habeo pro meæ aſſertionis patrono S.Ambroſium, qui acutiſſimis (licet obſcuris) locutionibus inſinuauit pluralitatem fidelium ſaluandorum adeò copioſam eſſe, vt latiſſima Cæli amplitudo, iam ſicut pellis extenſa, contractiſſima, & anguſtiſſimis limitibus circumſcripta videatur: non quia non ſit in ſe ipſa magnifica, & veluti immenſa: ſed quia, vbi ante Chriſti aduentum rara erat, & fluida ob paucitatem eorum, qui ſaluabantur: tamen poſt Chriſti aduentum innumera ſaluandorum multitudo eam veluti denſauit, reſtrinxit, & coarctauit: Hinc vbi Chriſtus ait, *Regnum Cælorum vim patitur*, acutè legit Ambroſius, *Regnum cælorum cogitur*. Quid verò ſit cogi, ſic explicat. *Cogi tunc aliquid ſolet dici, cum res aliqua rarior aſſidua operatione denſatur*. Vt videlicet ſenſus ſit, cælorum Regnum poſt Chriſti aduentum coſtringi, ſeu cõtrahi, & anguſtioribus limitibus circumſcribi. Nè verò phraſis extendendi Cælum, qua vſus eſt Regius Vates, ab hac, quæ iuxtà Ambroſium co-

gi

-gi dicitur, aliena, & diſſentanea videretur, ſenſuſque eiuſdem Ambroſij ab illo Arnobij diſcors, & diſſonans; imò ſub eam, quam perſequimur ſententiam, mutuò conſonare ſibi, & cohærere ſtatim Ambroſius ſubijcit. *Ex quo Ioannes Saluatoris annunciauit aduentum, ex eo Regnum cęlorum, quod prius fluidum, ac remiſſum apud* Iudæos (ob eorũ qui ſaluabantur paucitatem) *iacebat. Credentium populorum cæpit aſſiduitate denſari*. Animaduertat modò Aduerſarius quàm verum ſit, non paucos, ſed innumerabiles eſſe inter fideles adultos, qui connumerari verè poſſint inter eos, qui *violenti rapiunt Cælum*: & vel ſemel ex hoc deducat non paucitatem [vt ipſe facit] ſed pluralitatem Electorum cõparatiuè ad reprobos: hoc enim (quod quidem probabilius eſt, & magis pium) rectè ex ſacris Scripturis, & SS. Patribus colligi clarè liquet.

302 Ad ſecundam cõfirmationem patet ex ſupradictis. Difficultas enim, quæ oritur ex varijs impedimentis ſalutis in hac vita occurrentibus, quamuis inſuperabiliter contingat, vt in pluribus comparatiue ad omnes omninó homines: comparatiuè tamen ad fideles inter ſe, contingit vt in paucis; paucis enim ex fidelibus Deus non confert gratiam, qua facilè difficultatem illam valeant ſuperare: pluribus autem talem gratiam, ac vberiora auxilia impartiri affatim ſuprà probatum, ex eo, quod *Deus eſt Saluator omnium,*

& maxi-

& maximè fidelium. Neque obstat parabola seminis; licet enim ob impedimenta occurrentia triplex sit *Terra reproba* sine fructu, quibus vna opponitur *Terra bona*, & fructificans; nihilominus vna ex illis tribus terris infructuosis, vt ostensum est ex Guidone in responsione ad quintam similitudinem significat infideles, quibus si non immediatè, saltem mediatè seminatum est verbum Dei. Altera significat Hæreticos. Tertia Christianos malos. Quarta fideles electos: Vndè patet parabolam istam nobis potius prodesse, quàm obesse: nos enim non negamus ex omnibus omninò hominibus promiscuè sumptis, plures damnari, quàm saluari: sed asserimus ex fidelibus dumtaxat inter se comparatis plures saluari, paucos damnari. Vide quæ diximus num. 61.

303 Ad tertiam confirmationem dico omnes difficultates prouenientes ab extrinseco, nēpè ex vi dæmonum, maxima superari facilitate à sedula bonorum Angelorum Custodia vt luculenter probatum est à nobis supra §. 8. per totum: vndè dæmonum in homines odium longè exceditur ab intenso Angelorum erga nos amore: eorum petulans audacia à strenua horum fortitudine retunditur: illorumque laquei, & bellica strategemmata ab his facillimè soluuntur, & illuduntur. Et quamuis non improbabile sit Dæmones singulos, singulis hominibus esse assignatos, qui oppositi Custodibus Angelis toti sint ad ruinam

homi-

hominum procurandam. Nihilominus etiam probabile est, Angelum malum contra hominẽ nihil posse, quando Angelus eius custos circa illum est, vt Auctor operis imperfecti asseruit his verbis. *Duo sunt Angeli permanentes cum hominibus, scilicet bonus, & malus; & quamdiù circa nos est Angelus bonus, nunquam nos in tentationem potest impellere Angelus malus.* Quod etiam patet ex discriminibus, quæ inter bonum, & malum Angelum intercedunt. Bonus enim deputatur à Deo: malus à Lucifero; ille vt homines à malo remoueat, & ad bonum promoueat: hic, vt hominem à bono auertat, & ad malum impellat. Adde in deputatione mali Angeli Deum se habere permissiuè: deputationem verò boni Angeli à Deo per se intendi, & ad salutem hominum ordinari. Tandẽ Deus limitat dæmonis potestatem, ne tantùm noceat, quantum potest, aut quantum vult: sed quantum Deus ipse permittit, ne homo tentetur suprà id, quod potest. Ex quibus omnibus patet plus auxilij nobis euenire ab Angelorum pręsidio quam periculi à dæmonis tentationibus. Quod comprobatur exemplo Cunii Cistersiensis Monachi ab ipsomet Aduersario adducto pag. 72. circa finem. Cum enim præfatus Monachus ad extremum vitæ deductus esset, ac dæmones numero quindecim mille in morientis cubiculum, vt singuli in eo *tentando* extremos adhiberent conatus, aduolassent, precibus tonsatorum, ideſt Mona-

Auctor Imper. in Mat. homil. 5. circa fin

chorum

chorum depulsi abierunt: magnam sibi iniustitiã quærentes illatam à Deo, eo sibi è manibus erepto, qui quadraginta annis sæculo seruisset, tribus Deo. Si igitur quindecim millia dæmonum precibus Monachorum irrito conatu propulsati sunt, quantò magis validissimo Angelorum præsidio propulsabuntur? Refert etiam S. Gregorius exemplum alterius Monachi, qui irreligiosè vixerat, ac moriens Draconi ad deuorandum traditus fuerat; sed precibus fratrum liberatus, conuersus dignam egit pœnitentiam; ideòque inter electos recenseri meruit. Si igitur Religiosorum preces contra dęmonum adeò præualent: quantò magis Angelorum tùm preces, tum præsidia præualebunt?

S. Greg. hom. 38. in Mat.

304 Ad quartam cõfirmationem de eadem salutis difficultate, quæ oritur ex districtione diuini Iudicij Dico verum esse, Deum districtissimè examinuturum, & discussurum non solum operationes exteriores, sed etiam cordium cogitationes, & intentionẽs: non tamen indè sequi paucos ex fidelibus, sed tantum paucos ex omnibus omninò hominibus diuini examinis seueritatem euadere. Neque obstat illud Petri, *Si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?* Primò quia sensus horum verborum est de salute corporis, non animæ, vt exponunt aliqui ex S. Ambrosio lib. 2. Apolog. Dauid cap. 3. quasi dicat Petrus, Iustus vix tandem saluatur, idest ęgrè

1. Pet. 4.

huius

huius vitæ miserijs, & erumnis eriipitur, quibus Deus leuiores eius culpas punit: quas ergo impij grauissimorum peccatorum pœnas in æternũ dabunt? Vndè Augustinus. *Quid euidentius* (ait) *quod nec iustis parcat, emendans eos varietate tribulationum, cum hac de re apertè sit dictum, Et si iustus vix saluus erit?* Patet igitur S. Petrum hic agere de pænis, quibus Deus iustos in hac vita punit, & expiat. Secundò quia eorumdem verborum sensus ex eodem D. Augustino in psal. 6. est de salute animæ, dum conuertitur de peccato ad iustitiam, & gratiam Dei: at quamuis talis conuersio sit difficilis, eo quod difficile sit relinquere voluptates, & penitere: nihilominus quoad fideles similis difficultas facilè per vberiora Dei auxilia superatur, vt luculenter probatum est superius. Tertiò quia, quamuis sensus illorum verborum iuxtà alios passim sit de salute animæ, cum æternam salutem adipiscitur: & in hoc sensu dicat S. Petrus iustum vix saluari, idest vix damnationi eripi, & æternam salutem adipisci; nihilominus non vult asserere ex iustis paucos saluari. Tum quia, qui iusti sunt omnes saluabuntur. Tum quia aliud est, vix saluari, aliud paucos saluari: iusti enim omnes saluantur: sed vix saluantur multiplici ex capite. Primò quia etiam iusti peccatis venialibus sunt obnoxij, vt ex hoc loco probat S. Hieronymus contra Pelagianos. Nam *Iustus* (inquit) *in die iudicij vix saluatur: saluaretur autem facilè, si nihil in*

August. lib. 20. contra Faustũ cap. 14.

August. in ps. 6.

Hier. cõ. Pelag. li. 2. cõ. Pel.

se haberet maculę: ergo iustus est in eo quod floret multis virtutibus: & vix saluatur in eo quod in quibusdã Dei indiget misericordia. Secundò quia *licet nihil praui sibi sit conscius*, (addit ipse Hieronymus) *verumtamen sciens, quoniam non in hoc iustificatur, donec eum iustificet* Iudex, *ęstuat, & decertat.* Tertiò quia per lapsum Adæ fragiles facti sumus, & proni ad vitia; & hæc fragilitas manet etiam in iustis. Vndè S. Ambrosius *Quis est tam fortis* (inquit) vt *nequaquam tentatione moueatur, nisi Dominus adiutor ei assistat?* At fidelibus, vt in pluribus, Deus assistit Adiutor, vt ex superius dictis infertur. Quartò vix iustus saluatur in hoc sensu, quia scilicet ob inconstantiam humanarum cogitationum, & cõsequenter desideriorum, & appetituum, quæ post lapsum in peccatum iugiter ex corde, veluti ex fornace instar scintillarum exhalant, & alternant, Electi hac de causa trepidant eò magis quo ad vitæ finem appropinquant. Vndè Gregorius ait, *Consideramus quippè, quod viam vitę pręsentis nequaquam sine culpa transire potuimus: & quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est quod laudabiliter viximus, si remota pietate iudicetur, &c.* Quid *ergo facient Tabulę, si tremunt columnæ? Aut quomodo Virgulta immobilia stabunt, si huius pauoris turbine etiam Cedri quatiuntur? Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictę etiam iusti anima turbatur.* Denique septem possunt esse causæ iam dictis non absimiles iuxtà Thomam Anglicum

Ambro. in ps. 43.

Greg. li. 24. mor. c. 18.

glicum, cur iustus vix saluetur: Vel quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam: Vel quia caro concupiscit aduersus spiritum, & Spiritus aduersus carnem: Vel quia caro cum corruptione aggrauat animam. Vel quia non nisi violenti rapiunt Cælum: Vel quia Arcta est via, quæ ducit ad vitam, virtutumque ardua, duraque sunt opera: Vel quia incertum est, quod simus iusti: Vel quia iudicium Dei non minus est subtile, quàm rigidum. Ex quibus omnibus expositionibus deducimus, difficultatem salutis in ordine ad fideles de quibus loquimur, vel per pænitentiæ virtutem, vel per auxilium vberioris gratiæ esse facilè superabilem: hanc autem pænitentiæ virtutem, vberioraque gratiæ auxilia plerisque fidelium Deum impartire, vel ex sua immensa liberalitate, vel intuitu meritorũ Christi, vel ex deuotione peculiari erga Virginem Deiparam, Sanctos Angelos &c. probatum est suprà; Idcircò non ex temeritate, sed ex pietate asserimus, plerosque fidelium saluari, paucos damnari. Ad exemplum, quod affert ex Climaco de viro solitario, dico nos non negare districtionem iudicij diuini: sed tantum negare, ex ea paucitatem fidelium saluandorum inferri. Quamuis enim ex omnibus omninò hominibus verissimum sit, quod pauci saluentur; nihilominus ex hominibus fidei lumine perfusis, vitamque modo cadendo, modo resurgendo transigentibus,

non obstante rigida Diuini iudicij subtilitate, plures sunt, qui saluantur, quàm qui damnantur: nam antequam à Deo iudicentur, iam per gratiam sãctificantem ob supradictas rationes amici Dei facti sunt. Igitur exemplum illud, cum sit vnicum non se extendit ad plures, sed restringitur ad pauciores: quia flos vnus, aut vna hirundo non faciunt ver, vt vulgò dicitur; vndè dumtaxat valere potest ad incutiendum Sanctum Dei timorem, vt timeat vnusquisque de se ipso (sicuti reuera singuli fideles timere debent) non autem ad inferendum ex fidelibus paucitatem saluandorum. Adde solitarium illum fuisse, & sui, & ferarum domitorem illustrem: nam præterquamquod proprios affectus habuit in potestate, etiam Leopardum nutriuit ad suos nutus obsequentissimum famulum; quodque plus est habuit à Deo donum lacrymarum: vndè ex vita laudabiliter anteacta, nec non ex ipsius Dei magna misericordia, iure, & merito de viro virtutibus, & miraculis insignito optimè licet nobis ominari. Ex eius tamen exemplo discere debent impij morientes, qui malè vixerunt, nescieruntque vel semel verè super culpis dolere, seriumque emendationis propositum elicere, quam acre in morte subituri sunt examen, quando vnus Stephanus dono lacrymarum insignis, & in virtutum palestra exercitatus, tam insidiosos, & seueros habuit sub mortem Accusatores?

305 Ad

305 Ad quintam confirmationem, antequã respondeam suppono tanquam certum de fide pænitentiæ sacramentum emundare animam à peccatorum sordibus, eamque reddere immaculatam: & ideó varijs nominibus à SS.Patribus insignitur. Nunc enim dicitur *Reconciliatio* à principali effectu, quod peccatorem cum Deo reconciliat. Nunc *absolutio*: quia pænitentem peccatis irretitum absoluit. Nunc *Exomologesis*, quæ idem grecè sonat, quod latinè Confessio: vndè Tertullianus eam sic definit, *Exomologesis est petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur*. Nunc *Manus impositio* ex cæremonia, & ritu speciali, quo per Sacerdotalis manus impositionem præfatum sacramentum impenditur. Nunc *Secunda Tabula*, siquidem effracta naui Baptismalis innocentię, in qua tuti huius mũdi pelagum tranabamus, paratur nobis pænitentia, cui veluti fractæ Nauis tabulæ nosmetipsos committentes, hinc indè spei & timoris condonatæ culpæ fluctibus iactati, tandem ad salutis portum fæliciter appellimus. Nunc *Sacramentum mortuorum*: *Sicut enim vermis*, iuxtà Chrisostomum, *lignum ex quo nascitur, rodit, & consumit: ita pęnitentia peccatum, ex quo originem ducit, destruit, & absumit, & hoc in instanti*: *In eo momento* [ait Chrysost. priore epist. ad Theodor. lapsum] *totius vitę peccata abstergit*. Et Leo Papa. *Apud Deum* [inquit] *nulla patitur venię moras vera conuersio*. Et Cyprianus. *Nec quantitas criminis*

Tertull. lib. de oratione.

Chrysost. ho 5. ad pop. Antioch. circa med.

Idem pr. epist. ad Theod. lapsum.

Leo Papa ep. 91 ad Theo. For. Ep.

[ait]

Cypr. ser. de cœna dom. circa finem

(ait) *nec breuitas temporis, nec horę extremitas, nec vitę enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia; sed in amplitudine sinus sui Mater charitas prodigos suscipit reuertẽtes.* Quod confirmat exemplo boni latronis, cui statim contrito dictum fuit. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Cuius *impietas in momento* (inquit) *religionem, crudelitas induit pietatem: & statim consummatus, ciuis Sanctorum, & domesticus Dei præmissus est in Regnum reconciliationis humanæ.* His suppositis.

Respondeo ad confirmationem concedendo omnia illa decem, quæ Aduersarius adducit, esse ad salutem necessariò requisita: sed nullum eorum (vt mox videbimus) deest fidelibus, qui nunc cadendo, nunc resurgendo vitam transigunt, & tandem in morte per sacramenta ad gratiam sanctificantem præparantur. Quod vt liquidiús pateat, singula in ijs fidelibus ostendam inueniri.

306 Inuenitur primum: quia sic iustificati, sunt, *sine macula*, quæ iam per pænitentiam deleta est: *operati sunt* quoque *iustitiam*; quod verificatur etiam de moribundis, qui firmiter proponunt præcepta Domini obseruare, si vita superstes fuerit: & hoc propositum sufficere liquet ex illo Ezechielis 18. 21. *Si autem impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, vita viuet, & non morietur.* Vbi interpretes communiter ly, *Et custodierit*, exponunt, *&*

propo-

proposuerit omnia custodire, esto nè dum actu custodiat. Neque enim vno die, aut hora seruari possunt omnia mandata; Igitur præceptorum custodia, quæ est Iustitiæ operatio, referenda videtur ad votum & propositum ea custodiendi: Hæbreorum enim verba sæpè actum non perfectum, sed inchoatũ, puta propositum, conatum, votum significant. Sic illud Pauli *Gratia, quæ data est nobis ante tempora secularia*, explicat Bellarminus *Gratia, quam operari cępit, & deinceps se operaturum firmiter proposuit.* Cum igitur plerique fidelium præparati in mortis articulo iustificentur: consequenter plerique mũdi corde, & sine macula moriuntur, atque saluantur: quippè qui iustitiam operati sunt.

2. Th. 19

Bellar. lib. 2. de pan. c. 6.

307 Inuenitur secundum: Nam fideles in hac vita tribulati, & tandem in morte iustificati *accipiunt Crucem suam*, & sequuntur Christum. Tũ quia mortui sunt ad voluptates mundanas iuxtà sensum Euthymij, & Gregorij, qui mysticè hunc locum exponunt. Tum quia tunc temporis, saltem virtualiter, parati sunt pro Christo ferre opprobria, verbera, carceres, & mortem etiam durissimam, & ignominiosissimam, qualis est mors Crucis, quam Christus pro nobis substinere dignatus est; tribulationes enim, & mors sunt *Crux* de qua ibi loquitur Christus in genuino literæ sẽsu: Vndè Chrysost. apud Guidonem ait, *Crucem suam tollit, qui est paratus ad omne periculum propter Deum, si necessum fuerit vsque ad mortem, magis,* quam

Chrysost. ap. Guid Carmel. pa. 308. col. 2.

quam relinquere Christum. Ille talis, & si Dei misericordia euadit, tamen quantum ad suum propositum cruciatur quotidie: & ideò si nihil tale passus fuerit, mercedem tamen accipiet: voluntas enim remuneratur, non opus: quia voluntas *ex nostro arbitrio procedit: opus autem per gratiam Dei consummatur.* Quis igitur est ex fidelibus moribundis, & per sacramenta præparatis, qui saltem virtualiter tunc temporis non diligat Deum super omnia? qui paratus non sit (si opus fuerit) substinere mortem adhuc ignominiosam pro Christo? Vel qui non sit mortuus tunc ad ea, quæ mundi sunt: & dolens, & pœnitens de suis peccatis carnem non crucifigat cum suis concupiscentijs, & desiderijs? Certè plerique fideliũ hæc omnia, si minùs explicitè, saltem implicitè præstant: & consequenter plerique fidelium baiulantes Christi Crucem moriuntur, & saluantur: vel ex eo maximè quia tunc odio habẽt vitam suam; quia præteritam vitam in peccatis transactam detestantur; & ea tantum, quæ sunt Iesu Christi quærunt; cum eum super omnia saltẽ virtualiter diligant.

308 Inuenitur tertium: nam, vt mox dictum est, illi qui in vita peccant, & post lapsum resurgunt, quique in morte Ecclesiasticis sacramentis se muniunt, odio habent animam suam in hoc mundo; quia detestando vitam suam in peccatis transactam vitæ suæ præferunt Christum, & sic morientes, animam suam in æternam custodiunt

vitam

vitam: Qui autem totum hoc præstant, non sunt rari, sed ex fidelibus maior pars, vt satis proba- tum est. Et quamuis hoc sit mirabile, vt notat Augustinus: non tamen est miraculosum propriè & in rigore loquendo. Sicut quod *Deus vitam auferendo conferat, carnem lædendo iuuet, animam eripiendo seruet*, vt Tertullianus loquitur non sunt propriè miracula, quamuis sint mirabilia gratię: vndè non sequitur, quod contingant in paucis, sicut miracula in cursu naturæ. Quod autem sint mirabilia, & non miracula, Ostendo sic. Quandò homo resurgit à peccatis, tunc per conuersionem, & iustificationem detestatur vitam in peccatis transactam, eamque odio habet, & Deo postponit: Insuper tunc Deus homini ad se conuerso vitam auferendo confert, & animam eripiendo seruat. Ista igitur peccatoris conuersio, & iustificatio mirabilis oppidò est: sed miraculosa nō est. Mirabilis quidem: omnia enim mirabilia à Deo patrata, & in psal. 135. recensita, quotidiè in impij iustificatione renouantur. Ibi enim Deus *Cælos fecit in intellectu*; Hic peccatores olim terrenos, ac irrationabiles, cælestes, & rationabiles facit. Ibi *firmauit terram super aquas*; hic, & lacrymarum imbribus contriti, & humiliati cordis firmitatem in bono operatur. Ibi *luminaria magna creauit*; hic gratiæ lucem è peccatorum tenebris eruit. Ibi *percussit Ægyptum*, ac Israelitas ab Ægyptiaca captiuitate eduxit; hic

Ps. 135.

peccatores è dæmonum seruitute liberat. Ibi, mare rubro diuiso, *Pharaonem cum omni eius exercitu* in aquis immersit; hic inordinatorum affectuum insurgentes comprimit fluctus; & nostras omnes iniquitates in profundum maris suæ immensæ pietatis proijcit. Ibi *petram in aquarum stagna* conuertit; hic ex durissima cordis silice lacrymarum elicit fontes. Mirabilis est igitur consueta peccatorum couuersio: sed non miraculosa. Quia, quamuis fiet à Deo, qui est causa simpliciter occulta, & ignota omnibus; non est tamen miraculosa ex parte formæ inductæ, scilicet gratiæ: quia gratia non est supra capacitatem animæ: Anima enim hoc ipso, quod est facta ad imaginem Dei, est capax non solum gratiæ: sed etiam Dei per gratiam; Neque est miraculosa ex parte ordinis causandi effectum: nam iustificatio peccatoris, regulariter loquendo, non fit pręter communem ordinem, & cursum diuinæ Prouidentiæ supernaturalis, quomodo fit resurrectio mortui, & cæci illuminatio; sed fit per communem cursum, & ordinem eiusdem, quo Deus interius mouet animam, vt ad ipsum conuertatur, procedendo paulatim ab imperfecto ad perfectũ scilicet disponendo peccatorem ad gratiam per actum fidei, spei, contritionis, & charitatis: vndè miraculosa dici non potest, vt docet D. Tho. Sola igitur illa conuersio, seu impij iustificatio dicitur propriè, & in rigore miraculosa, in qua Deus mouet

D.Th.1 p.q.105. ar.7. ad 2.& 1.2 q.113.a. 10.in co.

mouet interius animam, præter communem curſum, & ordinem ſupernaturalis Prouidentiæ, ſcilicet non mouendo peccatoris animam prius ad conuerſionem imperfectam, vt poſtmodum ad perfectam deueniat: ſed mouendo, & excitando illam tam vehementi, ac potenti gratia, vt ſtatim perfectionem quandam iuſtitiæ, & charitatis aſſequatur, vt contigit in conuerſione Pauli Apoſtoli, etiam exterius miraculoſa proſtratione adhibita: Vndè canit Eccleſia. *A Chriſto de Cęlo vocatus, & in terram proſtratus ex perſecutore factus eſt vas electionis*. Et hæc eſt illa conuerſio, quæ cum ſit verè gratiæ miraculum, cõtigit vt in paucis, ſicut miracula in curſu naturæ: Conuerſio autem, quæ fit ſecundum communem, & conſuetum prouidentiæ ordinem cum ſit mirabilis quidem, ſed in rigore non miraculoſa, de facto contingit, vt in pluribus, loquendo de fidelibus inter ſe comparatis.

309 Inuenitur quartum: quia maior fidelium pars, ſiue in morte, ſiue in vita, quoties poſt lapſum reſurgit, & verè penitet ſe peccaſſe, lucraturque plenarias Indulgẽtias (quod vt in pluribus contingit) ità per ſanctificantem gratiam mundatur, vt efficiatur ſicut paruuli; quia iuxtà ſenſum Hilarij, reuocat corporis animæq; vitia per puerilem ſimplicitatem: Vndè cogitare neſcio, quãnam ſapiat ſuperbiã (vt arguens proclamat) probabiliſſima pronunciatio huius veritatis, ſcilicet

plerosque fidelium sacramento pœnitentiæ munitos, & plenarijs indulgentijs suffultos ad simplicitatem, & humilitatem puerorum reuerti?

310 Inuenitur quintum; Qui enim ità recidunt, vt toties surgant, quoties cadunt, non sunt minus assueti ad peccatum, quam ad pænitentiã: & ideò recidendo, quamuis retrò respiciant: tamen iterum resurgendo, denuò manum suam ad aratrum mittunt: vndè sicut pro tempore, quo in peccato perseuerant inepti sunt Regno Dei: ità postquam per pœnitentiam se erigunt, ad assecutionem eiusdem Dei Regni apti efficiuntur: quod verificatur præcipuè de ijs fidelibus, qui in morte per sacramentum pœnitentiæ iustificati, pro breui illo tempore, quo viuunt non ampliùs retrò respiciunt, sed manum ad aratrũ mittunt: quia diuinis adiuti auxilijs temporalia, & terrena omnia despiciunt, solumque Christum in corde, & ore habentes, ne oculum quidẽ mentis ab eo diuertunt, sed bonis inhiant tantummodo cælestibus, & æternis.

311 Inuenitur sextum: quia non solum iusti, sed etiam peccatores ad Deum conuersi fiunt cõformes imaginis Christi: quia tribulationes huius mundi patienter pro Christo tolerant: & applicantes sibi Christi passionis, & mortis merita per sacramenta adimplent, si minus re, saltem voto, & proposito; quæ desunt passionum Christi, quasi facti passionis eius Collegæ. Et quia totum hoc

præstat

præstat maior fidelium pars, quæ cadendo, & resurgendo vitam transigit,& in morte per sacramenta ad iustificationem se præparat, & disponit; ideò in maiori fidelium parte Christi imaginem recognoscentes meritò dicere possumus, fideles, quo ad maiorem partem, esse passos cum Christo, idest pro Christo: atque adeò esse cum Christo glorificandos.

312 Inuenitur septimum: quia quilibet peccator per gratiam sanctificantem iustificatus, si tunc moreretur posset exigere gloriam à Domino, tanquam coronam ex iustitia sibi debitam: debetur enim ex iustitia suis operibus inchoatis, votoque, ac proposito perficiendis: vndè quilibet posset dicere cum Augustino: *Redde, quod promisisti: quia fecimus, quod iussisti*, nempè de peccatis, quæ commisimus, pœnitentiam.

313 Inuenitur octauum: quia fideles, qui in baptismo Christi militiæ adscripti, renunciarunt diabolo, & pompis eius, quamuis, quoties cadunt, à Christi militia transfugæ sint, ac diabolum, eiusque pompas sequantur; nihilominus, cũ postea resurgunt, & virtute meritorum passionis & mortis Christi sibi applicatorum iustificantur, ad militandum pro Christo iterum redeunt; ac re, seu saltem voto, iterum diabolo, & eius pompis renunciant, seruantes pactum, & conditiones baptismi: vndè verè dici potest, illos se sacramentis in morte munientes certasse, & vicisse: &

non

non immeritò præſagium eis fieri de corona, quæ in agone legitimè certantibus debetur. Cum ergo plerique fidelium, hoc faciunt, ſequitur, pleroſque fidelium, eſſe, vt bonos milites coronãdos.

314 Inuenitur nonum: quia plerique fideliũ, quamuis cadendo tranſgrediantur mandata, poſtea reſurgendo commiſſa peccata retractant, votumque, ac propoſitum de ſeruandis in poſterum mandatis (ſi vita ſuperſtes fuerit) eliciunt: Vndè ſi tunc morerentur, ità in Domino morerentur, ac ſi nunquam diuinam legẽ fuiſſent trãſgreſſi. Concedimus igitur vnicam vnius mandati tranſgreſſionem ſatis eſſe ad reprobandum. Cõcedimus etiam obſeruantiam omnium mandatorum eſſe certiſſimum requiſitum, ſine quo ex adultis ſaluatur nemo; ſed negamus, & negabimus ſemper ex ipſis fidelibus multò plures ad perditionem duci, quam ad ſalutem: quia quamuis multò plures ex illis cadendo gradiantur per viã latam, & quoad viuendi licentiam vix ab infidelibus diſcernantur, vt vult Chryſoſtomus; nihilominus, quia quoties cadunt, toties reſurgunt: & quoties tranſgrediuntur mandata, toties redeunt, vel re, vel ſaltem voto, ad obſeruantiam eorundem: hinc fit, vt finaliter ex ipſis fidelibus multò plures ſaluentur, quam perdantur. Argumentum igitur, quod paſſim fit à Patribus, ad inferendam inter fideles paucitatem electorum procedit de reprobatione ſecundum præſentem iuſtitiam, non

de

de finali, & in hoc ſenſu loquuti ſunt Origenes, Chryſoſtomus, & Auguſtinus in argumento adducti: nam neque prædeſtinatio, neque reprobatio finalis, quæ habetur in æterno prædeſtinationis, vel reprobationis decreto, ſciri ab hominibus poteſt abſque ſpeciali Dei reuelatione. Vndè Auguſtinus, *Paganus eſt hodie* (inquit) *vndè ſcis vtrum ſit futurus craſtino Chriſtianus? Iudæus, infidelis eſt hodie: quid ſi cras credat in Chriſtum? Hæreticus eſt hodie: quid ſi cras amplectatur catholicam pacem? Quid ſi iſti, quos in quocunque genere erroris notos, & tanquam deſperatiſſimos damnas, antequam finiant iſtam vitam, agant pœnitentiam, & inueniant veram vitam in futuro?* Loquuntur igitur Patres de reprobatione ſecundum præſentem iuſtitiam: nam ſi fideles poſt peccatum in eodem morerentur, vtique perirent: ſed quia nos loquimur de fidelibus, qui quoties cadunt, & peccant, toties reſurgunt, & reſipiſcunt; & præcipuè in mortis articulo ſe per ſacramenta præparant, & diſponunt: ideò inferimus (& meritò) ſtante Dei miſericordia, Chriſti meritis, & Deip. interceſſione multò plures ſaluari, quã damnari. Demũ illatio, quã facit Recupitus, nempè *Pauciores ſunt, qui ſeruant præcepta quam qui non ſeruant. Ergo pauciores ſunt, qui ſaluantur, quàm qui non ſaluantur;* tunc valeret apud Patres quando præceptorum tranſgreſſores in tranſgreſſione perſeuerarent, ac in ea, nulla pœnitentia intetpoſita, morerentur: At in caſu

Auguſt. ſer 11. de verbis Domini cap. 13.

noſtro

nostro ex ipsis fidelibus multò plures sũt,qui post transgressiones resipiscunt, eamque post lapsum resurgendo detestantur, ac in obseruantia præceptorum, vel re, vel saltem voto, & proposito moriuntur: Ergo in casu nostro hæc est illatio, quæ valet, & apud Patres, & apud Deum [*Multò plures sunt, qui post mandatorum transgressionem, de transgressione pęnitent, quam qui non pęnitent: Ergo multò plures sunt, qui saluantur, quàm qui non saluantur*] vel ex eo maximè, quia multò plures in tali pœnitentia moriuntur, quàm qui non moriũtur: atque adeò multò plures, qui speciali Dei auxilio suffulti præcepta seruant saltem in morte, quàm qui non seruant: & sic multò plures ex fidelibus saluabuntur iuxtà illud Matth. 10. & 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.*

315 Inuenitur decimum: quia cum hic loquamur de fidelibus, qui sæpius cadunt, & sæpius resurgunt, & tandem ex hac vita sacramentorum præsidio vallati decedunt, necessariò fatẽdum est, ex ipsis fidelibus, multò plures esse,qui diligunt Deum (si minus intensiuè, saltem appretiatiuè, quod sufficit) toto corde, tota anima, & tota mente,& proximum,sicut se ipsum,quàm qui non diligunt; & consequenter, multò plures ex fidelibus esse inter prædestinatos connumerandos,quàm inter reprobos,& prescitos;cum certissimum sit sine obseruantia huius duplicis precepti dilectionis neminem adultorum prædestinari, vt

opti-

optimè declarat Augustinus exemplo Ciuitatum Hierusalem,& Babylonis,quarum priorem amor Dei: posteriorem amor sæculi ædificat. Cum igitur maior fideliũ pars toties resurgat quoties cadit, & cadendo, & resurgendo vitam transigat: ac demum in mortis articulo Ecclesiæ sacramentis munita diem obeat extremum, sequitur ex adultis fidelibus multò plures reperiri [saltem appretiatiuè]amatores Dei in toto corde suo,& proximi sicut sui ipsius; pauciores verò amatores sui, & mundi: atque adeò inter fideles adultos plures reperiri electos finaliter quam reprobos. Valet autem argumentum Augustini ex hoc duplici amore dignoscentis, *cuiusquisque Ciuitatis sit ciuis*, scilicet an fideles pertineant ad Hierusalem cum electis: an ad Babylonem cum reprobis: quia loquitur de collectione electorum, & collectione reproborum non finali,sed secundum præsentem iustitiam, vt patet ex ijs, quæ idemmet Augustinus dixit serm. 11. de verbis Domini cap. 13. vt mox retulimus. Neque vt aliquis cum prædestinatis saluetur. Est necessarium, vt Deum diligat ex toto corde iuxtà expositionem eiusdem Augustini in argumento allatam, scilicet, vt *sit totius dulcedinis amoris Dei plenus, totius charitatis flamma succensus*, quod est diligere Deum intensiuè, & extensiuè: sed sufficit, vt Deum appretiatiuè, & comparatiuè diligat,cuiusmodi eum diligunt plerique fidelium. Nam quamuis maior fidelium

pars cadendo, & peccando, Deum ad minus interpretatiuè non diligat, diligit tamen, quando resurgit, & resipiscit: vndè ex eis non pauci perseuerant in eius dilectione vsque ad mortem, ac ferè omnes (licet fuerint aliquando relapsi) in morte ad Deum conuersi pænitentiam agunt, & sacramentorum præsidio se muniunt, & tunc siue implicitè, siue explicitè Deum diligunt iuxtà expositionem Origenis, *Ex toto corde, quoad intellectum*: quia omnes suas cogitationes tunc in Deũ referunt; *Ex tota anima*: quia tunc ex pietate in Deum animam, idest vitam ponere parati sunt. *Ex tota mente*, idest fortiter, ne ab huius mundi pressuris opprimantur. Cum igitur fideles, quoad maiorem partem, siue in vita, siue in morte hoc duplex dilectionis præceptum inchoatiuè obseruet; & votum, ac propositum habeat (si vita comes fuerit) eamdem obseruantiam continuandi; ideò piè asserimus, & probabilius existimamus, maiorem fidelium partem saluari: quia plures ex fidelibus sic facientes pertinent ad Hierusalem, quam facit amor Dei (vt Augustini phrasi vtar) quàm ad Babylonem, quam facit amor sæculi, & sui. Porrò Deiparæ ad sanctam Brigittam reuelatio intelligenda est, non quod pauci pro omni futuro tempore impleturi essent præceptum diligendi Deũ super omnia, sed quod pauci tunc tẽporis, quo reuelatio facta est, Deum super omnia diligerent; per hoc tamen non tollitur, quin fide-

les,

les, quoad maiorē partem Deum super omnia tēpore antecedenti dilexerint; & subsequenti dilecturi sint. Vel dicas reuelationem intelligi de diligentibus Deum super omnia intensiuè: & hos esse paucos, etiam nos concedimus; relatiuè tamen ad solos fideles, qui Deum appretiatiuè diligunt sunt innumeri.

316 Demum ad argumentum à fortiori, erutum ex peruersis Sacerdotum moribus, quorum maior numerus perditam vitam agit, respondeo posse fortassè contingere, vt aliquando (non semper) Sacerdotes quoad maiorem partē mali sint. Ex hoc tamen perperam infertur, ex omnibus omninò fidelibus adultis, plures damnari, quàm saluari: laici enim cum minoribus clericis permixti longissimè plures sunt, quàm soli Sacerdotes: illosque quoad maiorem partem saluari ex hactenus dictis liquidò patet. Præter quam quod quamuis demus, omnium Sacerdotum vitam esse malam: nihilominus facilè contingere potest, vt mors eorum sit bona, & pretiosa in conspectu Domini; imò longè melior, ac pretiosior, quam clericorum, ac laicorum mors; siquidem Sacerdotes diuinæ gratiæ adiutorio, nequitia repulsa, sicut clariorem habent notitiam de grauitate offēsæ, & iniuriæ in Deum, ac de peccati turpitudine, & fæditate; ità potest fieri (& ex Dei misericordia fiet) vt maiori voluntatis conatu ea detestentur, & ardentius ad Deum conuertantur: &

ſic ſi minus contriti,ſaltem attriti in morte per ſacramenta ſe præparantes, iuſtificationem, ac æternam ſalutem aſſequantur. Neque obſtant auctoritates Hieronymi, & Chryſoſtomi in argumento adductæ: ipſi enim non aſſertiuè, ſed coniecturaliter loquuntur, nec decernunt, ſed ſolum exiſtimant multò plures ex Sacerdotibus perire, quam ſaluos fieri: vndè eorum aſſertum eſt intelligendum, non de ſalute, vel damnatione finali, ſed ſecundum præſentem tunc iuſtitiam. Adde quod tempore Chryſoſtomi, vt legitur, & habetur in eius vita, illi, quos in præſentiarum Sacerdotes vocamus, appellabantur Præsbiteri, qui recitabant, atque enarrabant Scripturam canonicam, atque in ſublimioribus functionibus Epiſcopum adiuuabant: cæterúm ſoli Epiſcopi tunc temporis Sacerdotes dicebantur: quorum ſexagintaquinque ſolummodò erant Epiſcopi catholici; ſed multò plures erant hæreſi infecti, qui eum è cathedra depoſuerant: vndè non mirum, quod ex Epiſcopis, qui Sacerdotes dicebantur, multó plures damnabantur, quam ſaluabantur; cum hoc tamen ſtat, quod illi, qui reſpectiuè ad Epiſcopos erant plures; pauciſſimi tamen erant comparatiuè ad presbyteros, clericos, & laicos orthodoxos. Neque officit reuelatio à Ioanne Broniardo relata: quia non loquitur præcisè de Sacerdotibus dumtaxat fidelibus; vndè intelligenda eſt de Sacerdotibus promiſcuis, nempè de

omni-

omnibus omnino Sacerdotibus, catholicis, Schismaticis, & hæreticis inter ſe permixtis, & commixtis, quorum magnam multitudinem quotidiè ad infernum deſcendere, non negamus.

PARAGRAPHVS XXIII.

In quo probat Recupitus paucitatem electorum ex multitudine recidiuorum.

317 Conatur hic Recupitus deſtruere fundamentum Suareſij, quod eſt vnum ex noſtris præcipuis, nempè adultos fideles, quoad maiorem partem ſaluari, quia cadendo, & reſurgendo vitam tranſigunt; hoc telum ipſe contra nos retorquet, aſſumendo, quod damus, & ſic formando argumentum: Omnes ij, qui ità mortaliter peccant, vt cadendo, & reſurgendo vitam tranſigant, regulariter, & iuxtà leges communes, pertinent ad reprobos: Sed ex adultis maior pars ita mortaliter peccat, vt cadendo, & reſurgendo vitam tranſigat: Ergo regulariter, & iuxtà leges cõmunes adultorum maior pars pertinet ad reprobos. Conſequentia tenet ex forma. Minor à nobis admittitur, vt vera: & aſſumitur ab aduerſarijs, vt certa, etiam inter fideles: quorum eſt cadere, & per ſacramentum pœnitentiæ reſurgere. Maior probatur ex multis. Primò ex Prou. 26. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum: ità* Prou. 26

impru-

imprudens iterans stultitiam suam. Vbi septuaginta, *sicut canis ad vomitum suum regressus* (idest resorbens id, quod vomerat.) *fit perosus, & execrabilis: ità stultus, qui ad suum redit peccatum*. Quod explicans Bernadus, *Canis* (inquit) *reuersus ad vomitum fit odibilis multò plus, quam anteà: & fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuò sortes inciderit*. Quid est fieri filium gehennæ, nisi fieri reprobum?

Bernar. ser. 3. de Assump.

318 Secundò omnis pœnitentia ficta reprobationis est signum: Sed recidiuatio reducitur ad pænitentiam fictam: Ergo recidiuatio reprobationis est signum, & recidiui recensendi sunt inter reprobos. Maior patet ex allatis tract: prec. cap. 5. Minor probatur ex Patribus. Ambrosius: *Pænitentia vera est cessare à peccato; sic enim probat dolere se, si de cętero desinat*. Ergo à contrario pænitentiæ falsæ signum est, & ficti doloris, *si de cętero non desinat*. Augustinus *irrisor* (inquit) *est non pænitens, qui adhuc agit, quod pænitut: & peccata non minuit, sed multiplicat*. Hoc autem de ijs etiam qui pænitentiam agunt cum lacrymis, sed iterando peccata, pronunciat Fulgentius: *Nonnulli* (inquit) *scelerum suorum consideratione perterriti pro iniquitatibus suis in oratione gemunt: nec tamen ab iniqua operatione discedunt. Fatentur se malè fecisse, nec vllum finem volunt malis suis factis imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi: & eadem peccata, quæ humilitate sermonis*

Ambro. in 2. ad Cor. 2.

August. ser. 1. de panit. & ieiun.

Fulgent lib. de remiss. pec. cap. 12.

monis accusant, corde peruerso continuant, & cumulant. Indulgentiam quam suis lacrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi prauis operibus adimunt. Medelam postulant à medico, & in perniciem suam subrogant adiutorium morbi; Tales numquam diluunt gemendo peccata, quia non desinunt peccare post gemitum. Ex hoc argue, quid dicendum de ijs, qui sunt sine lacrymis recidiui? Gregorius loquens de vrbibus Philistijm, quæ post peccatum *obtulerunt singulæ singulos anos, & singulos mures aureos. Anum* [inquit] *vnum, & murem vnum Deo pro delicto non offert, qui & si pęnitendo compungitur, fæditates multiplicat, quas Deo, ei confessus repręsentat. Perfectè enim conuertitur, qui, cum semel quod prauè egerat, plangit, quod denuò plangat vltrà non repetit.* De horum pænitentia Tertull. pronunciat esse *pęnitentiam hypocritarum: quorum pænitentia nunquam fidelis.* Ergo signum hi reprobationis habent ex pænitentia ficta: quia tam citus, & tam facilis post pęnitentiam in eadem grauia peccata relapsus signum est, quod accedunt cum ficto dolore & ficto proposito: & quod volunt palliare quodammodo conscientiam, quod est potissimum reprobationis indicium; sicut prædestinationis est signum conscientiæ ingenuitas. Ideò dicitur psal. 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in Monte sancto tuo!* & respondet, *qui loquitur veritatem in corde suo*: quia reproborum est mentiri in corde suo, dum conantur sibi ipsis

Gregor. lib. 3. in 1. reg. c. 6

Ter. lib. de pænit c. 5.

Psal. 14.

persua-

persuadere verum se habere dolorem, & verum propositum non peccandi, quod ipsimet tacitè cognoscunt, vt fictum. De his dicitur Psal. 35. *dolosè egit in conspectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium*, siue, *vt inueniret iniquitatem suam, & odisset*, iuxta lectionem Augustini enarr. in eum Psal. vbi inquit: *Homines, qui quasi conantur quærere iniquitatem suam, & timent illam inuenire: quia si illam inueniunt, dicitur illis, recedite ab illa.* Qui ergo recidiuantes in idem peccatum ità pallian-tes conscientiam ad pœnitentiam accedunt, vt ab iniquitate non recedant, hi loquuntur mendacium in corde suo: quod est supremum reprobationis signum: sicut signum habet prædestinationis is, qui *loquitur veritatem in corde suo.*

Ps. 35.

319 Tertiò esto pœnitentia recidiuorum fuerit vera, adhuc tamen recidiuitas propria est reproborum: quia per relapsum in idem peccatum redditur planè inutilis pænitentia. Patet hoc ex Eccl. 34. *Qui baptizatur à mortuo* [idest lauatur, postquam tetigerit mortuum, iuxtà legem præscriptam Hebræis Num. 19. *& iterum tangit illum quid proficit lauatio eius? sic homo, qui ieiunat pro peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem eius quis exaudiet?* In quem locum Hugo Victorinus, *qui baptizatur* (inquit) *à mortuo, idest, qui mundatur à peccato aqua compunctionis, si rursus illud tangit, nihil ei prodest: quia sequens culpa pænitentiam perdit.* Augustinus etiam

cor-

Corrumpitur (inquit) *pęnitentia si eisdem quis pro quibus confitetur, inuoluatur malis. Vnus enim ędificans; & alius destruens, quid consequentur nisi laborem? & qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit in lauacro suo? & iterum dicit, qui redit à iustitia ad peccatum, precipitat eum in gladium.* Locus hic habetur Eccl.26. vbi vulgata, *qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad romphęam*: Quid est parauit eum ad romphęam, nisi ad damnationem animæ, & corporis, per gladiũ vtraque parte acutum, qui exibit de ore eius, nẽpè per sententiam illam *Ite maledicti*, quæ romphæa est vtraque parte acuta afferentis, & animę, & corporis æternam mortem. Præterea Gregorius, *Baptizatur* [inquit] *à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato: sed post baptisma mortuum tangit, qui culpas post lacrymas repetit.* Rabbanus in eumdem locum *post baptismum* (inquit) *mundus esse negligit, quisquis post lacrymas vitæ innocentiam non custodit, & lauantur ergo, & nequaquam mundi sunt, qui commissa non desinunt, sed rursus flendo committunt.* Idcircó Tertull. vbi [inquit] *Emendatio nulla, pęnitentia est sine fructu*, & infrà. *Quid te cognouisse interest* (nempè fœditatem peccati) *si cum ijsdem incubes, quibus retrò ignorans?* Quod agnouit ipsemet Seneca epist.2. vbi *Non prodest* [inquit] *cibus, qui statim sumptus emittitur: non conualescet planta, quæ sæpè transfertur. Nihil tam vtile est, quod prosit in transitu.*

Aug. ser. 181. de temp.

Eccl. 26.

Apoc. 1.

Gregor. 3 p. past. adm. 31.

Tertull. lib. de pen. c. 2.

Sen. ep. 2.

320 Quartò recidiui recensendi sunt inter reprobos, quia nouum peccatum post acceptam remissionem prioris ex circumstantia ingratitudinis grauius est, quàm prius. Ergo sicut prædestinatorum est semper proficere in melius: sic reproborum est semper labi in deterius. Antecedens patet, tum ex terminis, tum è scripturis. Ioan. 5. *Noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*, quia scilicet peccatum deterius sequi debebat pœna deterior. Quem locum expendens Cyprianus. *Ecce* (inquit) *sanus factus es, etc. Dat viuendi morem: dat innocentię legem, postquam contulit sanitatem. Nec habenis solutis vagari postmodum patitur, sed grauius comminatur: quod sit scilicet minor culpa deliquiße antè, cum nec dum noßes disciplinam Dei: nulla sit venia vltrà delinquere, postquam Deum noße cœpisti*. Expendenda sunt illa verba *Nulla sit venia vltrà delinquere*: quia scilicet ità est difficilis venia post relapsum, vt Cyprianus pronunciet esse nullam. Probat id Bernardus similitudine morbi, in quem periculosius est recidere, quam incidere, *Si* (inquit) *gratia propitiata redierit, multò magis tunc timendum, ne contingat recidiuum pati iuxta illud, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Audis recidere, quàm incidere esse deterius*. Colligitur idem etiam ex Matth. 12. *fiũt nouissima hominis illius peiora prioribus*; Et ex Ieremiæ 2. *quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas*. Præthereà idem probatur ex Paulo

Cypr. lib. de disciplina & habitu Virginũ.

Bernar. ser. 59. in Cantic.

Mat. 12

Ierem. 2.

Paulo ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, etc. & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam.* Ex quo loco Tertullianus sumpsit occasionem hæresis, quod recidiui non essent admittendi ad pœnitentiam. Sed germanus sensus est, quod hoc sit impossibile, idest ratione tantæ ingratitudinis valdè difficile, vt explicant Anselmus, Hugo, Lyranus, & alij. Tanta est difficultas, vt appelletur ab Apostolo impossibilitas. Porrò quàm grauem Deo iniuriam inferat recidiuitas explicat idem Apostolus his verbis, *rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Quod verò id sit reprobationis signum demonstratur etiam ex sequentibus. *Terra proferens spinas, ac tribulos reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem.* Hæc è Scripturis. Patet idem præterea ex Patribus. Chrysostomus probat id similitudine vulneris recenter obducti: quod vel minimo ictu, quando non plenè conualuit, recrudescit, ac ducit ad mortem. *Noli* (inquit) *peccare post veniam: noli vulnerari post curam: noli sordidari post gratiam. Cogita grauiorem culpam esse post veniam: renouatum vulnus peius dolere post curam. Molestius hominem sordidari post gratiam.* Et infrà *Indulgentię* [inquit] *ingratus est, qui peccat post veniam. Sanitate indignus est, qui semetipsum, postquam curatus est, vulnerat; nec mundari meretur,* qui

Ad heb. 6.

Tertull. lib. 1. de pudi cit.

Ansel. Hug. Lyran. & alij.

Chrysost ser. de lapsu primi hominis qui habetur to mo 1.

qui ſeipſum poſt gratiam ſordidat. Tum concludit. *Graue eſt hominem inſtructum delinquere; grauius abſolutum peccare. Peior eſt, qui dominum poſt datam libertatem offendit*. Tertull. probans *gratiam ſemel cognitam, atque ſuſceptam nunquam poſthac iteratione delicti reſignari oportere*, perpendit grauitatem peccati iterati poſt pœnitentiam. Quippè peccator redeundo ad peccatum gaudium facit diabolo: ſicut priùs pænitendo fecerat Angelis Dei. *Non leuiter* (inquit) *in Dominum peccat; qui cum æmulo eius diabolo per pænitentiam renunciaſſet, rurſus eumdem regreſſu ſuo erigit, & exultationem eius ſe ipſum facit: vt demum recuperata ſua præda aduerſus Dominum gaudeat*. S. Ephrem perpendit idem ex materia doloris, quàm recidiuus præbet Deo, & Angelis Dei. *O quantum* (inquit) *gaudium eſt in cælis, ſimul ac peccator in terra fundit lacrymas. O quantus rurſus dolor erit in Cælo, quando homo, qui abrenunciauit Sathanæ, & operibus eius coniunctus Chriſto, iterum conuerſus fuerit retrorſum oblitus pactorum: & inhæſerit antiquis, quibus rectè abdicauerat*. Tertullianus expēdit, in hoc, recidiuum expertum ſemel Chriſti Regnum, & diaboli, quando ad hunc voluntariè redit præponere Chriſto diabolum. *Nonnè* (inquit) *hic diabolum Domino præponit? Comparationem videtur egiſſe, qui vtrumque cognouerit; & iudicato pronunciaſſe eum meliorem, cuius ſe rurſum eſſe maluerit*. Addit in hoc, recidiuum facere pœnitentiam ſuæ pœnitentiæ: & ſic fieri Deo exoſiſſimum.

Tertull. lib. 1. de pæni. c. 6.

mum.

mum. Sicut enim ſubditus, qui poſt acceptam rebellionis veniam iterum rebellaret ad hoſtem: *ità, qui per delictorum pænitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentię pęnitentiam ſatisfaciet: eritque tantò magis peroſus Deo, quantò ęmulo eius acceptus*. Si igitur recidiuus Deo exoſus eſt, acceptus diabolo, mœrorem in cælo facit, gaudium in inferno: ad eam vtique ſortem pertinere cenſendus eſt, cui adhæret. Dumque alia, & alia iteratione peccati ſemper peccat grauius, & grauius, vt oſtenſum eſt: vtique ſemper labitur in deterius, ac deterius: quod planè proprium eſt reproborum: & ſic non poſſunt rationabiliter hi recenſeri inter electos.

321 Poſtremò, & fortius. Quotieſcumque aliqui ex adultis ſunt prædeſtinati, omnia ijs cooperantur in bonum, etiam peccata. Sed habitualiter recidiuis, peccata non cooperantur in bonũ: Ergo habitualiter recidiui non ſunt numerandi inter prædeſtinatos. Maior patet ex Paulo ad Rom. 8. vt oſtenſum eſt tom. 2. lib. 3. q. 4. num. 15. Minor probatur. Quia in tantum peccata cooperantur in bonum, in quantum cooperantur ad pœnitentiam fructuoſam poſt peccatum, vt in eodem tomo oſtenſum eſt, & hic tractatiunc. prima cap. 5. Sed habitualiter recidiuis peccata nõ cooperantur ad pęnitentiam peccatorum. Tum quia primus pœnitentiæ fructus eſt non relabi, vt ſuprà probatum eſt. Tum quia intantum pœni-

tentia

tentia cooperatur in bonum, in quantum affert non ſolum emendationem, ſed etiam meliorationem vitæ, vt probatum eſt locis citatis, adeò vt *non ſolum nullum attuliſſe ęſtimetur lapſus impedimẽmentum, ſed etiam velocitatis incentiua cumulaſſe*, vt docet Ambroſius: qui etiam addit *ſemel, aut iterum lapſos gratia maiore viciſſe*, vt appareat qui lapſi connumerari poſſunt inter electos. In ijs autem, qui non ſemel, aut iterum lapſi ſunt: ſed ſunt habitualiter recidiui, non ſolum nulla eſt in pœnitentia melioratio vitæ: ſed ſemper relapſus in peius, vt paulò antè oſtenſum eſt. Ergo hi recidiui non ſunt ex numero prædeſtinatorum, quibus peccata per pœnitentiam cooperantur in bonũ. Relinquitur ergo, vt ſint ex numero reproborum. Quamobrem Chryſoſtomus epiſt. ad Theodorũ lapſum *tantùm* (inquit) *ne relabaris: nec excindas ſpes ampliores*: quia ſcilicet ſpes gloriæ maximè conſiſtit in hac negatione relapſus, quaſi ſupponendo excindi ſpem gloriæ per relapſum.

Ambr. lib. de Apolog. Dauid c.2.

322 Confirmatur primò ratione à priori, quia peccatum ſæpius, atque ſæpius iteratum gignit conſuetudinem peccandi. Hæc autem coniuncta cm pronitate naturę corruptę ad peius pęnè irreparabiliter ducit ad barathrum, vt oſtenſum eſt tractatiunc. præced. cap. 4. Quamobrem Gloſſa *Opus* (inquit) *ſequitur conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio*. Ergo hi, qui ſæpius relabendo accreſcunt

Gloſſ. in Iob. 31.

crescunt peccata peccatis numerari non debent inter electos.

323 Confirmatur secundò ex ijs, quæ requiquirunt Patres ad hoc, vt pœnitentia post peccatum prædestinationis sit signum, nempè quotidianum peccatorum dolorem, ieiunia, eleemosinas, lacrymas, vt fusè ostendimus tractatiun. prima. cap. 5. Quippè vt monet Augustinus, *grauia peccata grauissimis lamentis indigent*. Et ideò ibidem dicit patrata peccata *esse quotidie flenda*. Ergo ex Patribus, nullum prædestinationis signum in eis possumus recognoscere, qui non solum non quotidie flent peccata, sed pœnè quotidiè iterant.

324 Confirmatur tertiò, quia ad prædestinationis signum post peccata requiritur satisfactio pro peccatis. Ex Augustino autem *satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum abscindere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere*.

Aug. lib de dog. Eccl. ca. 54.

325 Confirmatur quartò ex ijs, quæ Deus requirit in scripturis à peccatore pœnitente, vt illum reponat inter prædestinatos. Et quoniam citari solet ad præbendam spem Ezechiel sub ijs verbis in quacumque hora ingemuerit peccator, &c. quæ verba ibi non sunt, dabimus duplicem eiusdem Ezechielis locum, in quo de hoc agit. Primus est c. 18. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quę operatus est, & custodierit omnia pracepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam,*

Ezec. 18

vita

Ezec. 38 *vita viuet, & non morietur*. Secundus locus est cap. 38. *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pęnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium, & iustitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, & in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum: vita viuet, & non morietur*. Ecce ex diuino oraculo, post peccatum qualis pœnitentia requiratur ad salutem. Non dicit tantummodò *Si egerit pœnitentiam*, sed addit, *si omnia præcepta custodierit: in mandatis vitę ambulauerit*, quod dicit continuatam quandam obseruantiam mandatorum: *si non fecerit quid iniustum*, idest peccaminosum; ex quo quilibet peccator iniustus dicitur. Ergo expressè requiritur negatio recidentiæ in peccatum. Apparet ex his scripturæ locis quæ spes esse possit in his, qui non quomodocumque, sed sunt habitualiter ad peccata eadem recidiui.

326 Confirmatur denique vltimò, quia si collocandi sunt in numero prædestinatorum, vt volunt aduersarij, *ij qui vitam transigunt cadendo, & resurgendo*, quod est dicere, qui habitualiter per totam vitam sunt recidiui, sequeretur, quod hæc ipsa recidiuitas habitualis esset vnum è prædestinationis signis: quia ex hoc, qui tales sunt arguuntur esse inter prædestinatos. Sed hoc est absurdum ex terminis, & aduersatur Patribus, qui in eius opposito agnoscunt signum prędestinationis, vt fusè ostensum est. Ergo, &c. Denique

an

an recidiui, & præsertim habitualiter recidiui, qui cadendo, & resurgendo vitam transigunt annumerandi sint inter electos, an inter reprobos; stetur testimonio Pauli ad Hebræos 10. qui prohibendo hunc relapsum: *Non habeant* (inquit) *vltra conscientiam peccati cultores semel mundati.* Ex cuius contrario quid sequatur infrà subdit; *Voluntariè peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quę consumptura est aduersarios.* Magna comminatio recidiuantibus in peccata post acceptam veritatis notitiam per fidem, & multò magis post perspectam, & odio habitam fœditatem peccati per pœnitentiam. Grauior fit hæc comminatio ex ijs, quæ subijcit. *Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit.* (quod fit per quodlibet mortale) *& sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est* [in sacramento tum baptismatis, tum pænitentiæ] & *spiritui gratię* (toties accepto, & toties reiecto) *contumeliam fecerit?* Vndè infra concludit. *Horrendum est incidere in manus Dei viuẽtis.* Videatur ex hoc quale fiat ab Apostolo de recidiuantium salute iudicium. Quod si ex aduersarijs etiã inter fideles adultos maior pars hominum cadendo, & resurgendo transigit vitam, quod est esse, non quomodocumque, sed ha-

Ad Hebr. 10.

bitualiter, & per totam, vitam recidiuum, manifestè sequitur maiorum adultorum partem pertinere ad reprobos, *et ad filios gehennæ*, vt recidiuos appellat Bernardus verbis citatis num. 21. & sic ex ipsomet aduersariorum argumento videtur concludi contrarium.

Bernard

PARAGRAPHVS XXIV.

In quo fit satis argumento adducto, et eruto à multitudine recidiuorum.

327 ANtequam ad solutionem argumenti deueniamus. Notandum est primò, non omnes recidiuos pertinere ad rebrobos: sed eos dumtaxat relapsos, in quorum mortali corpore peccatum regnat: & hoc tanquam certum ab ipsomet Recupito admittitur, & docetur. Ipse enim tractatiuncula prima de signis prædestinationis, & reprobationis cap. 4. de secundo reprobationis signo nu. 26. fol. 34. & 35. explicans illa verba ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, sic ait. Sunt enim aliqui, in quibus peccatum transit; sed non habitat; Aliqui, in quibus habitat, sed non regnat; Aliqui, in quibus habitat, & regnat. Primi ij sunt, qui per pænitentiæ celeritarem efficiunt, vt peccatum sit in ipsis quodammodo transeunter: & hoc prædestinationis est signum, vt ostē-

Recupit. cap. 4. n. 26. p. 34. & 35

Ad Roman. 6.

sum

„ ſum eſt. Secundi ſunt ij, qui neque tàm citò
„ conuertuntur, vt dici poſſit, per eos peccatum
„ tantummodò tranſire: neque tam ſerò, vt dici
„ poſſit regnare: & in eo ipſo, in quo peccant,
„ licet ſæpè vincantur, ſæpè etiam vincunt: &
„ ſic peccatum in ijs non plenè dominatur, ac
„ regnat. Hi quoad ſignum prædeſtinationis,
„ aut reprobationis, medio modo ſe habent.
„ Tertium genus hominum eſt eorum, in quibus
„ peccatum non eſt tranſeunter, ſed permanen-
„ ter: neque in ijs ſolum habitat, ſed regnat, quia
„ eos peccatum plenè, ac pacificè poſſidet, ſicut
„ Rex proprium Regnum: circumductos vnde-
„ quaque ad nutum eius paſſionis, quæ in eorum
„ cordibus dominatur. Hoc eſt maximum repro-
„ bationis ſignum, quod omninò cauendum eſ-
„ ſe iubet Apoſtolus his verbis. *Non regnet pec-*
„ *catum in veſtro mortali corpore.* Eſt enim animad-
uerſio Bernardi. Vbi eſt [*inquit*] conſiderare ho-
mines, in quibus peccatum non modo habitat,
ſed etiam regnat. Eſt & alios inuenire de quibus
quidem adhuc manet peccatum, ſed non domi-
natur, aut præualet: euulſum quodammodo, ſed
non expulſum: deiectum, non prorſus eiectum.
„ Hoc poſtremum ad aliquale ſignum prædeſti-
„ nationis accedit: illud prius ad ſignum maxi-
„ mum reprobationis. Ideò Gregorius in illud
„ Iob *Calcet ſuper eum quaſi Rex interitus*:
Diabolus (*inquit*) reprobi mentem, dum poſſidet,

S. Bern. ſer. 10. in pſal. Qui habitat.

 calcat:

Greg. lib. 14. mor. cap. 9. calcat: quia quoties eam delectationibus pressit, toties super eam pedes suæ tyrannicæ dominationis posuit. Si verò interitus nomine non diabolus, sed peccatum debet intelligi, à quo contingit reprobos ad interitum trahi, talis nimirum interitus, quasi Rex calcat mentem, cum eam non resistentem possidet. *Et infrà*. Huius interitus regnum á discipulorum cordibus repellebat Apostolus cum dicebat, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non enim ait, Non sit; sed non regnet: quia non esse non potest: non autem regnare in cordibus bonorum, potest.
„ Peccatum igitur in Electorum mentibus aliquando est, sed non regnat: in reprobis non solum est; sed dilata pœnitentia perlongum peccandi vsum etiam regnat. Hinc est illud Isaiæ 19. *De radice colubri egredietur Regulus*. Cũ enim quodlibet peccatum sit coluber iuxta illud Ecclesiast. 21. *Quasi à facie Colubri fuge peccatum*: De radice colubri egreditur Regulus: quia de peccato iam radicato nascitur habitus qui tanquam Regulus reproborum mentibus dominatur. *Isa. 14.* *Eccl. 2.* Ex doctrina igitur ipsiusmet Recupiti patet, recidiuos ad reprobos pertinentes, esse dumtaxat eos, qui post relapsum pœnitentiam protrahunt, vel vsque ad mortem, vel per longũ tempus, in ijs enim non transit, sed habitat; nec solum habitat, sed etiam regnat peccatum. At recidiui, qui licet sæpè cadant, & vincantur; sæ-

pè

pè nihilominus resurgunt,& vincunt: non ità pertinent ad reprobos,vt non pertineant etiã ad prędestinatos:cũ inter prędestinatos,& reprobos medio modo se habeant: imò cum in vltima vitæ linea se per Ecclesiæ saramenta præparent, & ad iustificationem proximè disponant, probabilius est ad prędestinatos,quàm ad reprobos pertinere.

328 Notandum est secundò, ingratitudinẽ aliquando, & ferè semper, esse circumstantiam quandam, quæ generaliter consequitur omne peccatum mortale, quo Deum offendimus: vndè omnis, qui mortaliter peccando Deum offendit, est Deo ingratus; Aliquando verò peculiarem peccati speciem constituere, & esse speciale peccatum: quod tunc contingit, quando homo post susceptum peccatorum remissionis beneficiũ iterum peccat ex contemptu Dei: quamuis enim homo in quocumque peccato contemnat Deum; non tamen quodlibet peccatum committit ex contemptu Dei. Hanc ingratitudinis distinctionem expresè docet D. Thom. 3. p. vbi ait. Ingratitudo peccantis quandoque est speciale peccatum: quandoque autem non: sed est circũstantia generaliter consequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur: Peccatum enim respicit speciem ex intentione peccantis: Vndè, vt Philosophus dicit 5. Ethic. Ille qui mæchatur, vt furetur, magis est fur, quam Mæchus. Si igitur aliquis peccator in contemptũ

D.Th.3 p. q.89. ar. 4. in corp.

Dei,

Dei,& suscepti beneficij aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitudinis: & hoc modo ingratitudo peccantis est speciale peccatum. Si verò aliquis intendens aliquod peccatum committere(puta homicidium aut adulterium] non retrahetur ab hoc,quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit speciale peccatum; sed trahetur ad speciem alterius peccati,sicut circumstantia quędam. Vt enim Augustinus dicit lib. de natura,& gratia, non omne peccatum est ex contemptu: & tamen in omni peccato Deus contemnitur in suis præceptis. Ex quibus omnibus patet, illos peccatores recidiuos esse inter reprobos recensendos, qui peccant ex Dei contemptu: non autem eos,qui quãuis peccando Deum contemnant, tamen non ex contemptu Dei peccant: illorum enim ingratitudo constituit speciale peccatum, quod non facit ingratitudo istorum.

329 Notandum tertiò, illum recidiuum fictè agere pœnitentiam, & conscientiam palliare, qui ità seipsum post gratiam sordidat,ità postquã curatus est, vulnerat, vt in actu ipso pœnitentię, simul agat idem, de quo pænitet, vel proponat se itérum facturum eademmet peccata, quæ commiserat, vel actu committat idem, vel aliud genus peccati. Qui tamen semel verè pœnituit, quamuis posteà, vel actu, vel proposito relabatur, & peccet, non per hoc tollitur, quin prior

eius

eius pœnitentia fuerit vera: non enim per actum contrarium, qui subsequitur, prioris actus veritas tollitur, & excluditur: vndè D. Thomas 3. p. totum hoc expresse docens ait. Ad quartum dicendum, quod pænitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere, scilicet simul dũ flet, vel actu, vel proposito. Ille enim est irrisor, & non pęnitens, qui simul dum pœnitet, agit quod pęnitet: vel proponit iterum se facturum, quod gessit: vel etiam virtualiter peccat eodem, vel alio genere peccati. Quod autem aliquis posteà peccet, vel actu, vel proposito, non excludit, quin prima pęnitentia vera fuerit: nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum cõtrarium subsequentem. Sicut enim verè cucurrit, qui posteà sedet: ità verè pœnituit, qui postea peccat. Hæc D. Th.

D.Th.3 p q.84.a 10.ad 4.

330 Hinc salutare illud Augustini monitũ: *si pænitet te, noli facere: si adhuc facis* (vel actu, vel proposito) *pænitens non es*. Quæ verba ità intelligenda sunt, vt ille verè pænitens non sit, qui rursus vult patrare confessa: hic enim de præteritis sic se accusat, & dolet, vt in posterum abstinere non constituat: vndè pœnitentiæ chymerã pro pænitentia vera amplectitur: & est vnus ex illis, de quibus dicit idem Augustinus. *Multi se peccatores pronunciant, quos adhuc peccare delectat. Professio est, non emendatio. Accusatur anima, non sanatur. Pronunciatur offensa, non tollitur*: Vndè tali

Aug. ser. 7. de tẽp.

liter pœnitenti iterandum eſt, quod languido dixit Chriſtus *Vade, et iam amplius noli peccare*: aut quod idem Chriſtus Dæmoni: *ſurde, et mute ſpiritus exi ab homine, et nè amplius introeas in eum*. At verò peccator, qui poſt lapſum reſurgit, quia firmam habet emendationis voluntatem, verè dicitur, & eſt pænitens; quamuis exiſtimet ſe ob naturæ corruptionem, & ingenitam fragilitatem, relapſurum. Aliud enim longè eſt relabi velle, aliud relapſum præuidere; quamadmodum in lubrico ambulans poteſt ſeriò nolle cadere, etiamſi præuideat, aliquando ſe caſurum.

Aliud eſt velle relabi, aliud prauidere relapſum.

331 Notandum quartò, poſſe conſuetudinem bonam vinci à mala: & è conuerſo conſuetudinem malam à bona ſuperari, iuxtà communem illam paræmiam: *Conſuetudo conſuetudine vincitur*. Hinc Seneca Philoſophorum moralium ſapientiſſimus, volens oſtendere quantum valeat iugis exercitatio apud ſceleratiſſimum quemque pro ira temperanda præſcribit frequens contrariæ virtutis exercitium, dicens. Nihil eſt tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſſidua meditatio: nullique ſunt tam feri, & ſui iuris affectus, vt non diſciplina perdomentur: quodcumque ſibi imperauit animus, obtinuit. Quidam nè vmquam ridere conſecuti ſunt: Vino quidam, alij Venere, quidam omni humore interdixere corporibus: didicerunt alij in funibus ambulare; immania

Conſuetudo bona vincitur à mala, & mala à bona.

pon-

pondera portare : mergi in profundum,nec respirare.Hęc Sen.Magna igitur est bonę cõsuetudinis vis , quando malæ opponitur ; Imò medium vnicum , quo mala consuetudo vincatur, est illi viriliter opponere consuetudinem bonam : vndè excellens est Chrysostomi affatum . *Consuetudo res difficilis est: vix abstrahi potest: vndè cum sit tanta eius violentia, quando mala: ea in alteram transferenda est consuetudinem* . Hoc vnico remedio vsus est Deus, vt deleret malam consuetudinem , quam incurrerant Hebræi : poterat enim eos Moyses compendiosiori via ducere in terram promissionis, vtpotè trium dierumspatio ; & tamen noluit, nisi per quadraginta annos: & huius rei rationem assignãs D.Petrus Apostolus apud Clementem Romanum 1. recognit. ait : *Iter breuissimum, quod fert de Egypto ad Iudęam relinquens* [Moyses scilicet] *per longos Eremi plebem ducit anfractus , vt quadraginta annorum exercitijs mala , quæ eos ex Aegyptiorum moribus, vsu longi temporis inuoluerant , innouatione mutatę consuetudinis aboleret* . Porrò de huius rei veritate opportunum habemus exemplum in vita S. Bernardi ; siquidem perditus quidam inter lasciuias scortator , qui neque ad diem poterat à Venereis abstinere , rogatus primò à Bernardo , vt in gratiam Dei ad triduum abstineret , triduum integrũ castus exegit ; rogatus secundò , vt tantumdem in Deiparæ honorem præstaret : annuit ille , alterumque triduum se à Venere continuit . Rogatus

Chrysost. hom. 26. ad pop. Antioc.

Petr. Apost. apu. Clementē Rom. 1. recog.

tertiò his verbis. *Semel adhuc inducias posco in honorem omnium Sanctorum*; fęliciter etiam tertio petitioni satisfecit. Sicque per nouem dierum consuetudinem assuetus ad continentiam, ità abhorruit in posterum à libidine, vt spontè Bernardum conueniret, dicens: *Nolo amplius diurnas: sed perennes cum Deo inire inducias*. En quomodo bona, sed breuis consuetudo, malam, & longissimam vicit: & prior libidinis vsus contrario virtutis exercitio sublatus est. His prænotatis.

332 Respondeo primò ad argumentũ principale retorquendo telum, & contra Recupitum ad hominem arguendo. Qui neque tam citò conuertuntur, vt dici possit per eos peccatum tantummodo transire: neque tam serò, vt dici possit regnare, hi quoad signum prædestinationis, aut reprobationis medio modo se habent: sed ex adultis maior pars, quæ vitam transigit cadendo, & resurgendo, non tam citò conuertitur, vt dici possit in ea peccatum tantummodo transire: neque tam seró, vt dici possit regnare. Ergo quoad signum prædestinationis, aut reprobationis medio modo se habet. Ergo regulariter, & iuxtà leges communes adultorum maior pars non pertinet absolutè ad reprobos. Hæc secunda consequentia patet ex prima. Prima verò patet ex forma. Minor constat ex terminis. Maior à nobis admittitur vt vera: & à Recupito loco citato in primo notando num. 376. assumitur, vt certa etiã

inter

inter fideles. Vrgeo vlterius sic. Peccatum regnare in homine est maximum reprobationis signum: transire per celeritatem pœnitentiæ est optimum prædestinationis signum: non dominari, aut præualere, vt contingit in ijs, qui cadendo, & resurgendo vitam transigunt, ad aliquale signum prædestinationis accedit, vt ibidem expressè docet Recupitus. Ergo ex ipsius doctrina maior fidelium adultorum pars, quę cadendo, & resurgendo vitam transigit regulariter, & iuxtà leges communes non pertinet omninò ad reprobos.

333 Respondeo secundò ad argumentum in forma negando maiorem: in ijs enim, qui vitam cadendo, & resurgendo transigunt peccatum mortale non habitat, neque regnat, quod est dumtaxat reprobationis signum, vt ipsemet Recupitus docet.

334 Respondeo tertiò distinguendo maiorem. Pertinet ad reprobos tantum, & nego maiorem: pertinet medio modo tum ad reprobos, tum ad prædestinatos, & concedo maiorem: vndè concessa minori, nego absolutè consequentiã. Ratio est, quia, vt diximus in primo notando, qui modo cadunt, modò resurgunt [de quibus tantum hic loquimur] non minus pertinent ad reprobos cadendo, quam pertineant ad prædestinatos resurgendo: nam si recidunt, sunt secundum præsentem iustitiam reprobi: sed iterum resurgen-

tes ſunt ſecundum præſentem iuſtitiam prædeſtinati.

335 Ad primam probationem maioris concedo, quod is, qui ad ſuum redit peccatum, & ſicut canis regreditur ad vomitum, fieri, durante peccato, peroſum, & execrabilem ſecundum præſentem iuſtitiam: nego verò fieri execrabilem & peroſum, necnon filium Gehennæ, & reprobum ſimpliciter, & finaliter: quia cum nos loquamur ſolummodo de fidelibus poſt lapſum reſurgentibus, & in fine vitæ ſe per Eccleſiæ ſacramẽta ad iuſtificationem præparantibus, fit indè, vt qui cadit, durante peccato fiat filius gehennæ, & multò plus odibilis, quam anteà: ſed poſteà cum reſurgit, fiat per reuiuiſcentiam prioris pœnitentiæ, ac præcedentium meritorum, vel ſicut anteà vel pluſquam anteà acceptus, & amabilis.

336 Ad ſecundam conceſſa maiori, nego minorem: ad cuius probationem dico, Patres adductos eſſe intelligendos de recidiuis, qui poſt relapſum iterum pœnitentes, & flentes peccata, peccare non deſinunt; quia in ipſo pœnitentiæ exercitio, vel actu peccant, vel peccandi propoſitum retinent: & horum recidiuitas ad pœnitentiam fictam reducitur: & iſti ſolummodò iuxtà Auguſtinum dicuntur Irriſores. *Ille enim eſt irriſor, & non pœnitens* (vt diximus cum S. Th. in notando tertio) *qui ſimul dum pœnitet agit, quod pęnitet, vel proponit iterum ſe facturum, quod geſſit.*

Et

Et de his Recidiuis etiam loquutum esse Fulgentium, liquet ex ipsismet verbis ipsius dicentis. *Pro iniquitatibus suis in oratione gemunt: nec tamen ab iniqua operatione* (vel actu, vel proposito) *discedunt. Fatentur se malè fecisse, nec vllum finem volunt malis suis factis imponere. Peccata, quæ humilitate sermonis accusant, corde peruerso continuant, & cumulant.* At fideles, qui nunc cadunt, nunc resurgunt, de quibus in præsenti loquimur, non sunt habitualiter recidiui; sed inter vnum, & alium lapsum pænitentiam interponunt, & saltem in fine vitæ, quando per sacramenta se preparant, actu pœnitent, ideò non est præsumendum, vel actu, vel proposito tūc peccare: Vndè horū pęnitentia non potest, nec debet cum Tertulliano dici pænitentia hypocritarum; istorum enim pœnitentia semper ficta est, sincera nunquam: quia semper *loquuntur mendacium in corde suo.* At pœnitentia eorum, de quibus loquimur, non simulata est, sed fidelis, & vera, & veritatem in corde suo loquuntur: Neque per hoc quod post pænitentiam, vel actu, vel proposito peccent, tollitur, quin prior pænitentia vera fuerit: sicut enim verè cucurrit, qui postea sedet: ità verè pænituit, qui posteà peccat, vt diximus cum D. Th. notan. tertio num, 378.

S. Fulg.

337 Ad tertiam nego absolutè assumptum: non enim omnis recidiuitas est propria reproborum: sed tantum illa, quæ in ipsius pænitentiæ

exer-

exercitio peccatum non deserit, sed in eo, vel actu, vel proposito perseuerat; tunc enim verum est, quod per relapsum in idem peccatum redditur inutilis pœnitentia, vt optimè deducit argumentum ex illo Eccl. 34. & ex auctoritatibus Hugonis Victorini, & Augustini: imò redditur cassa & irrita; nam pænitenti [si in eadem relabatur peccata] prior pænitentia ad gratiam, & salutem prodest nihil: nisi quod per eam, quando peracta fuit, ità peccata præterita deleta fuerunt, vt per illa pænitens in inferno puniendus non fuisset: quamuis esset gehennæ pæna puniendus propter peccata post priorem pænitentiam commissa. Cæterùm, qui quoties relabuntur toties resurgũt, non sunt recensendi inter reprobos: quia eorum pęnitentia (quoties resurgunt) non est inutilis, sed proficua: per illam enim gratia, virtutes, & merita præcedentia ità reuiuiscunt, ex communi Theologorum sententia, vt si tunc recidiuus pęnitens moreretur, vel eamdem, vel copiosiorem gratiam, & gloriam fæliciter consequeretur: Vndè auctoritas Gregorij, Rabbani, & Tertulliani allegatæ feriunt recidiuos primi generis: non autem eos, qui quoties recidunt, toties se erigunt, de quibus nos in præsenti loquimur. Illos enim, & non istos, parat Deus ad romphæam vtraque parte acutam, eis afferens animæ, & corporis duplicem mortem, vt habetur Apoc. 1. nam illi & non isti sunt, quos (si post relapsum pænitent)

in

in ipsius pænitentiæ exercitio, adhuc peccare delectat: vndè animam accusant, sed non sanant: quia pronunciant offensam, sed non tollunt, vt dictum est cum Augustino notando tertio n. 378.

338 Ad quartam nego antecedēs assumptū; quamuis enim peccator post acceptam remissionem præteriti nouum peccatum committat, & ex ingratitudinis circumstantia maiori pęna sit dignus, vtpotè, qui maioribus cumulatus beneficijs, auxilijs sibi datis abutitur; nihilominus, non hæc ingratitudo est illa, quæ facit, vt recidiuus inter reprobos describatur; hæc enim est pura quædam circumstantia, quæ generaliter omne peccatum consequitur. Ingratitudo igitur, quæ recidiuum inter præscitos recenset, est illa tantummodo, quæ speciale peccatum constituit, nempè contemptū Dei, & beneficij ab ipso collati, scilicet remissionis priorum delictorum, iuxtà ea, quæ diximus notando secundo num. 377. Qui igitur post delictorum remissionē noua peccata committunt in contemptum Dei, & beneficij ab eo collati, hi dicuntur verè, & specialiter ingrati, & meritò inter reprobos sunt recensendi. Quod dici nequit de ijs, qui nunc cadendo, nunc resurgendo vitam transigunt, & tandem in morte sacramentis se muniunt, & præparant: isti enim non sunt habitualiter recidiui, nec speciali nota ingratitudinis signandi, quia noua peccata, in quæ relabuntur, tantum abest, vt in contem-

ptum

ptum Dei committant; quod potius (reſurgendo) ad Dei miſericordiam confugiunt, vt delictorum remiſſionem impetrent; quod quidem non præſtarent, ſi Deum, eiuſque beneficium, ſcilicet remiſſionem peccatorum contemnerent: & ideò cum poſt relapſum reſurgunt, benè poſſunt, non inter reprobos, ſed potius inter electos recenſeri.

339 Ad probationes aſsũpti anteced. dico, omnes illas militare contrà eos recidiuos, qui ex cõtemptu Dei noua peccata committunt. Ad primam igitur concedo deteriorem pænam, ſcilicet infernalem, ſequi deterius peccatum, quod ſcilicet conſtituit ſpecialem notam ingratitudinis; Vndè Illuſtriſſimus Guido exponens verba illa. *Noli amplius peccare. Et dignè* (inquit) *ei, qui à Domino per peccata corporaliter caſtigatur, & à peccatis non ceſſat, deterius contingit: quia dum temporali pęna à momentanea peccati delectatione non reuocatur, in gehenna æternum ipſi ſupplicium præparatur.* Igitur illa comminatio non ferit fideles, de quibus nos loquimur: hi enim poſt lapſum reſurgunt, & reſurgendo à peccatis ceſſant, & per pænam temporalem à peccati delectatione reuocantur. Auctoritas Cypriani militat contrà recidiuos, qui ab agnita fidei veritate, ad Iudaiſmum, aut infidelitatem, ſeu hæreſim recidunt, quod clarè liquet ex illis verbis. *Nulla ſit venia vltrà delinquere, poſtquam Deum noſſe cœpiſti.* Et in hoc etiam

Guido Carm. fol. 414. ſuper 4. vnum.

ſenſu

sensu accipienda sunt verba Apostoli ad Hæbr. 6. nempè esse impossibile, idest valdè difficile, ratione ingratitudinis, quæ speciale peccatum constituit, rursus eos ad pœnitentiam renouari, qui post fidei illuminationem prolapsi sunt: ac post degustatas Spiritus sancti consolationes, & gratias, à Deo, à Christo, à Fide, ab agnita veritate descifcunt. Et itá exponunt hunc locum Anselmus, Lyra, Hugo, Dyonis. Titelm. Vasquez, Ribera, & alij recentiores Interpretes.

Anselm Lyr. Hu. Dyonis, Titelm. Vas. Ribera, & alij.

340 Et si quæras cur recidiui, qui nūc cadunt, nūc resurgunt facilè veniam consequantur: difficulter verò illi qui habitualiter in recidiuitate perseuerant, vel à Deo, eiusque fide descifcunt? Resp. hoc procedere ex triplici capite. Primum est, quia in recidiuis primi generis peccatum neq; regnat, neque dominatur, aut præualet: in recidiuis secundi generis habitat peccatum, & regnat. Secundum verò est, quia recidiui prioris generis sunt quidem ingrati, sed ingratitudine, quæ est tantum circumstantia generaliter consequens quodlibet peccatum mortale; at recidiuiui posterioris generis speciali ingratitudine nota inuruntur, quippè quæ prorumpens in Dei contemptū speciale constituit peccatū. Tertiū demū est: quia recidiui, de quibus nos loquimur sunt ingrati cōtrà beneficium tantùm, idest contrà beneficium remissionis peccatorum à Deo receptum. At recidiui, de quibus procedit argumentum sunt in-

grati non solum contrà beneficium: sed etiam contra formam præstiti beneficij, se tenentem ex parte pœnitentis. Ingrati autem huiusmodi sunt, vel qui apostatant à fide, vel qui dolent se pœnituisse, vel contemnunt consiteri peccata, sicut prius proposuerant, Est doctrina D. Thom. 3.p. qu.88. art.2. in corpore, vbi sic ait; *Ingratitudo potest committi dupliciter: vno modo, ex eo, quod aliquid fit contrà beneficium. Et hoc modo per omne peccatum mortale, quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remisit, &c. Alio modo committitur ingratitudo, non solum faciendo contrà ipsum beneficium: sed etiam faciendo contrà formam beneficij præstiti: quæ quidem forma, si attendatur ex parte benefactoris, est remissio debitorum. Vndè contrà hanc formam facit, qui fratri petenti veniam non remittit, sed odium tenet. Si autem attendatur ex parte pænitentis, qui recipit hoc beneficium, inuenitur ex parte eius duplex motus liberi arbitrij. Quorum primus est motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus fidei formatæ. Et contrà hoc facit homo apostatando à fide. Secundus autem est motus liberi arbitrij in peccatum, qui est actus pænitentiæ; ad quem pertinet, quod homo detestetur peccata præterita: & contrà hoc facit ille, qui dolet se pænituisse. Secundò pertinet ad actum pænitentiæ, vt pænitens proponat se subijcere clauibus Ecclesiæ per confessionem iuxtà illud Psal. 31. Dixi confitebor aduersum me in iustitiam meam Domino. Et contrà hoc facit ille, qui contemnit confiteri secundum*

D. Tho. 3.p.q.88 art.2.in corpore.

quod

quod proposuerat. Et ideò dicitur, quod specialiter ingratitudo horum peccatorum facit redire peccata prius commissa.

341 Quamuis igitur grauior sit culpa post veniam (vt Chrysostomus asserit) & grauius sit peccatum post pœnitentiam commissum, vt Tertullianus pronunciat. Ex his tamen non benè infertur, omnes recidiuos esse inter reprobos recensendos: sed solum illos, vel qui iterum peccant in contemptum Dei, & beneficij à Deo accepti, vel qui post agnitam veritatem à fide recedunt, vel qui dolent se pænituisse, vel qui peccacata non confitentur, quamuis anteà id proposuerint, vel qui semel relapsi vix resurgunt, & si resurgunt hoc faciunt non per pænitentiam veram, sed fictam. De ijs enim dumtaxat verificatur, quod Deo, & Angelis Dei mærorem præbent, vt vult sanctus Ephrem: & quod gaudium faciũt diabolo eumq; Deo præponunt, vt expendit Tertullianus. At fideles, de qnibus procedit quæstio, qũamuis cadendo cælum mæstitia repleant, & Angelos dolore afficiant, & diabolum Deo præferant: nihilominus resurgendo, cælum gaudio replent, lætitiam Angelis præbent, ac Diabolum Deo postponunt: vndè non possunt rationabiliter inter reprobos connumerari; Imò cum in fine vitæ sacramentis muniti decedant, sunt potius inter electos recensendi.

342 Ad postremam probationem, quam

Aduersarius *Fortiorem* appellat, veluti si foret eius Achilles, respondeo concedendo totum: concedo enim maiorem, scilicet, Prædestinatis omnia cooperari in bonum, etiam peccata. Nam per D. Augustinum *Prædestinati ex casu humiliores, cautiores, & feruentiores resurgunt*. Concedo etiam minorem, nempè recidiuis, qui sunt habitualiter tales, peccata non cooperarari in bonum: quia non cooperantur ad pænitentiam peccatorum; Imò fateor cum eodem Augustino. *Improbis, & reprobis omnia cooperari in malum, & ipsam orationem eorum verti eis in peccatum*. Quod tamen intelligendum est non propriè, & per se: sed per accidens: quia scilicet omnis gratia, omniaque dona Dei, ac per consequens ipsa etiam oratio cedit reprobis in grauiorem culpam, & grauiorem damnationem ex eo, quod huiusmodi Dei donis abutuntur, neque volunt illis vti; imò negligunt per illa se conuertere, suamque salutem procurare, quæ est ingens ingratitudo, neglectus, & contemptus gratiæ Dei. Concedo quoque consequentiam, nempè, habitualiter recidiuos non esse inter prædestinatos connumerandos.

August. lib. de corr. & grat. c. 1.

Idē ser. 78. de temp. & sol. c. 28.

342 Sed quomodo probat Recupitus, fideles, de quibus nos loquimur, esse habitualiter recidiuos tantùm ad malum? Certè si hoc, vel semel probaret, eius sententiam expansis vlnis amplecterer, & palàm prædicarem, plerosque fidelium damnari, quàm saluari. Sed quia ipse sup-

ponit

ponit, & non probat, fideles nunc cadentes, nunc reſurgentes eſſe habitualiter recidiuos ad malum tantum: imò, vt vidimus in primo notando num. 327. expreſsè docet medio modo ſe habere, & ad aliqualem prædeſtinatorum notam accedere; ideò nos mordicus negamus, eos eſſe inter reprobos abſolutè recenſendos. Imò probabilioribus rationibus innixi apertè fatemur, eos per bonam reſurgendi conſuetudinem eſſe potius inter electos connumerandos. Porrò quia maior fidelium pars non eſt minus prona ad cadendum, quàm prompta ad reſurgendum: ideò meritò ſubſtinemus, maiorem fidelium partem ſaluari, quã damnari.

344 Ad primam confirmationem ex ratione à priori diſtinguo maiorem. Peccatum ſępius iteratum & nunquam per pænitentiam retractatum, gignit conſuetudinem peccandi, concedo maiorem. Peccatum ſæpius per pænitentiam retractum gignit conſuetudinē peccandi, iterũ ſubdiſtinguo: Gignit conſuetudinem peccandi tantúm; & nego maiorem: gignit conſuetudinem non tantùm peccandi, ſed etiam pænitendi: & concedo maiorem. Ad minorem, reſpondeo iterum diſtinguendo. Conſuetudò tantùm peccandi coniuncta cum pronitate naturæ corruptæ ad peius, penè irreparabiliter ducit ad barathrum: concedo minorem. Conſuetudo non minus peccandi, quã pænitendi penè irreparabiliter ducit ad barathrũ: nego minorem; Ad conſequentiam diſtinguo etiam

etiam consequens: Ergo qui sæpius relabuntur, & nulla interposita pænitentia accrescunt peccata peccatis, numerari non debent inter electos, concedo consequentiam: Ergo, qui sæpius relabuntur, & inter vnum, & alium lapsum pęnitentiam interponunt, numerari non debent inter electos: nego consequentiam. Ex quo patet, fideles, de quibus nos loquimur esse inter electos connumerandos; quia quoties cadunt in peccatum, toties per pænitentiam resurgunt: Vndè non minus ex iterato lapsu contrahunt consuetudinem malam, quam ex iterata erectione contrahunt consuetudinem bonam: & quia consuetudo consuetudine vincitur, vt diximus notando quarto num. 380. ideò isti fideles per bonam consuetudinem resurgendi vincunt malam, quam ex lapsu iterato contraxerunt: & cum sint non minus ad malum, quàm ad bonum assueti, consuetudo, vt sic, non minùs sequitur eorum peccatum, quam eorum pęnitentiam. Ex quo fit, quod *sicut consuetudinem malam peccandi sequitur necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio*, vt ait Glossa: Ità *consuetudinem bonam pænitendi sequatur spes, spem autem sequatur iustificatio, iustificationem saluatio*.

345 Huc spectat illa Barlaami Eremitæ instructio, qua Iosaphatum Indiæ Regem docuit, vt caueret post susceptum baptismum peccata grauia, & si aliquod commiserit, illud statim per pęnitentiam retractaret. Omitto alia eius senten-

tiæ

tiæ verba, & recito tantum hæc, quæ faciunt ad intentum. *Propterea periculosum est in vitium, quodcumque illud tandem sit, labi. Cęterum si labi contigerit, statim euitandum est, vt resiliamus, rursumque ad præclarum certamen stemus. Et quoties cadere contigerit, toties etiam statim, vsque ad extremum vitę diem curandum est, vt resurgamus, atque in procintu stemus. Conuertimini enim ad me, & ego conuertar ad vos, ait Dominus.* Hùc etiam collimat seria illa D. Augustini adhortatio. Hæc ergo cogitantes (fratres charissimi) quantum possumus cum Dei adiutorio laboremus, nè nobis aliqua crimina, vel capitalia peccata subrepant, si verò in hoc malo fuerit aliquis diabolica calliditate prostratus, priusquam crimina ipsa per consuetudinem inualescant, remedium sibi in die necessitatis acquirat: cum ingenti rugitu, & gemitu Deum sibi reconciliari contendat. Nec erubescat pænitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere: sed citò in se bonis operibus contendat imaginem reparare, vt inter filios mereatur agnosci à Patre, nè ab illa æterna beatitudine exclusus, & à conuiuio nuptiali proiectus ligatus manibus, & pedibus proijciatur in tenebras exteriores, vbi est fletus, & stridor dentium; sed magis medicamentis pænitentiæ, humilitatis vel compunctionis ad sanitatem pristinam reuocatus, & bonorum operũ margaritis ornatus, audire mereatur: Euge serue bone, & fidelis intra in gau-

S.Dam. in vita Barlaã, & Iosa. cap.19. Ex vitis P.P. lib.1 ca.11. sub finem.

Idem consulit. Aug. & consuetudo peccati inualescat: sed potius à consuetudine pænitendi vincatur. t.10. feria 5. post Dom. quinqu. serm. 2 de pæn.

gaudiũ Domini tui. Hęc Aug. En quomodo fideles, de quibus loquimur, qui ſępius cadũt, & ſępius reſurgunt, ſunt ex ſententia Auguſtini connumerandi non inter reprobos, ſed inter electos: quia toties reſurgendo quoties cadunt, conſuetudine reſurgendi bona vincunt malam, quam cadendo contraxerant.

346 Ad ſecundam confirmationem dico peccata quotidie eſſe flenda non ex præcepto, ſed ex conſilio: vtile enim eſt peccata ſemper flere: ſed abſolutè neceſſarium non eſt. Duplex enim eſt pęnitentia, interior ſcilicet, & exterior. Interior illa eſt, qua dolemus de peccatis commiſſis: & hæc durare debet vſque ad finem vitæ: nam vt docet D. Th. 3. p. q. 84. art. 8. in corpore. *Semper debet homini diſplicere, quod peccauit: ſi enim placeret peccaſſe, iam ex hoc peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet.* Hinc Auguſt. lib. de vera, & falſa pænitentia cap. 13. *Quid nobis reſtat* (ait) *niſi ſemper dolere in vita? Vbi enim dolor finitur, deficit & pęnitentia. Si autem pænitentia finitur, quid relinquitur de venia? tamdiù enim gaudet, & ſubſtentatur à gratia, quamdiu ſuſtentatur à pęnitentia. Hinc ſemper doleat, & non ſit ſatis, quod doleat: ſed ex fide doleat, & non ſemper doluiſſe, doleat.* Exterior verò pœnitentia eſt illa, qua pœnitens exteriora doloris ſigna oſtendit, & ſunt ploratus, lacrymæ, gemitus, vigiliæ, ſuſpiria, & peccatorum vocalis confeſſio: *Et talis pęnitentia* [per D. Thom.

D. Th. 3 p. qu. 84 a. 8. in c.

Auguſt. l. de ver. & falſa pæn. c. 13

ibi-

ibidem) *non oportet, quod duret vsque ad finem vitæ: sed vsque ad determinatum tempus secundum mensuram peccati.* Non igitur tenemur ploratu, & lacrymis quotidie flere peccata: *Dicitur enim* Hierem.31.*Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis: quia est merces operi tuo.* Quem locum expendens D. Th. loc. cit. art.9. ad primum sic discurrit. *Vndè signanter ibi subditur, quia est merces operi tuo. Est autem merces operis pænitentis plena remissio peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad pænam: post cuius consecutionem, non est necesse, quod homo vlterius exteriorem pænitentiam agat. Per hoc tamen non excluditur continuitas pœnitentiæ, qualis dicta est.* Adde quod cum pænitere dupliciter dicatur,& pœnitere secũdũ actũ,& pænitere secundum habitum:necessũ non est, vt pœnitentia siue interior,siue exterior sit continua secundũ actũ, imò vt sit talis,est penitus impossibile.*Actu quidẽ impossibile est*(ait D.Th.ib.art.9.in corp.)*quod homo continuò pœniteat; quia necesse est, quod actus pœnitentis siue interior, siue exterior interpoletur ad minus somno, & alijs, quæ ad necessitatem corporis pertinent.* Secundum habitum verò necesse est, vt homo continuè pæniteat, displicendo semper sibi de peccatis præteritis, quotiès hæc in eius memoriam venerint, & hoc præstare omnes illos, qui semel, & iterum resurgunt valdè verisimile est: Vndè in eis aliquod prædestinationis signum relucet.

Hier.31

D. Th. l.cit.a.9. ad 1.

D.Th.idem a.9 in corp.

347 Ad tertiam confirmationem concedo ad prædestinationis signum post peccata requiri satisfactionem pro peccatis: concedo etiam Augustinum optimè definire satisfactionem respectu præseruationis à culpa futura: sed quid indè potest inferre Aduersarius contrà nos? certè nihil. Qui enim post satisfactionem relabuntur, non tollunt per relapsum, quin præcedens satisfactio recta fuerit; sicut qui post primam pænitentiam actu, vel proposito peccat, non excludit, quin prima pænitentia fuerit vera, vt ex D. Th. superius probauimus: & consequenter non tollit quin sua satisfactio sit prædestinationis signum.

348 Ad quartam confirmationem dico, pænitentiam, quæ post peccatum requiritur ad salutem esse illam, qua pænitens anteacta peccata deflet, & simul dum flet, vel actu flenda non committit, vel proponit non commissurum, vt diximus supra cũ D. Th. Quando igitur Deus per Ezechielẽ dixit. *Et custodierit omnia pręcepta mea*, Verba hęc non sunt intelligenda secundum actũ, sed secundũ propositum: Idẽ enim fuit dicere *Et custodierit omnia præcepta mea*, ac si dixisset, si proposuerit custodire omnia præcepta mea; esto non dum actu custodiat. Ex quo patet, ad pænitentiam, quæ necessaria est ad salutem, sufficere votum satisfaciẽdi, propositum scilicet custodiendi mandata: Nã, vt ait D. Thom. 3.p. quęst. 90. art. 9. ad secundum. *Satisfactio confert gratiam, prout est in proposito, &*

D.Tho. 3.p.q.90. a.2. ad 2

auget

auget eam, prout est in executione. Aliter argumentum nimium probaret, & esset in plus; quia si satisfactio non sufficeret quoad propositum, sed esset necessaria eius executio, nullus fidelium, qui se per sacramenta præparat in mortis articulo saluaretur; cum nullus eorum in extrema illa vitę periodo, posset actu omnia Dei præcepta custodire, & in vitæ mandatis ambulare. Ad votum, igitur, ac propositum custodiendi mandata, quod includit pænitentis contritio, loca illa Ezechielis referenda videntur. Vide quæ diximus §. 5. numer. 121. Quod votũ, ac propositum habere omnes illos, *qui vitam transigunt cadendo, & resurgendo*, & præcipuè, qui in fine vitæ per sacramenta se præparant, probabilissimum est, vt liquet ex supradictis.

349 Ad vltimam confirmationem dico argumentum laborare semper in eodem æquiuoco; & semper supponere pro concesso id quod mordicùs negatum est, & ab arguente nunquam adhuc probatum, nempè eos *qui cadendo, & resurgendo vitam transigunt*, esse habitualiter per totam vitã recidiuos. Nego igitur tales fideles esse recidiuos per totam vitã, atque adeò nego sequelam, quam ipse infert ex falso supposito, nempè ipsam recidiuitatem habitualem esse vnum è prædestinationis signis: Nam nos non ideò connumeramus fideles inter prædestinatos, quia sunt per totam vitam recidiui: sed potius quia cum cadendo,

& resurgendo vitam transigant, nullatenus dicendi sunt habitualiter recidiui per totam vitam; cũ per ipsummet Recupitum medio modo se habeãt & aliquale prædestinationis signum attingant, vt ex dictis in primo notando claret.

350 Denique ex testimonio Apostoli, quod adducit non infertur contrà nos id, quod ipse indit: Nam scopus Apostoli in citata Epistola erat vrgere Hebræos ad fidem Christi conuersos, vt in eadem fide cõstantes essent, & constanter perseuerarent: Timebat enim Apostolus, nè Hębrei ad fidem metu persecutionis Iudæorum, ab Ecclesia ad Synagogam, & à Christianismo ad Iudaismum apostatando deficerent; quod patet ex contextu: nam immediatè anteà dixerat. *Non deserentes collectionem nostram* (Ecclesiam] *sicut consuetudinis est quibusdam*, qui ab Ecclesia, & fide, quam spontè capesserant, metu Iudæorum defecerunt; Posteà verò subdit. *Voluntariè enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia*. Vbi per *voluntariè peccantes intelligit Apostatantes, & collectionem*, idest Ecclesiam deserentes: quasi diceret, si nos à fide apostatabimus, atque Ecclesiam deseremus, nobis non relinquitur hostia, quæ sit peccati huius expiatrix. Magna igitur hæc comminatio non ferit Recidiuantes in peccata, & à peccatis resurgentes: sed tantum eos, qui desciscentes à fide in peccatum Iudaismi, vel Hæresis relabuntur.

Et

Et fit grauior hæc comminatio contrà eosdē,per ea,quæ subijcit v.28. I*rritam quis faciens legē Moysi, &c.* Vbi à minori ad maius. Arguit sic. Si pœna mortis puniebatur, qui vnum Moysis præceptum repudiasset, & transgressus esset. Quantò grauiori pęna punietur, qui recedens ab Ecclesia à tota Christi lege apostataret? Et tandem Apostolus, vt ostenderet se loqui non de peccatoribus quibuscumque, sed de abijcientibus totā Christi legem, ab eaque apostatantibus, versu 29. prosequitur idem argumentum subdens. *Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est; & spiritui gratię contumeliam fecerit?* Vbi aduertendum est, quod qui à Christo, eiusque fide, necnon à collectione, idest Ecclesia descifcunt, & deficiunt, sunt oppidò, qui propriè Christum Dei filium conculcant, eiusque sanguinem, quo nouum fœdus inter Deum, & hominem de æterna hæreditate eis danda sancitum est, & quo in baptismo abluti, & sanctificati sunt, pollutum ducunt;dum eum quasi foret res inutilis,prophana,nullius momenti, imò falsa, & ficta, contemnunt, abnegant, & abijciunt: Hi etiam sunt, qui contumeliam faciunt spiritui Gratiæ, idest Spiritui sancto, qui est Auctor gratiæ in Christi baptismo acceptæ, quæ eos Deo gratos, acceptos, sanctos,Deique amicos, & filios effecit.

351 Sed admissa in sensu spirituali explicatione eorumdem verborum ab Aduersario data, vel ex eo maximè, quia Galenus, & alij putant hoc dici ab Apostolo de quouis peccato mortale, quod fideles committunt (quamuis Ambrosius, & Theophylactus exponant illa verba de ijs, qui indignè suscipiunt sacramenta) Dico Apostolum esse intelligendum, de habitualiter recidiuis, qui subindè nulla interposita pænitentia, peccata iterant, & frequentant, vndè incurrunt ingratitudinem speciale peccatum constituentem, vtpotè quæ includit contemptum Dei; quod dici non potest de recidiuis, qui quoties cadunt, toties resurgunt, necnon cadendo, & resurgendo transigunt vitam. Falsissimum enim est, quod Aduersarius pro verissimo habet, nempè hominem, qui vitam transigit cadendo, & resurgendo esse non quomodocumque, sed habitualiter, & per totam vitam recidiuum: quamuis enim sit recidiuus, quia sæpius cadit, in rei veritate non est habitualiter recidiuus, cum quoties peccando cadit, toties pœnitendo resurgat. Et dato quod ex frequenti relapsu fiat habitus recidiuitatis; hic tamen tollitur, & vincitur ab habitu, qui formatur, & fit ex frequentatis actibus pænitentię: vndè si vt cadentes sunt per Recupitum recensendi inter reprobos: nihilominus vt resurgentes meritò per nos sunt inter prædestinatos connumerandi. Porrò quia fideles huiusmodi in articulo mor-

Galen. & alij.

Ambr. Theoph.

mortis per ſacramenta ſe præparant, & vitam terminant in pænitentia, probabiliſſimè aſſerimus, quamplurimos fidelium ſaluari, pauciſſimos damnari.

PARAGRAPHVS XXV.

In quo Recupitus probat paucitatem electorum ex multitudine malè morientium.

352 INtendit Recupitus deſtruere alterum ex noſtris fundamentis, nempè multitudinem benè morientium; exiſtimans etiam hoc telum contrà nos retortum pro ipſo militare. Vndè ſic arguit, & obijcit.

Omnis, qui malè viuit, iuxtà leges communes, vt in pluribus malè moritur. Sed maior pars fidelium adultorum malè viuit. Ergo maior pars fidelium adultorum iuxtà leges communes, vt in pluribus malè moritur, Conſequentia tenet ex forma. Minor ſatis comprobata ab experientia, patet ex dictis Patrum, quæ attulimus ſupra, & admittitur ab aduerſarijs fatentibus, quod inter fideles maior pars cadendo, & reſurgendo vitam tranſigit; quod eſt, recidẽdo in grauia peccata, de quibus eſt ſermo, vitã ducere, & ſic malè viuere.

Maior

Maior ſumitur ex axiomate vulgato, & admiſſo apud fideles; *qui malè viuit, malè moritur: qui benè viuit benè moritur*. Et videtur id deſumptum ex Auguſtino dicente. *Viuite benè, nè moriamini malè*: Et alibi. *Mala mors ſatenda non eſt, quam bona vita præceſſit*.

Auguſt ſer.24.de verDom & t.3.in ſent.

353 Patet primò è Scripturis pſal.33. *Mors peccatorum peſſima*, quod non ſolum in ſenſu compoſito, ſed etiam in ſenſu diuiſo intelligitur ab Auguſtino: ideſt mors eorum, qui peccatores vixerunt, peſſima. Quare redarguens eos, qui dicebant multos peccatores benè mori, ſic habet. *Hoc ergo* (inquit) *quod miror, quia noui peccata, & ſcelera ipſius, & benè mortuus eſt, in domo ſua, intrà limina ſua; nulla peregrinationis iniuria fuit illi, nulla, vel in matura ætate. Audi Deum: mors peccatorum peſſima, quæ tibi videtur bona, peſſima eſt, ſi intus videas. Vides foris iacentem in lecto, ſed nunquid vides intus raptum ad gehennam?* Contrà verò dicitur pſal.51. *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*: ideſt rara quippè, vt notat Hieronymus, *pretioſum dicitur omne, quod rarum eſt*. Quia ſcilicet rariores ſunt, qui in Domino moriuntur. Inſuper pſal.135. *Virum iniuſtum mala capient in interitu*. Quilibet autem peccator dicitur iniuſtus: ſicut quilibet bonus dicitur iuſtus. Auguſtinus legit, *mala venabuntur*; ſcilicet tanquam feram, quam dæmones tota vita inſectati, & tot laqueis irretitam, ne fugeret, tandem venantur in interitu

Pſal.33.

Aug.hic

Pſal.51.

Hier.in Iſa.13.

Pſa.135

Aug.hic

ritu

ritu. Quamobrem Augustinus. *Ideò* (inquit) *venabuntur, quia vnusquisque abscondere se vult à malo. Sed cum inuenitur à malo factus est in venationem*, ac si diceret, ità deprehenditur, vt non possit effugere. Præterea Prou. 29. Viro, *qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus.* Qui autem malè viuit, vtique corripientẽ contemnit. Denique Eccl. 3. *Cor durum habebit malè in die nouissimo.* Siue vt Syrus *cor durans malus fiet finis eius*. Cor autem durum habet is, qui malè viuit: cum resistat gratiæ toties ei incitanti ad vitam bonam. Quippè vt notat Lyranus, *sicut durum in corporalibus dicitur, quod resistit frangenti: sic in spiritualibus, quod resistit instinctui ad bonum.* Porrò ex veteri prouerbio, *gutta cauat lapidem*: cor autem plusquam lapideum tot veluti guttæ diuinarum inspirationum quotidie instillatæ nequaquam emollierunt. Ideò Abbas Pastor, vt habetur in vitis Patrum dixit, *quod sicut assiduè stillãs gutta cadit in lapidem, & eum perforat: ità sermo Dei leuis cor nostrum durum aperit ad timendum Deũ.* Cor autem, quod diuinis monitis toties in vita restitit, planè cor durum est, *& habebit malè in nouissimo*. Quia, vt in eum locum notat Palacius, *dignus non est, vt is sentiat Deum mollem in morte, qui ei se toties præbuit durum in vita*. Sequitur, *Qui amat periculum, peribit in illo*. Nullum autem maius periculum, quàm malè viuendo pænitentiam differre ad mortis articulum. Eius igitur, qui malè

Prou. 29

Eccl. 3.

Vita Patrũ lib. 6 libello, 18. n. 16.

vixit, præsumi non poteſt bona mors, quando Deus ipſe proteſtatur malè morituros eos, qui malè vixerint.

Cyp. lib. 4. epi. 2. ad Antonian.

354 Patet idem ſecundò ex Patribus. Cyprianus *Non eſt dignus* [inquit] *in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum*. Hyeronimus, vt refert Euſebius, cum decumberet moriturus. *Vix* (inquit) *de centum millibus hominum, quorum mala fuit ſemper vita, meretur à Deo habere indulgentiam vnus*. Terribilis ſententia, quæ confirmat adamuſſim id, quod diximus, eos qui malè vixerint, vt in pluribus malè mori. Quarè vniuerſaliter concludit. *Hoc teneo, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus eſt finis, cui mala ſemper fuit vita*. Ambroſius adhortatione ad pœnit. *Qui* [inquit] *poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuę accipit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit* (ideſt exit ex hoc corpore) *fateor vobis, non negamus illi quod petit* (ideſt non negamus illi abſolutionem] *ſed non præſumo dicere, quod benè hinc exit*. Auguſtinus *Si conuerſio* (inquit) *contigerit in fine, non eſt de eius remiſſione deſperandum: ſed quoniam vix, vel rarò eſt tam iuſta conuerſio; timendum eſt de pœnitente ſero*. Ecce quod diximus, id contingere vix, & in paucis; Quod magis ipſe explicat his, quæ ſupra dixit: *Illi, qui cum potuerunt, nunquam conuerti voluerunt, confitentes cum iam peccare nequeunt, non ſic facilè acquirunt, quod volunt*. Gregorius *quamuis* (inquit) *ſerò de hac vita tollantur*

Hyer. in epiſt. ad Damaſ.

Aug. lib de vera, & falſa pen. c. 17

Gre. l. 15 mor. c. 2.

tur

tur iniqui, subitò, & repentè tolluntur: quia finem suum cogitando prævidere nesciunt: Subitum est homini, quod ante cogitare non potuit. Affirmat quamlibet mortem esse peccatoribus subitaneam, quia quælibet est illis anteà improuisa: iusto autem Dei iudicio, eos subitò mori; quia vt addit cap. 3. *subitò tollitur, qui diù toleratur.* Isidorus *Non dubitamus* (inquit) *circà finem iustificari hominem per pænitentiæ compunctionem: sed quia raro id fieri solet, timendum est, nè dum ad finem differtur conuersio, incerta mors occupet.* Expresse dicit, non iustificari hominem per pænitentiam circa finem. Plura testimonia rationibus interseremus. Quatuor autem Sanctæ Ecclesiæ Doctores allati facilè ostendunt, quid sit de hac re sentiendum.

Isid. lib. 2. de off. Ecc. c. 42.

355 Patet idem tertiò ratione à priori. Quotiescumque introducuntur in physicis dispositiones ad vnam formam, non contingit sine miraculo haberi formam oppositam; vt si materia fuerit summè calida, & sicca, atque adeò disposita ad formam ignis, Deus nunquam introducit in illam formam aquæ. Et è contra si fuerit frigida, & humida, non introducitur in illam forma ignis. Ergo similiter in moralibus, si introducuntur dispositiones in malam mortem, quales sunt actiones prauæ, non contingit sine miraculo gratiæ haberi bonam mortem, quæ est forma opposita. Hæc autem quæ miracula censentur in cursu ordinario gratiæ non contingunt,

nisi in paucissimis.

Confirmatur; quia non contingit sine miraculo, vt quis ambulans per viam, quæ ducit deorsum, reperiatur in fine viæ propè terminum oppositum, puta propè fastigium montis sursum. Sed *via lata ducit ad perditionem, via arcta ducit ad vitã* ex Matth.7. Ergo nõ contingit sine miraculo, vt ambulans toto ferè vitæ tempore per viam latam, quæ ducit ad perditionem deorsum, reperiatur in fine viæ, & vitæ propè terminum sursum: nempè per bonam mortem propè illam, *quæ sursum est, Hierusalem* ad Galatas 4: Sicut igitur ex via, in physicis, infallibiliter arguimus terminum: ità ex via in moralibus infallibilitate morali argui debet terminus, nempè ijs, qui ambulauerunt per viam latam, terminus mala mors, & perditio: ijs, qui per viam arctam, bona mors, & salus. Idem argumentum fieri potest similitudine seminis: Neque enim qui seminat lolium, metit triticum: Ergo neque qui seminat carnem, metit spiritum: & qui per totum vitæ tempus seminat opera damnationis, in fine posteà non metit salutem. Ideò signanter monet Paulus ad Galat.6. *Nolite errare, Deus non irridetur, quę enim seminauerit homo, hęc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam ęternam.* Ex hoc infert, *Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.*

Matt.7.

Ad Galat.4.

Ad Galat.6.

His

His apertè docet, debere non defici in bonorum operum ſemine ab his, qui cupiunt metere ſine deficientia: ac proindè oſtendit ad hoc requiri quandam indeficientiam in bonis operibus, quæ non reperitur in ijs, qui deficiunt per totam vitã & expectant à Deo præmium indeficiens in morte: quæ videtur quædam deluſio, immo etiam quædam Dei irriſio, quod innuit Apoſtolus dicens, *Deus non irridetur, quæ enim ſeminauerit homo, hęc & metet*. Ideò abſolutè pronunciat Auguſtinus, *qui defecerit in ſemine, non gaudebit in meſſe*. Illuſtratur hoc idem exemplo militis, qui inter duos Reges, ſi vni ætatem, ac militiam impenderit, non præſtolatur in fine vitæ mercedem ab altero, ſed ab eo, cui militauit: ità non expectet præmium à Chriſto, qui ætatem impendit diabolo. Quippè *nemo poteſt duobus Dominis ſeruire*. Matth.6. Ideò Chryſoſtomus, *ſi huius* (inquit) *telluris Imperatorem vix aliquem poſt multa diſcrimina, poſt frequentium trophæa bellorum, cum dignitate promerita videre contingit: quomodo cæleſtem omnium Regem videre poterit ille, qui per totum ſuę tempus ętatis, alij vixerit, alij militarit?*

Aug.ſer. 45.de SS.

Matt.6.

Chryſoſt. ep.6 ad Theodo.

356 Patet id quartò principaliter ex difficultate pænitentiæ in homine habituato in impœnitentia. Quæ difficultas ſi, quando erat minor ſuperata non eſt, multò minus ſuperabitur, quando ex vſu tam diuturno euaſit maior. Confirmatur: quia ad veram pœnitentiam tria requiruntur.

Pri-

Primum, vt ſit deteſtatio omnium peccatorum ex motiuo ſupernaturali. Secundum eſt, vt ſit deteſtatio ſuper omnia mala, & ſaltem in laxiore opinione ſuper omnia mala temporalia, etiam ſupra ipſam mortem: ità vt verè plus pænitens doleat de peccato, quam de quolibet alio malo. Tertium, vt ſit coniuncta cum propoſito firmo nunquam peccandi de cætero: quod propoſitum debet eſſe tale, vt ſe extendat ſaltem virtualiter, & confusè ad quamcumque occaſionem, quæ offertur peccandi: ità vt ſit firma voluntas nolendi peccare, etiam propoſito periculo, aut damno propriæ exiſtimationis, & vitæ: ad quæ omnia ſaltem implicitè tale propoſitum ſe debet extendere. Vnum ex his ſi deficit, vera pænitentia non eſt; neque talis, vt etiam coniuncta cum ſacramento, iuſtificet: cum illi deſint eſſentialia. Hæc tria difficultatem maximam continent, quia voluntas refugere debet à quocumque delectabili, etiam ſenſibili, & intuitiuè cognito, propter honeſtum, quod eſt quid abſtractum à ſenſibus, & creditum obſcurè per fidem. Hoc ſi difficile eſt etiam illi, qui his actibus aſſueuit, multò magis illi, qui his diſſueuit; immò aſſueuit contrarijs. Quantam porrò difficultatem habet ſummè deteſtari id, quod maximè in tota vita abhorruit? Vndè fit, vt dolor, quem in morte exhibent peccatores, ortus ex formidine mortis imminentis, difficilè pertingat ad actum deteſtationis peccati,

ex

ex motiuo ſupernaturali, & ad tale propoſitum non peccandi, quod ſe extendat ad quodcumque tempus, & circumſtantiam: ità vt verè proponat ſe non peccaturum, etiam ſi vita ſupereſſet, & mors abeſſet; Sed eſt propoſitum ità infirmum, vt tacité, & virtualiter contineat, quod intantum fuga à peccato proponitur, in quantum mors imminet: & ſic tale propoſitum non eſt ſufficiens, cũ non radicetur in vera deteſtatione ſuper omnia mala, ſaltem temporalia, ex qua oritur propoſitũ non peccandi: neque ex metu cuiuſcumque mali temporalis, neque ex amore cuiuſcumque boni. Experientia oſtendit tale propoſitum in huiuſmodi pænitentibus eſſe fictum; quia ſi periculum mortis ceſſauerit, immò ſi melius habere cœperint, aut ſpem aliquam concipiant vitæ, ſtatim ad priora deſideria redeunt, ac ſi nunquam eos pœnituiſſet. Hoc animaduertit Hieronymus. *Quæ eſt* (inquit) *pænitentia, quam ſolum quis accipit, quia ſe viuere amplius non poſſe cernit? qui ſi ex infirmitate conualeſceret, peior quam anteà fieret? Scio non modicos pecunioſorum, accepta mortis tempore pęnitentia, conualuiſſe corpore, et peioraſſe vitam.* Hanc fictionem pœnitentiæ agnoſcit Cyprianus: *Pænitentiam* [inquit] *non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, et manifeſta lamentationis ſuę profeſſione teſtantes, prohibendo omninò cenſuimus à ſpe communicationis, et pacis, ſi in infirmitate, atque periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pæni-*

Cyp. lib. ep. 2. ad Anton.

tentia

tentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit. Præterea Augustinus dicit, *Qui prius à peccatis relinquitur, quàm ipse relinquat; ea non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat*. Hugo etiam Victorinus. *Valdè* (inquit) *suspecta debet esse pœnitentia, quę videtur esse coacta. Facilè est, vt homo se nolle putet, quod posse non datur*. Si non facis dum potes, manifestè ostendis, quod non vis. Quod probans Conciliũ Neocęsariense c.57. *Si quis* (inquit] *in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet: non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est*. Si baptismus timore mortis susceptus Concilio videtur coactus; quantò magis pœnitentia, ad cuius voluntariam susceptionem plura requiruntur, quàm ad baptismum? & rationem reddit Ambrosius verbis supra cit. *quia si vis agere pœnitentiam, quando peccare non potes, peccata te dimittunt, non tu illa;* quasi cum virtuali quadam volũtate peccandi, si vitæ non instaret finis. Quod proprium esse reproborum docet Gregorius: *Iniqui* (inquit) *voluissent vtique, si potuissent, sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum viuunt*. Quod præcipuè ad eos pertinet, qui non faciunt finem peccandi, nisi cum instat finis viuendi. Confirmatur hoc, quod dicimus de pęnitentia ficta ex metu mortis, exemplo Antiochi Regis 2. Machab. cap.9. Hic enim cum extremo morbo premeretur, signa maximæ

Aug. lib de vera & falsa pæn. c.17

Hug. Vi. lib.1. de sac. p.14 cap.5.

Concil. Neocęs. c.57.

Greg. lib 4. dial. c. 44.

2. Ma. 9.

ximæ edidit pænitentiæ, quæ reducuntur ad octo. Primum signum fuit cognitio sui. *Cępit diuina admonitus plaga ad cognitionem sui venire*. Secundum cognitio Dei, & humiliatio sui sub manu Dei, dũ ait. *Iustum est, esse subditum Deo, & mortalem non paria Deo sentire*. Tertium oratio, & depræcatio ad Deum *Orabat hic scelestus Dominum*. Quartum propositum resarcendi damna illata, idque firmatum; quippè *Iudæos, quos se cum paruulis exterminaturum dixerat, ęquales Atheniēsibus facturũ pollicetur: templũ etiã sanctum, quod prius expoliauerat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum*, nēpè redditurum plura, quàm abstulerat. Quintum, propositum faciendi alia opera bona supererogationis, pollicitus pertinentes ad sacrificia sumptus de suis reditibus præstiturum. Sextum, humiliatio sui cum subditis, & epistola deprecatoria suis hostibus, quos in vita fuerat ad internecionem insectatus. *Non cessantibus doloribus scripsit ad Iudæos in modum deprecationis epistolam*. Septimum, abnegatio ethnicismi, & totalis conuersio ad veram religionem, quam fuerat anteà persequutus. *Pollicitus super hæc, & Iudęum se futurum*. Octauum signum pænitentiæ, votum vitæ in posterum traducendæ, relicto Regno, assiduis peregrinationibus ad Dei laudem, & gloriam ordinatis. *Pollicitus se omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem*. Non possent in Christiano homine plura pænitentiæ signa desidera-

 sidera-

ſiderari : & vix quis ea ſperare ſe poteſt exhibiturum in ſua morte : & tamen pænitentia tot indicijs exhibita veniam non meruit apud Deum. Dicitur enim ibidem, *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo nō eſſet miſericordiam conſequuturus. Quippè*, vt notat Lyranus, *eius pęnitentia non fuit vera: quia non fuit propter offenſam Dei, ſed tantum propter euaſionem corporalis flagelli : & ſic non fuit miſericordiā conſequuturus quantum ad remiſſionem, nec culpę, nec pęnę*. Hæc de difficultate veræ pænitentiæ in morte ex difficultate veri doloris ſpectati ſecundum ſe.

357 Patet idem quintò ex difficultate orta ex circumſtantijs. Mors enim imminens non modò non facilitat pænitentiam, ſed etiam maximè difficultat. Quia actus pœnitentiæ exerceri non poteſt, niſi à voluntate, cuius eſt deteſtari peccatum : voluntas verò fertur in cognitum, & ſic ad obiectum non mouetur, niſi præuio actu intellectus. Hoc indiget magna attentione, vt conſideret obiectum ſpirituale, & maximè abſtractū à ſenſibus : neque poteſt ad hoc manu duci niſi præuia, & concomitante phantaſia circa idem obiectum phantaſiante. Phantaſia cum ſit affixa organo corporeo ex debilitate, & læſione organi, in ſuis operationibus debilitatur, ac læditur. Vndè fit, vt ex connexione cum illa intellectus etiam debilitetur, ac lædatur in ſuis. Cum igitur in graui morbo lædantur pręcipuè partes princi-

pes,

pes, & ſic maximè caput, cui affixa eſt phantaſia: hinc oritur ſumma difficultas aduertendi, & attendendi ad ea motiua, quæ neceſſariò ad actum pœnitentiæ debent præconcipi. Si enim ad hæc attendere perdifficile eſt integris corporis viribus homini beneualenti, quid erit in ægrotante inter morbi, & mortis angores? Affui cuidam viro religioſo extremo morbo laboranti, quem cum ad neſcio quos eliciendos pietatis actus hortarer, affirmans is ſe debilitate capitis prohiberi; *Niſi* (inquit) *hęc opportuno tempore anteuertiſſem, actum omninò nunc eſſet de mea ęterna ſalute*. Sic ille. Quod equidem experientia didiceram. Quippè cum vigeſimum quartum ætatis annum agerem, ad extrema deductus, ac certior à medicis factus me ea nocte obiturum; cum totus [vt par erat] in animæ ſalutem incumberem, ea debilitate capitis oppreſſum me ſenſi, vt Patrum aſtantium, qui mihi de more varios pietatis actus ſuggerebant, ſonum tantum vocis audirem, ſenſum verborum etiamſi in id maximè intenderem, aliquando vix, ſæpiſſimè nè vix quidem perciperem eorum, qui animæ commendationi vacabant, labore pœnè irrito. Huc accedit, quod etiam antè extremos angores, in ipſo curſu morbi, ſæpè adeſt paroſiſmus febris, in quo vix æger eſt ſui compos: ſæpè paroſiſmus paroſiſmo ſuccedit. Quando vis morbi remittitur, ægroto à Medico imperatur ſomnus. Si quid ſupereſt temporis, abſorbent illud

curæ domesticæ hominis, tam longum iter facturi: testamenta, codicilli, extrema cum amicis, & consanguineis colloquia non vlterius reuisendis. Hæc omnia, & singula maximum, & speciale præbent, in eo statu, pænitentiæ impedimentum. Quod egregiè prosequens Augustinus. Agite [*inquit*] pænitentiam, antequam vos inimica naturæ mors aggrediatur, nam cum in extrema ægritudine fueritis, ò quàm forte, quam durum, quàm pœnosum, quàm lacrymabile erit dolere de malis commissis, & de bonis omissis. Quia illuc capitur tota intentio mentis, vbi tota est vis doloris. Multa enim occurrunt impedimenta cordi: nam corpus dolet, pœna affligit, quia mors appropinquat. Filios, quos patres summè dilexerunt, pro quibus etiam se damnatos existimant, tenebroso oculo aspiciunt: vxores iam lacrymantes considerant. Mundus adhuc eis fiduciam præstat: caro non deficere adhuc sperat: medici, vt lucrentur, ipsum confortant: parentes applaudunt: amici alliciunt; Et sic diuites moriuntur in inferno. Hæc Augustinus. Item Laurētius Iustinianus: *O quam innumeri* [inquit] *quotidiè decipiuntur, differentes de die in diem conuerti ad Dominum, arbitrantes ad libitum pænitentię posse captare remedia. Ita mortis deprehensi articulo, atque angustijs afflicti, pęnè nihil aliud, quam de se cogitare sufficiunt: reuoluentes animo sedulò, quibus remedijs suis valeant mederi doloribus.* Et infrà: *Fit autem per-*

Aug. ad fratr. de er. ser. 48

Lau. Iustin. lib. de contemptu mundi c. 14.

perſæpè, vt circa talia occupati interiùs, ſalutis propriç minimè recordentur, & abſque vlla verç compunctionis diſpoſitione deficiant. Adde his timorem vicinç mortis, ità exhaurientem ſpiritus, vt pænè cogat mori antè mortem. Adde timorem diuini iudicij imminentis, *dum* (vt ait Gregorius) *anima exire de corpore trepidat: & videre eum, quem contempſiſſe ſe meminit, iudicem formidat.* Qua de re S.Ephrçm. ſerm. de compunct. *Magnus* (inquit) *pauor eſt mortis tempore omnibus peccatoribus mei ſimilibus: grauiter tunc dolore cordis excruciatur, qui hic dum viueret ſalutis ſuæ curam neglexerit: adeò vt pænitentiæ eius cruciatus ipſum quoque mortis, ac ſeparationis timorem excedat.* Aſtiti aliquando cuidam religioſo valdè probo laboranti in extremis, qui cum ad fiduciā hortarer, *Neſcis* (inquit) *quam horrendum ſit recordari, Dei vel ſe malè violaſſe prçceptum.* Italicè habet emphaſim, *l'hauer traſgredito il comandamento d'vn Dio.* Adde ex his, qui malè vixerunt, multos repentina morte ſublatos, vt ijs ſpecialiter Deus comminatur. Prou. 1. & nos notauimus tr. præced. cap.4. num.34. Adde innumerabiles, qui moriuntur in bello ſine vlla confeſſione præuia, ſiue metu exorta, poſt quam ſtatim ad flagitia militiæ redeunt. Adde quamplurimos ex incendio, & terræmotu abſumptos: Nam poſtremo Veſuuiano incendio quinque circiter hominum millia: terræmotu Calabriæ, paulò poſt, ad triginta millia extincta traduntur. Ex his, qui ſemi-

Gregor.

Ephrem ſerm. de compun.

semimortui euasere ruinis, in quibus iacuerant semisepulti, acceptum est, quid sperari possit de ijs, qui post breue vitæ interuallum inter ruinas mortui sunt. Testati enim sunt, ijs subitò casu oppressis nihil aliud animo obseruatum esse, quã præsens periculum, imminentemque mortem euadendi anxiam sollicitudinem, qua posset euadi. Ego quoque idem expertum me testor. Nam cum non multò antè Vesuuianum incendium terræmotus ingens Neapolim intempesta nocte cõcuteret, atque è somno repentè excitatus, cubile, cubiculum, parietes, solum, omnia contremiscere inaudissem: tam vehemens me timor inuasit, vt nè vllum quidem, cum maximè vellem, contritionis actum elicere qualitercumq; potuerim. Alia etiam vice parosismo quodam oppressus, qui me suffocare videbatur, postulata confessione, cum subitò confessarius aduolasset absolutionem petenti imperititurus, gestu hominem prohibui, cum voce non possem: eò quod nè attritionis quidem actum elicere potuissem. Hæc ad meam confusionem sint scripta, & instructionem aliorum, vt videatur quid sperari possit de confessionibus in extremo vitæ factis, occupante sensum præsenti morbo, & imminente morte: quarum plerasque, si minus sacrilegas (quia fortasse bona fide fiunt) tamen informosas, & sine vllo sacramenti effectu contingere existimo, ex defectu doloris delicti ad talem effectum necessarij:
quem

quem tunc elicere, præſertim homini habituato in peccatis, eſt omninò perdifficile, difficultate orta ab intrinſeco, ratione ſtatus ægritudinis præſentis, & vicinæ mortis.

358 Patet ſextò ex circumſtantijs extrinſecis, ob extraordinarias tentationes, quibus dæmones infeſtare ſolent morientes. Adeſt enim tunc, vt dicitur Apoc.12. *Diabolus habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet.* Ideò dicitur etiam Iob.40. *ſtringere quaſi cedrum caudam ſuam*: quia, vt notat Gregorius l.32. moral. cap. 16. *quos per praua initia cæperit, ad finem deteriores reddit: vt tentamenta eius, quò ſunt citius ceſſatura, eò valentius compleantur. Quia enim ſuis pœnis eorum ſatagit æquare ſupplicium, in eos ardentius antè mortem nititur exagerare peccatum.* Terribile eſt, quod narrat Platus: cum quidam Cuno Malburchenſis Oppidi Dominus per quadraginta annos, quibus in ſæculo malé vixerat, religioſo habitu inter Ciſtercienſes monachos ſuſcepto, ad pænitentiam confugiſſet, ac triennio poſt ad extremū vitæ deductus eſſet, conferṫiſſimè ad eum quamplurima dæmonum agmina occurrerunt. Nam eodem tempore dæmon, qui energumenam obſidebat, narrauit ſe, & alios ex ſuis quindecim mille (tot enim fuiſſe faſſus eſt) in morientis cubiculum aduolaſſe, vt ſinguli in eo tentando conatus adhiberent extremos: ſed precibus, vt dicebat tonſatorum, ideſt monachorum depulſos irrito

Apo.12.

Greg.lib 32. mor. cap.16.

Platus de bono ſtat. Relig.lib.1 c.31.

cona-

conatu abijsse. Magnam porrò iniustitiam sibi à Deo querebantur illatam, eo sibi erepto è manibus, qui quadraginta annis sæculo seruisset, tribus Deo. Si quindecim millia dæmonum conspirarunt ad eum tentandum in morte, qui per triennium in sanctissima religione pænitentiam austerissimam egerat: certè totas pænè infernus suas vires effundet, nè, qui peccata protraxit ad mortem, in eo articulo suis manibus elabatur.

359 Patet septimò ex difficultate orta ex diminutione diuinorum auxiliorum. Nam cum certum sit ad donum finalis perseuerantiæ specialia requiri auxilia, quæ aut abundantiùs, aut parciùs tribuere in diuina est potestate: postulat cursus ordinarius gratiæ, iuxtà quem Deus, vt plurimum operatur, vt in pænam præcedentium delictorum dentur ad resistendum tentationibus auxilia tenuiora his, qui vitam plerumque in peccatis duxerunt, quàm ijs, quos extremus morbus reperit, aut innocentes, aut pænitentes. Si autem Deus antè omne peccatũ aliquibus dat gratiam sufficientem, eam nimirum, cui præuidet illos ex propria malitia non consensuros, quia non tenetur dare efficacem; quantò magis post longã seriem peccatorum, ex qua quis positiuè demeretur gratiam efficacem, eam iure denegabit? nõ solum quia non tenetur dare: sed etiam quia ex ipsomet peccatoris demerito, de lege ordinaria,

in

in pœnam peccatorum præcedentium, quasi tenetur eam non dare. Ideò protestatur Prou. 1. *Quia vocaui, & renuistis, &c. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Equum enim est, vt qui in vita Deum irriserunt, à Deo irrideantur in morte, vt notatum est suprà: ex hac autem imminutione diuinorum auxiliorum in tanto incremento diabolicarum tentationum, difficillimum omninò fit, vt quis ad veram pænitentiam resurgat in fine vitæ: & sic pænitentia sera rarissimè est vera.

Prou. 31

360 Patet idem vltimò, quia si vera est, stabilis non est. Nam etiam dato casu, quod quis in extremo morbo hortatu Sacerdotum, ex formidine gehennæ, attritione coniuncta cum sacramento pertingat ad pænitentiam veram: facillimè tamen ex ea decidet antè mortem, ex rationibus antè dictis, tum ex habitu vitioso, per tam longum tempus contracto, recidendi si minus opere, saltem consensu in peccata. Tum ex imminutione diuinorum auxiliorum, quæ est pæna peccati etiam remissi. Tum denique ex Dei permissione, quia iuxtà leges communes permitti solent dæmones tentare tunc grauius, vt ex Gregorio ostensum est: & sic facilè, adhibendo extremos conatus, trahunt ad se eos, qui per modicum tempus euaserant. Affui quondam cuidam ęgroto agenti animam, cui obtulit dæmon conspiciendas quatuor puellas saltantes, & nudas: ne-

que ille animaduertit, dæmones esse sub puellarũ specie, sed veras puellas censuit: irridens id quod audierat, dæmones in obitu apparere: cum non dæmones videre se diceret, sed puellas. Is modò anteà ritè confessus, valdè tunc me reliquit ancipitem, an illa tentatione prostratus sit: cum nulla posteà ediderit, aut doloris, aut pietatis indicia. Affui etiam alteri ægroto, cui dæmon speciem illius exhibuit, quam sanus deperierat: eamque citrà omne delirium, existimabat astare propè cubile, in quo iacebat. Alteri propè mortem species oblata est eius, cum quo inimicitias gesserat, illi insultantis, ac de eius morte exultantis. Graues has tentationes in morte Deus permittere solet ijs, qui nimium sibi fidentes pænitentiam protraxerunt ad finem vitæ. Affui quoque alteri, qui iam pænitentiæ sacramento ritè suscepto, à febri ardentissima concitatus ad sitim: à siti ad aquam summo ardore concupiscendam, & petendam: ab aquæ potu à se flagitato, à suis denegato cõcitatus est ad vehementissimam iracundiam: ab hac ad horrendas blasphemias, quibus par est credere eum assueuisse in vita, quid de illa anima actum sit, Deus nouit. Quidam reus cum post confessa Sacerdoti peccata, crucifixum piè, vt assolent, manu gestans ad supplicium duceretur, oblato mulierum aspectu per viam, peccato, quod opere perpetrare non poterat, cogitatione consensit, vt idem posteà fassus est: validiore

diore prauo anteactæ vitæ habitu ad admittendú peccatum existente, quàm ipsa mortis imminentis præsentia ad cauendum. Alius, qui inhonestè mulierem adamauerat, cum post susceptum pænitentiæ sacramentum laboraret in extremis, tabellam pictam petijt, quæ è proximo pariete pédebat. Qui astabant rati imaginem esse cuiuspiam sanctæ, quam ille coleret, eam ægroto attulerunt: erat autem effigies illius mulierculæ, de qua dixi. Eam mox, inscijs astantibus quidnam id esset, ac pietatis sensui tribuentibus, osculari cæpit ardentissimè, atque inter illa infelicia oscula infelicissimè perijt. Concludam rem totam alio memorabili exemplo, cuius ab antiquioribus societatis Patribus certa traditio ad nos peruenit: quo perspicuè apparebit inueteratus in malo vsus quantum in ipso vitæ fine valeat: præsertim si, vt sæpissimè contingere solet, inter morbi vices aliqua vitę spes affulserit: dum iuxtà illud, quod diximus ex Augustino, *caro sperat, Medici confortant, consanguinei applaudunt*. Quidam mulieris prauo amore per plures annos detentus, in morbum incidit. Quo inualescente, stimulis conscientiæ acrius incitatus Confessarium è nostris aduocat: peccata magno animi dolore aperit: impuro amori planè renunciat. Soluuntur oculi in lacrymas: absolutionem impetrat: mulieris illius neque conspectu posteà admisso. Sacrum illi viaticum administratur, tanto animi sensu, ac dete-

ſtatione peccati, vt confeſſario videretur illa vehemens contritio tam plenè ſatisfactura, vt is purgatorio ſolutus mox liber euolaret ad cælum. Breui moritur, exultante Confeſſario, ac Deo de ſalute illius animæ maximas agente gratias. Hic vt ſacri tempus aduenit, ad altare acceſſit miſſam pro defuncto celebraturus. In ipſo ſacrificij exordio vmbra illi quædam ſe obtulit: ſed ità obſcurè vt dignoſci ſatis non poſſet: Cum verò ad altare aſcendiſſet introitum inchoaturus, *Et requiem æternam dona eis Domine* dicturus, clarè is, qui modò defunctus fuerat, deſpiciendum ſe dedit: atque hæc verba diſtinctè pronunciauit. *Nè facias pro me ſacrum: damnatus enim ſum*. Perturbari Sacerdos, vt par erat, horreſcere, contremiſcere, ad ſacrum proſequendum deficiente etiam halitu, ac voce. Sed à Deo ſuffectus viribus, & ſacris pro alijs defunctis, vtcumque potuit, peracto, ad arcanum locum ſe contulit ibi Deum non ſine lacrymis precatus, vt quando dignatus erat detegere animæ illius infelicis interitum, cauſam etiam detegere dignaretur. Sollicitabatur quippe pius Sacerdos ea cura, nè fortè miſer ille ipſius negligentia perijſſet. Nè morer pluribus, orauit, exorauit. Namque inter has preces iterum ille conſpectui ſe reddidit, ac lamentabili voce, *ne puta* [inquit] *me tua culpa, aut incuria perijſſe. Confeſſio, qua tibi peccata detexi integrà fuit, & ſalutaris: deteſtatio peccatorum vera: votum non vlterius peccandi*

cādi

candi firmum, & efficax. Absolutio, quam mihi saepius impendisti, numquam irrita cecidit: sed ablutus omni peccati macula in gratiam cum Deo redij. Atque vtinam tunc anteuertisset me mors, nunc inter damnatos nõ essem. Sed cum posteà, viatico sanctè, & fructuosè suscepto, morbi vis remittere videretur, spemque vitę conciperem, obtulit meę menti diabolus mulieris illius simulacrum, cui me longo vsu lasciuus amor deuinxerat, quae amoris speciem praeferens, ità me alloqui videbatur. Nonnè si vixeris, & conualueris ad priores simul delicias redibimus? Annui miser ex praua consuetudine ad assentiendum procliuis, & vix assensu prę stito, iusto Dei iudicio, reualescente repentè morbo, efflaui animam infaelicem: Heu ob momentaneam cogitationem ęternis addictus flammis, vt tibi faciet aspectus fidem. Inter hæc verba vestem, qua vi. debatur indutus, aperuit: & in flammas delitescentes, quibus acerrimè inardescebat, detexit. Mox ab oculis euanuit, à dæmonibus denuò arreptus, ac retrusus ad tartara. Discant hinc alienis, vt dici solet, impensis, qui nimium sibi fidentes pænitentiam prorogant ad extrema. Nimis serò initium fit bonæ vitæ, cum finis est vitæ.

P A-

PARAGRAPHVS XXVI.

Respondetur ad argumentum desumptum ex multitudine malè morientium.

361 HIc Recupitus magno labore, & eruditionis apparatu, non pauca congerit Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum testimonia, quibus adijcit exempla, & rationes ad probãdum ex fidelibus adultis multos damnari, saluari paucos. Verum inutiliter, ni fallor, laborat: probat enim id quod nos concedimus: quod autem negamus, ipse nequaquam probat, scilicet dicendos esse simpliciter malè viuere, qui vitam cadendo, & resurgendo, peccando, & pœnitendo transigunt: Igitur asserimus etiam nos, non posse benè mori, iuxtà leges communes, & regulariter loquendo, qui simpliciter malè vixerit: sed asserere etiam non veremur, eos, qui vitam transigunt sæpius cadendo, & sæpius resurgendo, nec dicendos esse simpliciter benè, nec simpliciter malè viuere, sed medio modo se habere: quia licet sæpius peccando, malè videantur viuere: tamen sæpius pænitendo, non malè, sed benè viuunt: vndè peccatum in ijs, non plenè dominatur, ac regnat, sicut dominatur in illis, qui absolutè, & simpliciter malè viuunt.

Exposui igitur hic iuxtà solitum integrum Re-

cupiti

cupiti argumentum, nulla vel syllaba prætemissa, vt ex eo eruat, qui legit, quam inaniter laborat: & ex nostra responsione inferat, scripturas, Patres, exempla, & rationes, quas adducit non militare contrà nostram sententiam: imò eam validius roborare, ac firmare iuxtà illud iuris ciuilis: *Exceptio firmat regulam*. Igitur.

362 Respondeo ad argum. distinguẽdo maiorem: Omnis, qui absolutè, & simpliciter malè viuit iuxtà leges communes, vt in pluribus malè moritur: concedo maiorem: Omnis, qui medio modo se habet, & malè viuit secundum quid, iuxtà leges communes malè moritur: nego maiorem. Similiter distinguo minorem: Maior fideliũ pars absolutè, & simpliciter malè viuit, nego minorẽ: malè viuit secundum quid, & medio modo se habendo: concedo minorem: sed nego consequentiam. Falsum enim est experientia comprobari, fidelium maiorem partem malè mori: imò experientia comprobat contrarium, idque ex dictis Patrum inferri satis liquet ex supradictis. Neque nos admittimus, aut admisimus vnquam, maiorem fidelium adultorũ partem absolutè, & simpliciter malè viuere: & quamuis fateamur maiorẽ partẽ inter fideles cadendo, & resurgendo vitam trãsigere; ex hoc tamen non inferimus, nec vnquã intulimus, eam viuere aut absolutè, & simpliciter malè, aut absolutè, & simpliciter benè: sed medio modo se habere: quia dũ recidũt in grauia pecca-

ta,

ta, malè viuunt: quando tamen post relapsũ resipiscũt, viuunt benè; & quia tandem in morte maior fidelium pars se ad Deum conuertit, & sacramentorum præsidio munita se ad gratiam sanctificantem disponit: hinc fit, vt maior fidelium pars iuxtà leges communes benè moriatur. Vndè liquidò claret, ea omnia, quæ ad maioris probationem arguens adducit, esse extrà aleam, neque contrà nos militare. Quod multipliciter patet, &

363 Constat primò: quia loca illa Scripturę: *Mors peccatorum pessima. Virum iniustum mala capient, seu venabuntur in interitu. Cor durum habebit malè in nouissimo, &c.* Feriunt illos, qui in peccatis semper vixerunt, qui pœnitentiam distulerunt ad mortis articulum: quosque diuinæ inspirationes, veluti guttæ super eos quotidiè distillantes, nequaquam emollierunt, vt ipsemet arguens asseuerat. Ergò non militant contrà nos, qui tantummodo loquimur de fidelibus sæpius mortaliter peccantibus, & sæpius resurgentibus, ac in ipsa morte pænitentibus; hi enim non semper peccatores viuunt: non semper diuinis inspirationibus resistunt: Et quamuis in morte de peccatis pœnitentiam agant, non ideò pęnitentiam differunt ad mortis articulum, cum eam in vita toties exercuerint, quoties ceciderunt.

364 Constat secundò: quia etiam Sancti Patres adducti loquũtur in eodem sensu, in quo scri-

pturæ

pturæ loquutæ sunt: Nam Cyprianus ferit eos, qui nunquam cogitant se esse morituros; Hieronymus apud Eusebium, eos, non quorum vita fuit mala, sed quorum vita fuit semper mala; Ambrosius eos, qui tantummodo pœnitentiam accipiunt in vltima suæ infirmitatis necessitate. Augustinus eos, quorũ cõuersio cõtingit tantũ in fine vitæ; quiq; cum in vita potuerunt, nunquam cõuerti voluerunt; Gregorius eos, qui nunquam cogitant de suo fine. Non igitur loquuntur de fidelibus, toties resurgentibus, quoties cadentibus. Hi enim cogitant de sua morte, & vitam agunt sæpius bonam, atque adeò non semper malam: neque coacti ab vltima infirmitate pęnitentiam accipiunt, sed sæpissimè in vita eã voluntariè acceperunt: & quoties peccauerunt, toties conuerti voluerunt. Ex quibus omnibus animaduertere potest arguẽs quam inutiliter pro se, quamque superuacaneè contrà nos Scripturæ loca, Patrumque auctoritates adducat.

365 Constat tertiò: quia verum est, quod quando saluatur aliquis ex eis, qui viuunt absolutè, & simpliciter malè, habetur tanquam gratiæ miraculum, & tale dici potest: ideòque in paucissimis contingit. At saluari fideles, qui neque totaliter malé, neque totaliter benè viuunt: quãuis sit opus gratiæ mirabile: non est tamen miraculosum; nec tale dici potest in rigore loquendo: vndè contingere potest, & cum effectu cõ-

tingit, vt in pluribus vt diximus §.22. num. 308. Neque huiusmodi fideles possunt dici irrisores Dei: quia non deficiunt in operibus bonis per totam vitam: immò in illis sæpissimè se exercent, & præcipuè in postrema vitæ periodo: & ideò iure optimo expectant à Deo præmium indeficiens in morte: detestando enim carnalia, quæ seminarunt, metere debent de spiritu vitam æternam: vel ex eo maximè, quia non per totum vitæ tempus opera damnationis seminarunt, cum spe metendi salutem in fine vitæ, vt faciunt illi, qui absolutè, & simpliciter malè viuunt, de quibus tantummodo procedit argumentum.

366 Constat quartò: quia in impænitentia habituati dicuntur solum illi, qui peccando mortaliter, in peccato vsque ad mortem, vel saltem per longum tempus perseuerant: At fideles, qui quoties in peccatum aliquod cadunt, toties per pœnitentiam resurgunt, possunt, & debent dici non minus habitualiter impœnitentes, quam habitualiter pœnitentes, cum medio modo se habeant, vt dictum est.

367 Ad confirmationem concedo ad veram pœnitentiam requiri, Primò, vt detestentur omnia peccata ex motiuo supernaturali: Secundò, vt talis detestatio sit super omnia mala, saltem temporalia, etiā supra ipsam mortem: Tertiò, vt sit coniuncta cum proposito firmo nunquam peccādi de cætero; ità vt verè plus pænitens doleat de

pecca-

peccato, quam de quolibet alio malo. Sed probabilissimum est, hæc omnia tria requisita reperiri in ijs fidelibus, de quibus nos in præsenti loquimur: Nã cum sint pœnitentiæ actibus, si minus semper, saltem sæpè sæpius assueti, verisimile est, & valdè probabile, eos in mortis articulo, diuino suffultos adiutorio, ac sacramentis munitos, detestari peccata, eaque detestari suprà mortem cum firmo proposito de cætero non peccandi, etiam si ex infirmitate conualescerent. Neque ex eo, quod aliqui, postquam mortis periculum euaserunt, redeant ad peccata priora, sequitur, propositum illud de cætero non peccandi, fuisse fictum, ac eos verè non pœnituisse; siquidem, vt diximus cum D. Th. in solutione præcedentis argumenti num. 329. relapsus non facit, vt prior pœnitentia non fuerit vera: nam sicut verè cucurrit, qui posteà sedet: ità verè pænituit, qui posteà peccat. Neque Patres adducti nobis officiunt: nam clarè patet ex verbis ipsorum, eos loqui de habituatis in impęnitentia, qui vel nunquã resipiscunt, vel per longum tempus in peccato perseuerant, vel ad mortem protrahunt pænitẽtiæ remedium. Hieronymus enim arguit illos. *Qui solum accipiunt pænitentiam, quando cernunt, se amplius non posse viuere.* Cyprianus ferit illos, *qui pęnitentiam viuendo non agunt: nisi mortis vrgentis admonitione compulsi.* Augustinus illos, *qui priùs à peccatis relinquuntur, quam ipsi peccata relinquant.*

Hugo Victorinus signat illos, *qui cum non faciunt pœnitentiam dum poßunt, manifestè ostendunt, quod nolunt.* Ambrosius increpat illos, *qui volunt agere pęnitentiam, quando non poßunt.* Gregorius denique illos, *qui volunt sine fine viuere, vt possint sine fine peccare.* Ergo non loquuntur de fidelibus, de quibus nos loquimur: hi enim sæpissimè pęnitentiam exercent, quamuis cernant se posse viuere per longum tempus: & peccata deserunt, priusquam deserantur ab eis:& faciẽdo pœnitentiā dum possunt, apertè ostendũt, quod illā facere volunt:& resurgentes, quoties cadunt, ostẽdunt se pęnitere, quando possunt pęnitentiā agere:& decedentes ex hac vita in pęnitẽtia, mõstrant, se velle adhuc viuere, vt adhuc possent offenso Deo per actus pænitentiæ satisfacere. Neque obest exemplum Antiochi: ipse enim erat Ethnicus, & Idolatra, & adhuc se mori sentiens infidelitatem in corde seruabat: non enim dolebat de peccatis propter *offensam Dei: sed tantum propter euasionem corporalis flagelli*, vt rectè obseruauit Lyranus. Eius igitur vita fuit semper mala, nunquam bona, nè per breue quidem tempus; & solum ex horrore vicinæ mortis, veniens ad cognitionem sui, & Dei, edidit illa octo pęnitentię signa; quæ in argumento adducuntur. Vndè videtur exprimere figuram eorum tantùm, qui rarò vel nunquam verè dolent de peccatis commissis, & ad mortem pertrahunt pænitentiam, cum spe tunc conse-

quen-

quendi Indulgentiam, quod est non facere finem peccandi, nisi quia instat finis viuendi; & ideò regulariter loquendo, absque vlla veræ compunctionis dispositione deficiunt: quia tunc incipiũt ad instar Antiochi in sui cognitionẽ venire, quando diuina admonentur plaga: & tunc ad Deum confugiunt, quando eorum infirmitates multiplicantur, Deum rogantes, *non delicti pœnitentia* (vt phrasi Cypriani vtar) *sed quia mortis vrgentis admonitione compelluntur*. Ex quibus omnibus constat, cuncta quæ Aduersarius adducit, siue rationes, siue exempla, illos tantum ferire, quorum vita fuit semper mala: non autem eos, quorum vita nunc est mala, quia cadunt: nunc est bona, quia resurgunt, & tandem sacramentis vallati se disponunt ad mortem, de quibus nos tantum loquimur in præsenti.

368 Constat quintò: quia respectu fidelium sæpius cadentium, & sæpius resurgentium non omnes difficultates in argumento annumeratæ, contingunt, vt in pluribus; Et dato, & permisso, quod vt in pluribus contingant, dico in prædictis fidelibus, ex diuinæ misericordiæ adiutorio, facillimo negotio superari. Deus enim cum sit (acclamante Apostolo) *Omnium hominum Saluator: sed maximè fidelium*: Aegris qui sunt pœnitentiæ actibus assueti inspirat, vt per sacramenta se præparent, antequam mortis premantur angustijs: quibus posteà superuenientibus, iam Deo reconciliati

ciliati inueniantur, ac in eius amicitia, vſque ad ſpiritus emiſſionem perſeuerātes, ſaluentur; Quod quidem præſtitit Deus Religioſo illi ab ipſomet arguente relato, qui extremo laborans morbo faſſus eſt, capitis debilitate ab eliciendo pietatis actus prohiberi; ſed eos (Deo inſpirante, & adiuuante) opportuno tempore anteuertiſſe; Vel ſaltem Deus ab eiſdem capitis debilitatem expellit, phantaſiam firmat, intellectum corroborat, & voluntatem mouet, vt debita attentione ſpiritualia conſiderent, & circa ea ſuas rectas operationes exerceant, aduertendo, & attendendo ad ea motiua, quæ ad actus pœnitentiæ excitandos, & exercendos ſunt neceſſaria. Præterquam quod, ſi vim hoc argumentum haberet, profectò eſſet in plus: quia plus probaret, quam intenderet: intentum enim Aduerſarij eſt probare, maiorem fidelium partem malè viuere, atque adeò damnari; quippè quæ pluribus irretita, & implicata difficultatibus ab intrinſéco ortis ratione ſtatus ægritudinis præſentaneæ, & mortis proximæ, omninò impeditur, & prohibetur, quin verè de peccatis doleat, aut attritionis actum ex motiuo ſupernaturali eliciat: Sed his difficultatibus non ſolum irretiuntur peccatores ſemper mali: ſed etiam peccatores, qui aliquando ſunt mali, aliquando boni: imò, & ipſi homines iuſti, atque innocentes: Ergo tàm peccatores, quam iuſti idem damnationis periculum incurrunt: atque adeò non minus

minus peccatores, quàm iusti essent inter reprobos recensendi: quod quidem neque ipse Recupitus admitteret. Dicendum igitur est illos, tantum fideles, qui absolutè, & simpliciter malè viuunt, & sunt vel iurati hostes, vel cunctatores pœnitentiæ, dum lecto morientes decumbunt, à cõnumeratis difficultatibus iuxtà communes leges impediri, nè aduertant, ac attendant ad ea motiua, quæ necessariò ad actus pœnitentiæ præcõcipi debent, Deo sic permittente in pænam eorum obdurationis, & excæcationis. Et hos malè viuentes deplorat Iustinus, & hortatur Augustinus, *vt pænitentiam agant, antequam eos inimica naturæ mors aggrediatur*. Hi enim (vt ait Gregorius) *Deum contempserunt*: & iuxtà Ephrem, *dum viuerent, salutis suæ curam neglexerunt*. Quę ratio non militat contrà fideles, qui nunc sunt mali, nunc boni; modò peccant, modò de peccatis dolent: in ijs enim, quamuis peccatum non transeat, tamen neque regnat: & quia medio modo se habent, ideò vel Deo inspirante pænitentiæ, ac pietatis actus opportuno tempore anteuertũt; vel Deo, adiuuante ità se gerunt in mortis angustijs, vt superatis difficultatum impedimentis, facili negotio valeant pænitentiæ, ac pietatis actus exercere.

369 **Ad ea, quæ addit de timore vicinæ mortis, & diuini Iudicij imminentis, dico ex ijs non inferri paucitatem fidelium saluandorum; siquidem**

dem non solum impij, sed etiam iusti tali timore in fine vitæ, nedum vrgentur, sed quasi dixi, opprimuntur, vt constat exemplo Sancti Regis Ezechiæ, qui ex ore Isaiæ audito mortis nuncio: *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues*, illicò *reuersus ad parietem fleuit amarè*; necnon exẽplo Diui Hilarionis, qui morbi vi, cum extremo pænè spiritu conflictaretur, trepidans dicebat: *Egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times? Quibus in verbis spiritum exhalauit*. Ad alia, quæ subdit de multis repentina morte sublatis, & de quamplurimis ex incendio, & terræmotu consumptis, dico neque ex hoc multitudinem damnandorum deduci. Tum quia à morte repentina, & violenta, nec ipsi quidem sancti excipiuntur; nam, & hi etiam aliquando cita, & intempestiua morte præripiuntur: vndè Beatus Iordanus secundus Ordinis Prędicatorum Generalis in quadam tempestate repentè à maris vorticibus absorptus fuit: & Anachoreta quidam virtutibus, & prodigijs clarus apud Anastasium Nicenum, ab Hyena miserabiliter laceratus illicó fuit ad cælestem patriam euectus, suarum virtutum præmia subiturus, Deo cuidam eius discipulo sic reuelante. Quam veritatẽ, etiã scripturæ testimonia supponunt, scilicet iustos varijs repentinę mortis generibus subiacere. Et ideò dicitur Sap. 4. *Iustus autem si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit*. Cuius rei triplicem

S. Ana. Nic, in Scr. q. 17

Sap. 4. 7

assi-

aſſignat rationem idem Anaſtaſius Nicenus. Prima eſt, vt multi ſaluentur, quo pacto Chriſtus Dominus violentæ morti ſuccubuit, vt nos in glorioſam vitam excitaret. Secunda, vt mali terreantur; quo pacto filij Iob, ſubita mortis ruina ſepulti perierunt, vt peccatores iuſtorum caſum intuentes, ſuam ruinam præcauerent. Tertia, vt ipſimet iuſti à leuioribus noxis, quas, vt homines contraxerunt, per hanc mortis violentiam expurgentur, vt contigit Anachoretæ, de quo mentionem fecimus: nec non Nadab, & Abiù, qui repentino incendio deflagarunt, per quod leuiora eorum peccata excoquerentur. Et quidem ad confirmandam primam rationem ab Anaſtaſio allegatam nempè Deum permittere hanc mortis violentiam, vt per eam multi ſaluentur, deſeruire poteſt exemplum Terræmotus Calabriæ, de quo in argumento; hæc enim terræ commotio, ſeu potius quaſſatio contigit die Sabathi hora inter vigeſimam primam, & ſecundam, quo tempore in oppidis, & Ciuitatibus ſingulis cœtus fidelium ſe tranſtulerat ad Eccleſiam ad lucrandas Indulgentias Iubilæi, tunc conceſſi ab Vrbano felicis recordationis Papa Octauo; & ferè quilibet vtriuſque ſexus fidelium, vel iam peccata ſua confeſſus fuerat, vel actu confitebatur, vel firmum confitendi propoſitum habebat, vt craſtino die Dominico ſacra Synaxi reficeretur. Igitur non temerarium; ſed pium eſt, credere ex illis triginta

hominum millibus, qui traduntur extincti, ferè omnes fuisse saluatos,& in cęlestem patriam trāsuectos:& consequenter terræmotum illum à speciali Dei prouidentia fuisse causatum, vt fideles à cita ruina oppressi, æternam vitam consequerentur. Ad illud tandem de militibus, qui moriuntur in bello, concedo aliquos mori, sine vlla confessione præuia, siue metu mortis extorta: sed longè plures sunt, qui antèquam ad conflictum accedant, præuia confessione, ex Dei timore, & amore se muniunt; sed dato, quod omnes in bello moriantur sine vlla sacramentorum præparatione; quamuis hi dici possint innumerabiles iuxtà nostrum vsitatum loquendi modum; nihilominus paucissimi sunt comparatiuè ad eos, qui pacificè in proprijs cubiculo, & cubili sacramentis muniti in Domino moriuntur; & consequenter longè plures sunt fideles, qui saluantur quam qui damnantur. Præterquamquod temporales pœnæ, quandoque infliguntur à Deo,etiam ipsis militibus, vt euitentur æternę. Clarè hoc patet in in illis tribus fratribus Machabæis Iuda, Ionata, & Simone, quorum primus occisus fuit in prælio contrà Demetrium; secundus captus, & occisus per summam perfidiam à Triphone;tertius à Ptolomæo genere suo per fraudem in conuiuio interfectus; quos omnes, ob amicitias cum Romanis malè initas,violenta, ac repentina morte punitos, culpam,quam ex illa cum Romanis amicitia con-

traxe-

traxerant, expiasse, aduertit Rupertus Abbas, dicens. *Quamuis super hac re* [hoc est amicitia cum Romanis inita] *non culpet eos Scriptura: tamen animaduertere promptum est, non fuisse tutum coram Deo, neque lege concessum Iudæis vt expeterent amicitias Gentium. Verumtamen sicut fuerunt in vita sua, ita & post mortem gloriosi sunt: quia si quid pulueris, aut puluere vanitatis taliter admiserunt, omninò deletum est, cita subsequente morte singulorum*. Ex quo liquet, violentam, & repentinam mortem à Deo infligi solere, vt culparum expiatricem, & compensatricem. Adde, quod multi repentina, & violenta morte diuinitus occisi, fortasse pro suis culpis satisfecerunt, vt Nadab, & Abiú Leuit.10. de quibus suprà. Vxor Loth. Gen.19. Heli I.Reg.4. Oza 2. Reg.6. Propheta ad Ieroboamum missus, 3. Reg.13. Ananias, & Saphira Actor.5. Quos omnes temporaria pœna æternæ pœnæ satisfecisse, æternamque salutem consequutos fuisse tuētur ad citata loca Salmeron, Lorinus, Cornel. Serrarius, Sanctius, & Mendozza. Perperam igitur infert Aduersarius multitudinem fidelium damnandorum ex fidelibus cita morte per incendia, per terræmotus, per naufragia sublatis: siquidem ex supradictis constat, sæpè à Deo temporales pœnas infligi, vt deuitentur æternæ, iuxtà illud Apostoli. *A Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*.

Rup. lib. de vict. ver. c. 26

Leu. 10. n. 2 Gen 19.16. 1. Reg. 4. n. 18. 2. Re 6. nu. 7. 3 Reg. 13. num. 24. Act. 5. à num. 5.

Sal. Lor Cor. Ser. Sanctius Mendo.

370 Patet sextò tela contrà nos ab arguente

in sexta probatione suæ maioris vibrata aberrare à scopo quia nos, nè vel in minimo lædunt. Quod antequam ostendã, & obiectis respondeã, suppono ex D. Augustino, tentare quidem dæmones, & impugnare homines. *Non quantum* (inquit) *nituntur: sed quantum sinuntur*. Non pro peruersa voluntate, quam habent; sed pro facultate, quam illis Deus præstat, humano generi insidiari. Suppono etiam ex D. Ambrosio lib. 1. de pænitentia cap. 13. ipsas tentationes, quibus ad perdendas animas nititur Cacodæmon, aliquando nimium conducere ad easdem animas saluandas; nam ità Deus rem temperat, ac disponit, vt homo à diabolo tentatus, tanquam puer ille propheticus Isaiæ 11. *In cauernam eius manummittat, & de lateribus eruat eum: & de veneno eius faciat spirituale antidotum, vt quod venenum est medicamentum fiat: venenum ad interitum carnis, medicamentum ad salutem spiritus*. Ratio autem huius limitatæ, ac restrictæ diaboli potestatis est: quia Christus sua morte, & passione Diabolum vinculis, claustris, & signaculis, à seducendis hominibus cohibuit, vt communiter interpretes sentiunt exponentes illud Apoc. cap. 20. *Apprehendit Draconem Serpentem antiquum, qui est diabolus, & Satanas: & ligauit eum per annos mille: & misit eum in abyssum, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes*. Vndè D. Augustinus meritò admiratur posse à cane sic adstricto, ac religato hominem morderi.

Aug. lib 11. de Gen. ad lit. c. 20.

Isa. c. 11. num. 8.

Apo. 20. 2.

August.

ri.

ri. *Videte* (inquit) *fratres, quam ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluptates noli coniungere: & ille ad te non prȩſumet accedere; latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omninò non poteſt: Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet: nec extorquet a nobis conſenſum, ſed petit.* Atque hæc ſine dubio cauſa eſt, cur Diabolus ſuis viribus deſtitutus ad fraudolentas artes, tanquam ad minutiſſimas arces ſe recipiat. Vndè D. Bernardus ſerm. de quadruplici debito. *Non eſt* (inquit) *quod vobis, & pro vobis timeam à viribus Satanȩ, & miniſtrorum eius, cum nouerim illius fortitudinem per Redemptoris vulnera traductam, & deductam ad nihilum. A verſutijs, & aſtutijs illius formido mihi eſt pro vobis.* Hinc eſt, quod S. Antonius Abbas, conſiderans ex vna parte dæmonum debilitatem de vniuerſa ſtygis cohorte ludebat, eamque intrepidus laceſſebat; nam teſte Athanaſio in eius vita, *ſenſu, ac ſpiritu, idem manens, quaſi de hoſtibus luderet, loquebatur; ſi virium aliquid haberetis, ſufficeret vnus ad prælium;* ex alia parte, ſpirituum verſipellium aſtutias, ac thecnas obſeruans penè deſperabat, poſſe aliquem ab eorum laqueis euadere. His ſuppoſitis, vt obiectis ſatisfaciam.

Bernar.

S. Ant. Abbas.

371 Reſpondeo concedendo diabolum aliquando poteſtate ſibi à Deo facta deſcendere ad fideles morientes, eoſque ira magna inuadere, occultas tenendo inſidias, apertaſque machinationes moliendo, vt eorum animas lucrifaciat;

nihilo-

nihilosecius tamen tanta dęmonibus potestas nõ laxatur, nisi in eos, quorum vita fuit semper mala, nec vmquam de peccatis veram egerunt pænitentiam, eamque cum spe veniæ protraxerunt. Et quod hoc contingat similis farinæ hominibus, qui non prius pęnitentiæ faciunt initium, quam ad mortis principia steterint, ipsemet Aduersarius in calce huius suæ probationis fatetur: en eius verba. *Certè totus penè Infernus suas vires effundet, nè qui peccata protraxit ad mortem, in eo articulo suis manibus elabatur*. Argumentum igitur non procedit cotrà fideles, qui peccando, & pœnitendo vitam transigunt: hos enim morientes non permittit diuina pietas tentari supra id, quod possunt *regulariter loquendo*: vndè experientia constat, tranquilla ferè semper morte diem claudere extremum. Dixi *regulariter loquendo* siquidem Deus aliquando permittit, laxatque diabolo potestatem tentandi in mortis articulo, non solum eos, qui mediocriter viuunt; sed etiam illos, qui in vijs Iustitiæ ambulant, & se innocentes seruant; Motiuum verò talis permissionis est, vt tentatio fidelibus proficiat ad meritum; Diabolo verò in perniciem. Exemplum habemus in Iob, quem Deus permisit tentari, vt eius patientia splendesceret magis; & diaboli conatus in maiorem sui pœnam resultaret: *Ideò enim* (inquit Augustinus in epistolam Ioannis tom. 9.) *concessus est iste tentandus, vt eo probato esset ille cruciandus*. Habemus

mus etiam exemplum in Paulo Apoſtolo, qui ab Angelo Satanæ colaphizatus, quamuis ter Dominum rogauerit, vt eum à tentatione liberaret, non fuit tamen exauditus: vt ipſa dæmonis tentatio, & ſuæ petitionis repulſa, ei proficerent ad coronam: vndè idem Auguſtinus in pſal.85. conferens locum illum, in quo Diabolus contrà Iob, quod petijt impetrauit, cum hoc, in quo Apoſtolus Deum precatus repulſam paſſus eſt. *Exauditur* (inquit) *Diabolus, & non exauditur Apoſtolus; Exaudiuit eum, quem diſponebat damnare, & non exaudiuit eum, quem volebat ſaluare*. Igitur laxat Deus Diabolo poteſtatem aliquando tentandi acriter etiam eos, qui vitam cadendo, & reſurgendo tranſegerunt: ſed taliter, vt ipſę diaboli tentationes non conducant eos ad perditionem, ſed valeant ad ſalutem, & coronam. Hoc contigit Sancto Elzeario Comiti, qui iam in agone poſitus, vidit ſe dæmonum obſeptum vinculis, irretitum laqueis, tentationibus implicatum, à quibus tamen ſe ſe extricauit virtute meritorum paſſionis, & mortis Chriſti: vndè diſiecta, atque excuſſa periculoſiſſima illa tentationum mole exclamauit. *Magna eſt dęmonum vis: ſed eam penitus eneruarunt virtus, & merità ſacroſanctę Incarnationis, & paſſionis Ieſu Chriſti*. Adde quod Deus intuitu meritorum Chriſti, & obtentu Deiparæ interceſſionum medijs Sanctis Angelis morientiũ conatus maximè roborans, eorum pugnam felici

exitu

exitu, ac optabili euentu coronabit; vt ijs non sit adeò metuenda infernalis vis, quando præpotenti Angelorum præsidio Deus humanam eorum imbecillitatem roborabit, validosque reprimet dæmoniorum insultus, siquidem *Angeli Sancti* [ità loquitur Carthusianus loc. cit.] *in hora iàm extremę, & summę necessitatis, non minus solliciti sunt ad subueniendum, quam Angeli tenebrarum ad seducendum.*

Adde vlterius, quod quamuis aliqui ex eis, qui vitam transegerunt, medio modo se habendo, nō fuerint tempore mortis armati virtutibus, & arte, ac vsu contrà Dæmones pugnandi exercitati: nihilominus tunc temporis probabilissimum est, & piè credendum, dæmoniacis insultibus præualere, ex speciali Dei adiutorio sibi præstito intuitu meritorum, & intercessionum Beatissimæ Virginis, suæque Matris Annæ, vel Angelicorum Spirituum, aliorumque Sanctorum, quorum famulatui, ac deuotioni in vita fuerunt addicti; quæ est doctrina eiusdem Carthusiani loc. cit. dicentis. *Itaque contrà omnia tentamenta oportet agonizantem esse munitum; & nisi antè suam infirmitatem fuerit contrà hæc armatus virtutibus, & arte, ac vsu pugnandi contrà inuisibiles hostes instructus, & exercitatus, aut vix, aut nunquam pręualebit tempore mortis: nisi forsan ex valdè speciali, & gratioso auxilio Dei, & Angeli sui Sancti, seu Virginis gloriosę, seu Matris eius Beatissimæ Annę, aut aliorum Sanctorum.*

rum. Etenim Deus pijssimus, & Angeli eius, ac Sancti, in hora tantæ necessitatis, non desunt electis: sed prout antè aliquo modo promeruerunt agonizantes, sic eis subueniunt.

372 Patet septimò, difficultatem, quæ oritur ex diminutione diuinorum auxiliorum non procedere, nisi contrà eos, qui vitam ferè semper in peccatis duxerunt: Vndè iuuat ipsissima arguentis verba referre. *Postulat cursus ordinarius gratię, iuxtà quem Deus, vt plurimum operatur, vt in pœnam præcedentium delictorum dentur ad resistendum tentationibus auxilia tenuiora his, qui vitam plerumque in peccatis duxerunt, quam ijs, quos extremus morbus reperit innocentes, seu pœnitentes.* Si igitur fideles, de quibus loquimur, toties in vita pœnituerunt, quoties peccauerunt: & in extremo morbo pœnitentes, & sacramentis præparati reperiuntur; Quomodo non aduertit arguens, se à scopo aberrare; dum volens percutere Titium, Sophronium percutit? Profectò fideles isti, qui non simpliciter malè viuunt; sed sæpissimè in vita resipiscunt, & in morte à sordibus peccatorum per dolorosam confessionem expurgantur, tantum abest, vt eis diuina imminuãtur auxilia, quod potius copiosioribus gratiarum imbribus asperguntur, vt tandem iustificati per gratiam sanctificantem, æternam salutem feliciter consequantur.

373 Patet demũ nostri asserti veritas ex eo: quia

in casu argumenti falsũ est fideles, de quibus loquimur, à pœnitentia verè peracta facillimè antè mortem decidere. Tum quia rationes superius ab arguente allegatæ id non probant, nisi pro eis, qui simpliciter, & absolutè malè viuunt. Tum quia licet per aliquod tempus ex frequentatis actibus peccaminosis habitum vitiosum cõtraxerint: per æquale tempus actuum iteratorum pœnitudinis, habitum virtuosum contraxerunt: Tũ quia, quamuis eis possint diuina auxilia in pœnam peccatorum etiã remissorum minui: possunt nihilominus etiã cõferri, imò augeri ex merito siue cõgruo, siue cõdigno pœnitentiæ peractæ: imò de facto augeri ex liberalitate Dei, intuitu meritorum Christi piè sperandum, & credendum est. Tertió: quia leges communes, quibus dæmones permittuntur in puncto mortis grauius, & validius tentare, tantum abest, vt militent contra istos, quod potius in tuitionem, & patrocinium ipsorum datur tutelaribus Angelis facultas amplior, vt valeant tunc temporis Dæmonum audaciam, & rabiem cœrcere. Non igitur est temerarium asserere, fideles illos, qui vitam transegerunt, nunc offendendo Deum, nunc ei se reconciliando in vltima vitę periodo vna lacrymula è contrito corde manante diuinam bonitatem emollituros, & vno gemitu, seu iaculatoria eamdem expugnaturos: ità vt non eis sit opus alias machinas adhibere, quam dolere attrito corde,

pecca-

peccata confiteri, remissionem offensæ deprecari: demum voluntatem inflectere, corrigendo affectus malos in bonos, vitiosos in honestos, detestando commissa flagitia cum firmo proposito non ea imposterum committendi. Quæ omnia præstare possunt, & facilè plerique fidelium præstant adiutorio excitantis gratiæ, & sic iustificati vi meritorum Christi, sibi iam per sacramenta applicatorum, æternam tandem salutem assequũtur. Hinc ad piorum consolationem referre iuuat verba, quæ ipse Saluator dixit S. Geltrudi apud Blosium Abbatem, quæ mellis dulcedinem vndequaque stillant. *Quilibet poterit respirare in spem veniæ [quantumlibet etiam graui pondere peccatorum se senserit depressum] offerendo Deo Patri meam innocentissimam passionem, & mortem. Credat igitur peccator, se per hoc obtinere saluberrimum fructum Indulgentiæ: quia nullum tàm efficax remedium contrà peccata poterit in terris haberi, sicut deuota memoria meæ passionis cum fide recta, & vera pœnitentia.*

S.Geltrudis apud Blosium in moni. li sp.c.1.

Ad exempla demum, quæ affert plura alia possemus opponere, quę breuitatis ergò omittuntur. Tria tantummodo enarrabo ad spem fidelium excitandam opportuna; alterum erutum ex reuelationibus S. Birgittæ: alterũm quod refert Paulus Zehentner in Promontorio malæ spei; tertium denique quod describitur à Petro Suuanyngtone Anglo S. Simonis Stokij à confessionibus, & legationibus socio. Ex his enim tribus poterit ad-

uersarius colligere, qualiter Deus, etsi aliquando ad ostensionem suæ Iustitiæ mori aliquos in peccato permittat; nihilominus non vnum, aut duos, sed innumeros in mortis puncto ad suæ misericordiæ propalationem, sibi præuia vel contritione, vel confessione reconciliat, & saluat. Prius igitur exemplum legitur in reuelatione S. Birgittæ lib, 5. cap. 97. & est hoc.

„ Quidam magnus Dominus secundum mun-
„ dum, qui diù non fuerat confessus, grauiter
„ infirmabatur. Cui compatiens sponsa (*S. Bir-*
„ *gitta*) orabat pro eo. Christus verò apparens
„ tunc sponsæ, loquebatur ei dicens. Dic Con-
„ fessori tuo, vt istum infirmum visitet, audien-
„ do confessiones eius. Cui venienti respondit in-
„ firmus non se indigere confessione, testans sę-
„ pissimè confessum. Iterum verò sequenti die
„ iubetur à Christo Confessor redire, qui veniēs
„ ad infirmum, simile sicut prius recepit respon-
„ sum. Tertio autem die iterum veniens confes-
„ sor ad infirmum ex reuelatione Christi Sponsæ
„ facta, sic dixit ei: Christus filius Dei viui, &
„ Diaboli Dominus dicit tibi: Tu habes in te se-
„ ptem dæmonia, vnus sedet in corde, ligans il-
„ lud; secundus sedet in oculis, nè videas vtilio-
„ ra animæ tuæ; tertius sedet in ore tuo, nè lo-
„ quaris ea, quæ sunt ad honorem Dei; quartus
„ sedet in inferioribus tuis, ideò dilexisti omnem
„ impuritatem: quintus est in manibus tuis, &

pedi-

„ pedibus, ideò homines ſpoliare, & interficere
„ non vereberaris; ſextus eſt in interioribus tuis,
„ & ideò gulæ deditus es, & ebrietati; ſeptimus
„ eſt in anima tua, vbi Deus ſedere deberet, &
„ modò ibi ſedet diabolus inimicus eius: ideò
„ pœnitere citius, quia adhuc Deus propitiabi-
„ tur tibi.

„ Tunc infirmus ille cum lacrymis reſpondit:
„ quomodo mihi perſuadere poteris veniam, qui
„ tot publicis ſceleribus ſum irretitus? reſpon-
„ dit Confeſſor: iuro tibi, quia expertus ſum,
„ quod etiamſi maiora feciſſes per contritionem
„ ſaluaberis. Tunc ille iterum cum lacrymis di-
„ xit: ego deſperabã de ſalute animæ meæ, quia
„ homagium feci Diabolo, qui mihi multoties
„ loquutus eſt: ideò iam ſexagenarius numquam
„ feci confeſſionem, nec ſumpſi Corpus Chriſti;
„ ſed finxi mihi negotia, quando alij communi-
„ cabant. Iam verò confiteor tibi Pater, quod
„ tales lacrymas, quales nunc habeo, nunquam
„ recordor me habuiſſe. Igitur illo die, quater
„ confeſſus eſt, & ſequenti die etiam poſt Con-
„ feſſionem communicauit. Poſt hæc autem ſex-
„ to die mortuus eſt; de quo Chriſtus ad ſponſam
„ ſic loquebatur, dicens. Iſte homo ſeruiuit La-
„ troni illi, cuius periculum oſtendi tibi prius;
„ ab eo iam fugit diabolus, cui homagium fece-
„ rat, & hoc fuit propter cõtritionem quam ha-
„ buit; & iam venit ad purgationem, & huius li-

bera-

„ berationis signum est contritio, quam habebat
„ in fine. Sed potes quærere, quare meruerit cō-
„ tritionem homo, qui tantis sceleribus inuolu-
„ tus erat? Respondeo tibi; hoc fecit dilectio
„ mea.

Secundum adducitur à Paulo Zehentner lib. 3. §. 3. num. 10. quod ego ipsiusmet verbis referre ad maiorem fidem haud importunum dijudico.

„ Ex his vnum ego sisto iuuenem Brabanti-
„ num, illustre tum improbitatis, tum diuini fa-
„ uoris exemplar. Hic lubrica statim ætate de-
„ flectere cœpit à regia honestatis via, nec iam
„ ire, sed magnis passibus currere ad flagitia. Vo-
„ luptas, libertasque blandæ vitiorum concilia-
„ trices mollem, cereumque adolescentem tra-
„ xerunt ad impetus animi sui; cui licebant om-
„ nia, quæ semel libebant, præsertim in aleis,
„ poculis, Venere frequens erat; & velut hæc nō
„ satis essent pudenda decora, etiam turpissimis
„ furtis se fœdauit, imò & parentes suos, & fa-
„ miliam vniuersam; vt metu haud vano timere
„ inciperent in sanguine suo, visuros se aliquan-
„ do longum probum, aut ex Rota, aut ex pati-
„ bulo suspensum.

„ Ea res, quia solicitos habuit tum parentes,
„ tum consanguineos, iudicis tribunali iuuenem
„ reum sistunt, & quoniam iam sæpius patrasset
„ morte luenda facinora, rogant, vt sontem clam

expe-

„ expediat; nè olim cum æterna familiæ suæ
„ ignominia, publico supplicio, exemploque
„ plecti debeat. Exoratus Iudex ad preces tam
„ æquas, vt videbantur, ligatum adolescentem
„ in saccum iubet mitti, inter aquas suffocandũ;
„ compellat tamen eum prius suauiter, sibi vt
„ ignosceret, facturo quod iura exigunt, quod
„ vterque parens, quod amici pro gratia effla-
„ gitant. Nihil tum condemnatus aliud Iudici
„ respondit; quam illud obstinatæ mentis verbũ;
„ numqua se ipsi, numquam sanguini suo, huius
„ facti condonaturum veniam; esto vel apud in-
„ ferorum æternas flammas, hoc suum proposi-
„ tum, necessè esset luere. Ità inclusus sacco iuit
„ ad aquas; atque vt videbatur Iudici, etiam ad
„ stygios ignes. Sed quantum errauerit, paulò
„ post intellexit; ea scilicet nocte, qua insomnis,
„ atque secum admirabundus, reuoluit proterui
„ iuuenis obitum: tum enim ad lectuli sui latus,
„ præsentem habuit, quæ iam inter auernales
„ focos crediderat ardere. Itaque vt Iudex, re-
„ sumpto à pauore animo, propè sibi assistentem
„ & notum à specie sciscitatus est hominem, quæ
„ eum in altero Orbe fortuna, statusque condi-
„ tio compræhendisset, sic interrogatus respon-
„ dit. Equidem gratia, suprà quàm potest di-
„ ci, aut credi, patior tormenta, admensas sce-
„ leribus meis pœnas; sed mitigat doloris acer-
„ bitatem beatitudinis certitudo. Nam, si nescis
in

„ cit, credo etiam mihi propitia erit. Atque vt
„ certius olim clementiam luminis sentiret, mu-
„ tauit mundum cum Religione, tribunalis po-
„ testatem cum Charthusiæ solitudine.

374 Tertiũ eisdẽ verbis refero, quibus relatũ est à Petro Suuãygntonio in historia S. Simonis nostri Ordinis Generalis apud perdoctũ IoannẽCheronẽ Burdigalensem. Refert igitur, qualiter B. Simon, cui non multò anteà benignissima Dei Genitrix Virgo Maria cæleste sacrosancti Scapularis donatiuum contulerat, cum pergeret (ipso Suuanygntonio comite) Vvintoniam, Petrus de Chyntonia Decanus Ecclesiæ Sanctæ Helenæ illis occurrerit, obsecrando B. Simonem, vt germanum suum, qui moriebatur desperatus, nec confiteri sua peccata volebat, adiuuare festinaret:
„ Venientes ergo (*verba sunt Suuanygntony*) in
„ domum, inuenimus hominem spumosum, stri-
„ dentem dentibus, & rotantem oculos, tanquã
„ canem rabiosum, cumque videretur mori, nec
„ haberet vsum sensuum corporis sui, B. Pater
„ Simon, facto Crucis signo, & iniecto habitu
„ super languentem, eleuatis oculis petebat in-
„ ducias à Deo, vt pretium Christi non esset prę-
„ da diaboli. Et repentè ægrotus qui morieba-
„ tur, resumptis viribus, bono sensu, & loque-
„ la, signando se signo salutari obiurgabat Dæ-
„ mones, & cum quæstu lacrymabili dicebat:
„ Heu me miserum quantus mihi tremor damna

„ tionis æternæ: iniquitates meæ creuerunt su-
„ per numerum arenæ maris: miserere mei Deus,
„ cuius misericordia superexaltat iustitiam. Pa-
„ ter adiuua me, volo confiteri. Post confessio-
„ nem Vualterus ille publicè renuntiauit diabo-
„ licis pactis, & recepit sacramenta Ecclesiæ,
„ edendo signa magnæ pœnitentiæ, fecit testa-
„ mentum, & accepta iuratoria cautione fratris
„ sui Decani ordinauit restitui malè ablata, & re-
„ parari iniurias, quas fecerat, & circa horam
„ octauam noctis pacificè exalauit animam, quę
„ fratri suo hæsitāti de salute eius apparuit, signi-
„ ficando benè secum agi, & quod per potentis-
„ simam Reginam Angelorum, per habitum B.
„ Viri, tanquam per clypeum euaserat insidias
„ Dæmonum. His igitur exemplis prælibatis fi-
nem huic opellæ imponimus: omnia, tamen, quæ in eius progressu dicta sunt [si quidpiam humana deliquit tenuitas] Sanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni lubens, ac volens submitto.

APPEN-

APPENDIX

Ad Paragraphum vndecimum Quæstionis Tertiæ de fidelibus Orthodoxis, deuotionem erga sacratissimum Beatissimę Virginis Rosarium, seu Psalterium: necnon erga sacrosanctũ Scapulare Deiparæ Marię de Monte Carmelo, constanter, ac affectuosè profitentibus.

PROLOGVS.

375 PRobauimus per totũ Paragraphũ vndecimum Quæstionis tertiæ maiorẽ fidelium adultorum partẽ, virtute potẽtissimę Deiparę Virginis apud Deũ patrocinalis intercessionis salutem assequi sempiternam, atque adeò fideles adultos quoad maiorem partem esse inter electos recensendos: vel ex eo maximè, quia nemo, vel ferè nemo est inter fideles adultos, qui aliquo deuotionis obsequio Deiparæ Virgini mancipatus non sit: præcipuè ferè omnes ij, qui deuota frequentia, vel

ſuum Roſarium, ſeu Pſalterium recitant: vel conſtanti affectu ſuum Scapulare, ſeu Habitum ſuæ Carmeliticæ Confraternitatis teſſeram, diu, noctuque geſtant. Nunc veſtigare iuuat, an fideles recitantes Roſarium, & Scapulare portantes maiorem aliquam habere poſſint de ſua ſalute certitudinem, quam cæteri fideles, qui nec Roſarium recitant, nec deferunt Scapulare. Porrò piæ petitiones quorundam, qui Deiparæ deuotioni addicti eius Roſarium aſſiduè recitant, geſtantque Scapulare, me ad hanc Appendicem addendam vellicarunt, & veluti calcaria ad inueſtigandum concitarunt, qualem, & quantam præ cæteris fidelibus poſſint habere ipſi certitudinalem de propria ſalute ſecuritatem. Quibus, vt par eſt, volentes facere ſatis, vt ſolita claritate procedamus, hanc Appendicem in duas Quæſtiunculas diuidemus, in quarum prima Roſarij deuotis: in ſecunda ſacri Scapularis deuotioni mancipatis ſatisfaciemus. Sit igitur.

QVÆSTIVNCVLA PRIMA.

An qui recitat frequenter, & deuotè Roſarium B. Virginis poſſit eſſe aliquo modo de ſua ſalute ſecurus?

376 PRæmitto primò ad dubij reſolutionem, nos hic non loqui de ſecuritate ſalutis, promanante

nante ex certitudine fidei: nam fidei certitudo nititur alicui testimonio diuino vniuersali omnibus fidelibus per Ecclesiam proposito: recitatio verò Psalterij, seu Rosarij tali testimonio non innititur, atque adeò recitantes Psalterium, seu Rosarium non possunt habere suæ salutis securitatem ex fidei certitudine promanantem: quod etiam dicendum est de gestantibus Carmeliticũ Scapulare.

Quæ sit certitudo fidei.

Præmitto secundò, neque hic nos loqui de securitate promanante ex certitudine theologica: etenim illud dicitur certitudine theologica certum quod virtualiter continetur in aliqua propositione vniuersali, à Deo reuelata, nobisque per Ecclesiam proposita: at recitatio Rosarij, necnon promissio facta gestantibus Scapulare non continentur virtualiter sub aliqua propositione vniuersali, à Deo facta, & nobis per Ecclesiam proposita: nullibi enim promisit Deus, se infallibiliter saluaturum Scapulare gestantes, & recitantes Rosarium; idcircò hi non possunt esse de sua salute securi, securitate orta ex theologica certitudine, cui falsum subesse non potest.

Quid certitudo Theologica.

Præmitto tertiò, præter securitatem emanantem ex certitudinibus Fidei, & Theologica, dari etiam securitatem emanantem ex certitudine morali. Hæc autem triplex est, infima scilicet, media, & suprema, vt docet Amicus tom.3. cur-

Quid tãdem moralis, & quotupl.

Theologici, disput. 34. num. 29. Infima est, quæ non excludit actualem formidinem. Media, quæ actualem formidinem, sed non aptitudinalem, seu moralem potentiam ad formidandum excludit. Suprema tandem est, quæ excludit vtramque, formidinem scilicet actualem, & simul potentiam moralem ad formidandum.

Fr. Am. Triplex certitudo moralis infima media suprema.

Id igitur quod in presenti, & in sequēti Questiũculis quærimus, est, an recitatio Rosarij, & Scapularis gestatio nitantur coniecturis, signis, & motiuis adeo probabilibus, vt nullam relinquant dubietatem, aut formidinem, atque adeò quæ reddant recitantes Rosarium, & Scapulare gestantes moraliter securos, & certos de sua salute. Sit igitur.

Fideles, etiã iusti recitantes Rosariũ non habent certitudinẽ moralẽ supremã de sua salute.

377 Prima conclusio: Fideles, etiam iusti, qui quotidiè proficiunt, progredientes de virtute in virtutem, quamuis frequenter, & deuotè Rosarium recitent, non possunt (secluso Priuilegio, & speciali reuelationis fauore] habere de sua salute securitatem, & certitudinem in genere moraliũ supremæ, quæ omnem excludat formidinẽ, & simul moralem potentiam ad formidandum; sitque similis ei, qua assentimur hisce propositionibus, *Roma est*, vel *Troia fuit*.

Cõc. Tr.

Probatur primò ex Tridentino sess. 6. cap. 9. vbi ait. *Quemlibet iustum posse formidare de sua iustitia, dum seipsum, suamque infirmitatem, & indispositionem respicit*: sed certitudo moralis, qua

assen-

assentimur præfatis propositionibus omnem excludit formidinem, & moralem potentiam ad formidandum; ergo per id, quod infertur ex Tridentino non possunt recitantes Rosarium [quamuis sanctitate conspicui] habere, secluso reuelationis Priuilegio, moralem de sua salute certitudinem, & securitatem, omnem actualem formidinem, & moralem potentiam ad formidandum excludentem, & similem ei, qua credimus Romam esse, vel Troiam fuisse. Confirmatur, quia nullus recitans Rosarium, quantumuis iustus, potest ea signa suæ iustitiæ, ac sanctitatis habere, quæ habentur quod Roma sit, vel Troia fuerit: nam illa signa non sunt ità certa, vt omnem valeant excludere formidinem: interdum enim his similia possunt oriri ex puris naturalibus. At certitudo moralis, qua credimus Romam esse, vel Troiam fuisse omnem omninò formidinem, & dubietatem excludit: quia innititur testimonio infinitæ multitudinis hominum, ore, & scripto id de re visa attestantium: qui propter diuersitatem locorum, temporum, ac ætatum non potuerunt conuenire ad confingendum mendacium: estque tot sæculis constanter firmata, vt nulla penitus relinquatur moralis potentia ad dubitandum. Ergo non est possibile, vt recitantes Rosarium habeant [secluso reuelationis Priuilegio) tantam certitudinem moralem de sua salute, vt sit ei similis, qua credimus Romam esse, vel Troiam

iam fuiſſe, excludatque omnem omninò formidinem, & ſimul moralem potentiam ad formidandum.

378 Probatur ſecundò: Si quis eſſet certus de ſua ſalute, certitudine omnem formidinem, ſimulque moralem potenriam ad formidandum excludente, poſſet ſine temeritate iurare, ſe eſſe moriturum in gratia, vel ſibi eſſe in morte remittenda peccata: ſed fideles, etiam iuſti, qui Roſarium frequenter recitant non poſſunt ſine temeritate iurare ſe eſſe morituros in gratia, ſiue in morte ſibi eſſe remittenda peccata, ergo non poſſunt eſſe certi de ſua ſalute, certitudine, quę actualem formidinem, & moralem potentiam ad formidandum excludat. Maior patet; Minor probatur, quia Viri etiam Sanctiſſimi, qui licet ob egregia charitatis opera, quæ per totam vitam exercuerunt, debuiſſent de gratia Dei multum confidere, nunquam tamen auſi fuiſſent tale iuramentum præſtare; quod ex eo maximè patet, quia de propria ſalute poſt multa in vita edita miracula, in inſtanti mortis multùm formidarunt, vt Agatho, & Stephanus ſolitarius ex Climaco in Scala Paradiſi; imò & ipſe Hilarion vehementi timore tunc perculſus (vt narrat Hieronymus in eius vita) coactus fuit animæ ſuæ dicere: *ſeptuaginta annis ſeruiſti Domino, & mortem times?* Quæ verba manifeſtè indicant tunc in eo interceſſiſſe luctamen ſpei, ob obſequium ſeptuaginta

Nō poſſunt iurare ſe eſſe morituros in gratia.

Agatho, Stephanus ſolitarius & Hilarion timebant in morte de propria ſalute.

ta

ta annorum Deo præſtitum, & timoris ob rigoroſam diuinorum iudiciorum diſtrictionem. Ergo multò minus poſſunt taliter iurare fideles Roſarium recitantes, atque adeò multò minus poſſunt eſſe certi de ſua ſalute, certitudine actualem formidinem, & moralem potentiam ad formidandum excludente.

579 Secunda Concluſio. Non ſolum iuſti, ſed etiam peccatores, qui cadendo, & reſurgendo vitam tranſigunt (de quibus per totam quæſtionem tertiam loquuti ſumus) per frequentem, ac deuotam Roſarij, ſeu Pſalterij recitationem, poſſunt de ſua ſalute probabilem, & coniecturalem habere certitudinem, & ſecuritatem, quæ ſi minus actualem formidinem, ſaltem actualem anxietatem excludat.

Etiam peccatores frequenter & deuotè recitātes Roſarium poſſunt habere certitudinem.

Probatur primò. Illi dici poſſunt certi de ſua ſalute, certitudine omnem anxietatem excludente, qui habent aliquod potiſſimum ſuæ prædeſtinationis ſignum: ſed deuotè recitantes Roſarium, qui quoties cadunt, toties reſurgunt, cognoſcunt ſe habere ſignum aliquod, & hoc potiſſimum ſuæ prædeſtinationis: ergo dici poſſunt probabiliter, & coniecturaliter certi de ſua ſalute, certitudine omnem anxietatem excludente. Maior patet, quia qui habent aliquod potiſſimum ſuæ prædeſtinationis ſignum, habent primam radicem cuiuſuis boni ſpiritualis, conducentis ad eorum ſalutis aſſequutionem: ſiquidem à Præde-

ſtinatione, tamquam à radice emanant Vocatio, Iuſtificatio, & tandem Glorificatio, iuxtà illud Pauli: *Quos prędeſtinauit, hos & vocauit, &c.* Et ſic non cruciantur animi angore, quamuis reſpicientes ſeipſos, vel propriam infirmitatem, ac indiſpoſitionem aliqualiter formident, & dubitent. Minor etiam conſtat teſtimonio B. Alani de Rupe lib. de Pſalterio Virginis cap. 11. vbi conſignat melliflua verba, à Deipara ſibi dicta, quæ talia ſunt. *Secretum tibi pandam diuinæ Prouidentię. Scias enim, & ſecurè intelligas, & indę latiùs patefacias, quod videlicet ſignum probabile eſt, et propinquum ęternæ damnationi, horrere, & negligere ſalutationem Angelicam: habentibus verò deuotionem ad hanc ſignum eſt permagnum Prædeſtinationis ad gloriam.* Conſequentia tandem patet à fortiori: ſi enim vnius ſalutationis Angelicæ eſt permagnæ prædeſtinationis nota, erit multò maius prędeſtinationis ſignum frequenter, & deuotè recitare totum Roſarium, ſeu Pſalterium, conſtans ex centum quinquaginta Angelicis ſalutationibus: vndè rationabili confidentia aſſeruit Carthagena de Arcanis Deiparæ loquens de Roſario *Arbitror ſanè, nec immeritò inter argumenta, & ſigna prędeſtinationis, illud non infimum locum habere, quod quiſpiam nomen dederit huic ſacrę fraternitati.*

B. Alan de Rupe.

Deuota recitatio ſalutationis angelicæ eſt ſignũ prædeſtinationis

Cartha. libr. 16. hom. 6.

580 Simili argumento à fortiori vſus eſt D. Petrus Damianus lib. 2. epiſt. Epiſtola 14. ad Deſideriũ Abb. & Card. ibi enim ex relatione cuiuſdam

Pet. Dã.

Stepha-

Stephani Presbyteri Cardinalis narrat casũ, quẽ ego ad ſolamen deuotorum Roſarij ijſdem Damiani verbis inſerere non ſuperfluum dijudico. *Audiſſe* (inquit) *me memini, quia Clericus quidam fatuus erat, friuolus, & ineptus. Hùc accedit, quia nullam Religionis dotem, nullam Canonicę diſciplinæ grauitatis, ſiue modeſtię videbatur habere virtutem: inter hos tamen emortuos inutilis vitæ cineres, hic perexigui fomitis tenuis viuebat igniculus, vt antè Sacroſanctum Altare quotidiè B. Dei Genitricis accederet, & reuerenter verticem curuans, Angelicum hunc, atque Euangelicum verſiculum decantaret: Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Cum itaque tantæ fatuitatis ineptiam nouus deprehendiſſet Epiſcopus, ab inutili perſona vtilitatem Eccleſiæ detineri indignum duxit, eique præbendam, quam à nuper elato ſuo deceſſore perceperat, abſtulit. Sed cum hunc rei familiaris ægeſtas opprimeret, & præter hoc aliud quid, vndè poſſet viuere non haberet, nocturno ſilentio pia Dei Genitrix Epiſcopo, dum dormiret, apparuit, quam ſcilicet prçcedebat vir, in vna manu ardentem faculam, in altera ferulam portans, cui mox B. Virgo præcepit, vt Epiſcopum delinquentem aliquantis ferulæ, quam gerebat, verberibus caſtigaret: Cur (inquiens) Cappellano meo, qui mihi quotidianas impendebat excubias, ſtipem Eccleſię, quã non ipſe contuleras, abſtuliſti? Moxque Sacerdos terrefactus euigilans, Clerico beneficium reddidit, & quem ignotum Deo fortè crediderat, iam quaſi charum*

Clericus quidam ob recitationem ſalutationis angelicæ virginis patrocinio perditũ beneficium r: habuit

propensius honorauit. Hæc Damianus: quibus enarratis arguens à fortiori, sic discurrit. *Si igitur ille vnum dumtaxat laudis canendo versiculum, corporei victus alimenta promeruit, quam fideliter ęterna sperabunt, qui B. Reginę mundi quotidiana horarum omnium vota persoluunt?* Et quod infert de paruo officio ad honorem Virginis recitando, possumus nos inferre ex recitatione totius integri Rosarij, seu Psalterij respectu vnius Angelicę salutationis.

581 Probatur secundò Conclusio. Qui habet probabilem certitudinem impetrandi antè mortem à Deo vel contritionem veram, vel saltem supernaturalem attritionem cum sacramento Confessionis coniunctam, qua peccatorum remissionem consequatur, potest dici probabiliter certus ipse de sua salute, certitudine omnem omninò animi angorem excludente: sed fideles, etiam peccatores, deuotè recitantes Rosarium habent probabilem certitudinem impetrandi antè mortem à Deo alterutrum ex prædictis: Ergo, &c. Maior & consequentia patent. Minor probatur testimonio ipsius Dæmonis, Dei, Deiparæ, & omniũ nostrùm inimici: Hic igitur, qui prius à sancto Dominico edicere, & propalare compulsus, quisnam Sanctorum post Christum Dominum esset in Cælis, quem Dæmones magis formidarent, quemque homines magis colere deberent? Quia

B. Virgo Rosariũ deuotè recitantibus impetrat antè mortem contritionis actũ, quo se Deo reconcilient.

mul-

multum tergiuersabatur, renuebatque respondere: Ecce apparuit augusto cum satellitio stipata Deipara Virgo, eumque compellens coegit, vt omnem promeret expetitam à Dominico veritatem; vndè ille inter gemitus, & eiulatus, quamuis inuitus exclamauit: *Audite vos Christiani: hæc Christi Mater potens est nimis in preseruandis suis seruis, quominus precipites in barathrum inferni ruant: illa est, quę dissipat, vt Sol tenebras omnes nostras fallacias: illa eneruat, & ad nihilum redigit omnia nostra machinamenta. Fatemur coacti, neminem nobiscum damnari, qui in eius sancto cultu, & pio obsequio deuotus perseuerat. Vnicum enim suspirium ab ipsa, & per ipsam sanctissimæ Trinitati oblatum superat, & excedit omnium Sanctorum preces: magisque eam reformidamus, quam omnes Paradisi ciues: neque contrà fideles eius seruos quidquam possumus præualere. Amplius etiam necessitate compulsi renunciamus, nullum in sancto exercitio sanctissimi Rosarij perseuerantem* (perpendantur, & notentur hęc verba ad nostrũ intentũ) *æternos inferni subire cruciatus: ipsa enim deuotis seruis suis veram impetrat contritionem, qua ratione fit, vt & peccata confiteantur, & eorum indulgentiam à Domino consequantur.*

Hãc veritatem confessus est ipse Dæmon à S. Dominico, & B. Virgine coactus.

En ex ipsorum Dæmonum confessione, neminem in pia Rosarij recitatione perseuerantem ęternas inferni calamitates passurum: sed antè extremum vitæ halitum, contritionem, per quam peccatorum remissionem obtineat, impetraturum.

582 Por-

582 Porró testimonium hoc ore communis hostis prolatum non est parui, sed magnifaciendum: *Illud enim verè est testimonium* (inquit Hieronymus) *quod ab inimica voce profertur*. Idcircò ipsemet Deus voluit ab inimicis, scilicet Dario, & Cyro Persarum Regibus publicis extolli præconijs. Et Christus eius filius sanctitatem suam, diuinamque filiationem ex ore ipsorum Dœmonum extorsit, clamantium: *Scio te quis sis, sanctus Dei* Lucæ 4. *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? venisti huc antè tempus torquere nos*. Matth. 8. Item Paulus Apostolus ipsorũ infidelium testimonio Episcopos approbandos, & commendandos existimauit, dicẽs: *Oportet autẽ illũ & testimoniũ habere bonum ab hijs, qui foris sunt*. Et rationem veluti assignans Chrysostomus: *Id veritatis* (inquit) *maximum est argumentum, cum quis inimicos in eorum, quę dicit testimonium, adducit*. Et hoc profectò præstitit B. Virgo in casu enarrato, vt credibilior fieret veritas, quæ etiam ex aduersarijs testimonium haberet. Et quamuis Dæmon dicatur, & sit pater mendacij; in hoc tamen ambigendum non est, Deum posuisse in ore eius veritatem, quam prorsus coactus, & inuitus confessus est. Nam, vt Chrisostomus ait: *Concessum est diabolo interdum vera dicere, vt mendacium suum rara veritate commendet*. Quod autem dæmon tunc temporis non ex seipso, sed ex diuino afflatu loquutus sit, patet ex eo, quia non protulit, quæ pro-

Hier. ep. 61. ad Matth.
Dani. 6. & Isa. 1.
Lu. 4. 34. Matth. 8. 29.
1 ad Ti. 3.
Chrysost. Ioan. 18.
Idẽ hom 19. in imperf. Matth. tom. 2.

pria

pria dæmonum ſunt, nempè mendacia, ſed quę conſona erant propriæ naturæ, vt à Spiritu Sancto actæ, & directæ, ſecundum quam directionē aliquando prænunciat vera. Quod expreſsè docuit D. Thomas 2.2. qu.72. art.6. dicens in calce corporis: *Et ſic etiam illud verum, quod Dæmones enunciant, à Spiritu ſancto eſt.* Et in reſponſione ad tertium ſe declarans, dicit: *Quod propriâ Dæmonum dicantur eſſe illa, quæ habent à ſeipſis ſcilicet mendacia, & peccata. Quę autem pertinent ad propriam naturā,* [cuius Actor eſt Spiritus ſanctus] *quandoque vera prænunciant.*

Deus poſuit in ore Dæmonis illam veritatem S. Tho.

583 Obijcies primò. Certitudo, quæ non eſt infallibilis, non excludit animi angorem: ſed certitudo recitantium Roſarium non eſt infallibilis; ergo non excludit animi angorem. Confirmatur, nam anxietas, & animi angor non excluditur, niſi excluſa formidine: ſed formido non excluditur niſi per infallibilitatem: ergo cū certitudo recitantium Roſarium non ſit infallibilis non excludit formidinem, atque adeò nec animi angorem.

Reſpondeo, diſtinguendò maiorem: Certitudo, quæ nec metaphyſicé, nec moraliter eſt infallibilis, non excludit animi angorem, concedo maiorē: certitudo, quæ eſt aliquo modo vel metaphyſicè, vel moraliter infallibilis non excludit animi angorem, nego maiorem. Ad minorem iterum diſtinguo: certitudo recitantium Roſarium non

eſt

infallibilis infallibilitate metaphysica, cōcedo minorem: non est infallibilis infallibilitate morali, nego minorem, & consequentiam. Ad confirmationem, nego absolutè maiorem: nam sicut ad excludendam formidinem requiritur infallibilitas certitudinis in genere moralium mediæ; ità ad excludendam anxietatem sufficit infallibilitas moralis infima, quæ non deest certitudini quam habent recitantes Rosarium: hi enim certi sunt, Beatissimam Virginem intuitu ritè recitati Rosarij orare pro ipsis: certi etiam sunt, quod *Virgo* (vt Gerson affirmat) *absoluta voluntate nihil petit à Deo, quod non obtineat*: vndè cum certi quoque sint, Virginem impetraturam ipsis contritionem, qua peccatorum remissionem obtineant, quiescunt in tali Virginis beneuolentia, ac beneuola beneficentia: vndè nullo cruciantur animi angore ex parte Virginis patrocinantis; quamuis ex parte sui, considerantes propriæ naturæ indispositionem, voluntatisque mobilitatem, formident.

Gerson tr. 6. sup. Magnif.

584 Instabis. Infallibilitas moralis, quæ nullam habet promissionem de collatione effectus, non tollit animi angorem: sed recitatio Rosarij nullam habet promissionem de collatione contritionis antè mortem: ergo salus recitantis Rosarium non est ità infallibilis, vt tollat animi angorem. Maior patet: quia posita infallibilitate morali, non implicat ex natura rei non sequi

effe-

effectum: ſicut à contrario poſita impoſſibilitate ſolum morali, non implicat ex natura rei, nec contradictionem inuoluit, quod de facto fiat id, quod erat moraliter impoſſibile: vndè, qui recitat Roſarium, cum ſciat, quod etiam poſita infallibilitate morali non implicat ex natura rei nō ſequi contritionem, cruciabitur ſemper animi angore. Minor conſtat, quia nullibi extat talis promiſſio, qua B. Virgo pollicita ſit, ſe impetraturam donum contritionis antè mortem ijs, qui deuota frequentia Roſarium recitant: ex quo patet veritas conſequentiæ, quod ſalus recitantis Roſarium non eſt ità infallibilis, vt angorem animi excludat.

Reſpondeo primò. Negando maiorem: ad cuius probationem dico, quod quamuis poſita infallibilitate morali poſſit ex natura rei non ſequi contritionis effectus: eſt tamen valdè difficile, & quaſi moraliter impoſſibile, vt non ſequatur, ſtante Virginis efficaciſſimo patrocinio: vndè qui ritè, & rectè Roſarium recitat, piè credit, non ſibi defuturum B. Virginis auxilium, cū ipſa adeò ſibi complaceat in eius recitatione, vt hoc ſolo titulo infallibiliter contritionem impetret illud recitanti: & ideò pacato animo viuit, nec animi cruciatur angore, quamuis conſiderans ſuæ naturæ infirmitatem, & indiſpoſitionem, timeat, & formidet.

385 Reſpondeo ſecundò, data maiori, di-

ſtinguendo minorem. Non extat promiſſio formalis, & expreſſa, concedo minorem: non extat promiſſio virtualis, & tacita, vel quid æquiualens, & æquipollens promiſſioni, nego minorem, & etiam conſequentiam. Nam licet ritè recitantibus Roſarium ſanctiſſima Virgo non expreſsè promiſerit, ſe impetraturam actum contritionis ante mortem: nihilominus cum ipſamet coegerit dæmonem, vt coram aſtantibus, qui ad quindecim millia excreuiſſe tunc putabantur (teſte B. Alano cum Bzouio) fateretur hanc veritatẽ, ſcilicet nullum in ſancto exercitio ſanctiſſimi Roſarij perſeuerantem damnari, ipſamque Virginẽ contritionem antè mortem impetraturam: profectò hoc idem fuit, ac ſi Beatiſſima Virgo ſe pigneraret ad orandum efficaciter pro ſuis deuotis, vt verè contriti, ſeu confeſſione præmuniti peccatorum indulgentiam à Dei miſericordia conſequerentur; aliàs non videretur fuiſſe verum id, quod dæmon tũ inuitus, ac Virginis imperio cõpulſus pronunciauit. Hinc poſteà adeò moralis emanat certitudo de Virginis patrocinio, vt atteſtatio dæmonis impulſu Deiparæ facta æquipolleat promiſſioni, quã facere ipſa Deipara potuiſſet. Ex quo fit, vt veritas de tali patrocinio, quam Spiritus mendax coactus, & inuitus in mediũ protulit, ſufficiens ſit ad tollendam anxietatẽ ab eorũ animis, qui deuotè ſicuti Roſariũ recitant: ſicuti, ſi adeſſet formalis, & expreſſa promiſſio etiã poſſet actualẽ formidinem excludere. 386 Ter-

Ex B. Alano Bzouio, & Annal.

Quãuis non ſit promiſſio expreſſa: eſt tamẽ promiſſio tacita vel quid promiſſioni æquipollẽs

386 Tertia Conclusio. *Regulariter loquendo*, fideles, qui perditissimè viuunt, & pœnitentiam protrahunt, neque illam amplectuntur, nisi aut morbis prostrati, aut senio incuruati, aut à morte ad diuini Iudicis tribunal vocati, nō sunt de sua salute securi: possunt tamen intuitu Rosarij deuotè recitati sperare, se obtenturas contritionem, virtute liberalissimæ Virginis intercessionis. Ità Paulus Zehentner loc. cit. num. 17.

Probatur, quia ex communi iuris axiomate, *Non debet homini fraudolēto propria fraus patrocinari*: ergo neque sua illusio patrocinari illusoribus debet; sed qui profligatissimè viuunt, & pœnitentiam vel ad seniū, vel ad mortem prolongant sunt Dei, Deiparæq; illusores: non enim videntur Virginem colere, eiusque Rosarium recitare, ex aliquo pietatis sensu ergà illam: sed ex mero affectu peccandi sub spe veniæ in puncto mortis, intuitu recitati Rosarij per Virginem impetrandæ: ergo eis *regulariter loquendo* non patrocinatur talis Rosarij recitatio, atque adeò non sunt de salute securi.

Dixi *regulariter loquendo*, nam ex Dei beneplacito, eiusque misericordiæ munificentissima liberalitate innumeri homines perditissimæ spei in medio vitiorum cursu, modis verè admirandis, ad piæ mentis frugem reducti sunt, vel iam sub mortem à præcipitio ad inferos, inexplicabili pietate, reuocati, & ad cæleste palatium illati, veluti cō-

piuente diuina Iustitia ad Deiparæ preces, interpellantis pro suis clientibus, quamuis indignis, intuitu Rosarij etiam nudè, & materialiter recitati, vt miracula ferè innumerabilia testantur. Vndè quisquis est, qui Rosarium recitat, dummodò habeat propositum abstinendi à peccato, deque peccato pœnitendi potest sperare contritionem per Deiparæ preces impetrandam: hoc enim sperare non est præsumere, vt docet D. Thomas loc. cit. 2.2. Idcircò Paulus Zehentner loco citato libri tertij §. 14. num. 35. statuit.

S. Tho.

Zehent.

„ Eos mortales, qui sincerè, seriòque conantur
„ diuinas leges seruare, neque tam ex insolen-
„ tia temerariæ voluntatis peccant, quam ex na-
„ turæ semel corruptæ imbecillitate: iure merito
„ plurimùm contra pusillanimitatis vitium erigi
„ posse ad spem salutis adipiscendæ, si conside-
„ rauerint, &c. recitationem frequentem Ro-
„ sarij ex deuoto Mariæ cultu. *Et num. 16. dixe-*
„ *rat*: Nā si verum est, quod Spiritus mendax asse-
„ ruit, neminem eorum, qui in sancto Rosarij
„ exercitio perseuerauerit æternos aditurum in-
„ ferni cruciatus: respectu illorum verum dixit,
„ qui cum debitis circumstantijs hanc precandi
„ formulam Deiparæ offerunt, puta cum since-
„ ro peccati grauis odio, cum seria culparum
„ suarum detestatione, cum fixo animi decreto,
„ resurgendi quamprimùm à lapsu, & cauendi
„ imposterum studiosè relapsus occasionem:

quo-

„ quotiescumque denique siue ex malitia, siue
„ ex infirmitate ceciderint. Credibile igitur est,
„ quamdiù ipsi sic constituti Matrem misericor-
„ diæ in partem laboris sui, auxilijque piè in-
„ uocant, sertisque eleganter plexis, & coronis,
„ & Rosarijs ex Angeli salutatione, B. Virginem
„ ad sua vota, precesque trahunt, postulata im-
„ petrare: & denique (si ad manus non foret sa-
„ cramentorum copia) eiusdem ope per veram
„ contritioné à peccatis suis ante morté expiari.
„ Hactenus Zehētner. Et hæc de quęstiūcula pri-
ma.

QVÆSTIVNCVLA SECVNDA.

An aliquam habeant de sua salute certitudinem præcę-teris fidelibus, Confratres sacrosancti Scapularis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

387 DVo præmittenda sunt notatu, & scitu dignissima, antequam ad difficultatis propositæ resolutionem deueniamus. Primum est, promissio B. Virginis facta B. Simoni Stockio nostri Ordinis Generali, quandò ei *Scapulare* præbuit in specialis amoris pignus. Secundum, expositiones verborum ab ipsamet B. Virgine in Scapularis collatione prolatorum.

Præmitto igitur primò, Beatissimam Virginem anno 1251. (prout Petrus Suuanygton scribit) appa-

Petrus Suuani. S. Sim socius.

apparuisse dicto B. Simoni, cūq; ei Scapulare porrexisset promisisse, Carmelitas, & confratres in *Scapulari* morientes, æternum gehennæ non passuros incendium. Narrat ex exteris Scriptoribus, visionem hanc Paulus Zehentner in Promōtorio malæ spei lib. 3. §. 13. num. 13. pag. 523. his verbis. Cum verò iam ad clauum sui ordinis sederet (*B. Simon*] maiorum exemplo egregiè Deiparam Virginem coluit, eam assiduis precibus fatigans, vt quos olim in Asia fouit, etiā in Europa amplecti vellet filios suos Carmelitas, Eliæ nepotes; quin etiam amoris materni, externum aliquod testimonium dare. In hunc finem repetijsse dicitur crebrò sanctus Simon hanc ad Dei Genitricem precatiunculam. *Flos Carmeli, vitis florigera, Splendor Cæli, Virgo puerpera singularis; Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da priuilegia, Stella maris*. Et visa est placuisse Viri deuotio; nam cum nocte quadam genuflexus, iterumque supplex ad gratiosæ Virginis pulsaret ostia: ipsa, quam in sua vota vocauit, præsentem se stitit, Domina Maiestate plena, & quam inter fulgentes radios Angeli vtrinque cingerent, Cælestes Palatini. Eminebat è medio augustior omnibus Maria, & porrecto ex vtraque manu *Scapulari* monastici Ordinis insigni, inter suaues, blandosque risus, sic hominem alloquuta fertur. *Dilectissime fili; hoc recipe tui Ordinis Scapulare, meę*

Paulus Zehent. Iesuita.

Precatiuncula S. Simonis Generalis Carmel.

Apparet ei Virgo Deipara

Confra-

Confraternitatis signum: tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, in quo quis moriens, ęternum non patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, & pacti sempiterni. Prosequitur vlterius idem Auctor, dicens. Hanc Sancto Simoni obiectam speciem veram fuisse apparitionem non inane ludibrium, probat tum viri pietas, & religiosa prudentia: tum antiquissimus Doctorum sensus, ipsiusque Ecclesiæ auctoritas: Bullæ item variorum Pontificum; denique miracula deuotam Scapularis gestationem non semel consequuta, & diligenter passim descripta: miracula autem sunt veritatis testimonia; quo etiam argumento, suam diuinitatem apud Iudæos confirmauit Christus, quando interrogatus à Ioanne Baptista, ipse nè Messias foret? eiusdem discipulis mandauit; *Euntes renunciate Iooanni, quæ audistis, & vidistis, quia cęci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Hìc autem notandum venit, tametsi Deipara Virgo vnum dumtaxat *Scapulare* tradiderit Sancto Simoni; solere nihilominus plura alia ad similitudinem illius accepti *Scapularis*, Ordinem Carmelitarum diuersis quoque fidelibus in Ecclesia distribuere. Atque ità fatentur, statim fecisse ipsum Simonem, nemine reclamante; dein posteros eius, approbantibus etiam Pontificibus, & facultatem amplissimam concedenti-

Cōtulit ei Scāpulare, seu habitum cum promissione præseruandi ab Inferno in eo morientes.

Hæc visio approbatur à Doctoribus, Pontificibus, & Ecclesia: formaturq; miraculis.

Carmelitę alia Scapularia ad similitudinem illius à Deipara collati omnibus fidelibus in Ecclesia distribuunt.

„ dentibus, vt Carmelitæ Fraternitates ſub ti-
„ tulo B. Virginis, & *Scapularis* erigere poſſint.
„ Demum non tantum hodie per Italiam, Ger-
„ maniam, Belgium, aliaſque orbis partes om-
„ nis ætatis ſexus, ac conditionis homines, ge-
„ ſtant collo appenſum Scapulare; ſed iam olim
„ quoque idem facere, receptum fuit Principi-
„ bus perſonis. Nam & Ludouicum Galliæ, &
„ Odoardum Angliæ Reges, & Angelam Boe-
„ miæ Regis filiam, & Henricum Alencaſtri
„ Ducem, & Henricum Nortumbriæ Comitem,
„ alioſque ex magno ſanguine natos, diù noctu-
„ que hoc Mariano fauoris inſigne portaſſe me-
„ morant; vt nihil dicam de maximis vtriuſque
„ ſexus perſonis, quæ idem poſterioribus ſæcu-
„ lis geſtarunt, vtique eius promiſſionis gratia,
„ quam Diua Virgo Scapulari annexuit, cum
„ dixit: *in quo quis moriens, non ęternum patietur in-
cendium*.

Scapulare geſtatur à Regibus Principibus, & Magnatis.

Ob priuilegiũ liberationis ab inferis, quo fruũtur in eo morientes.

388 Præmitto ſecundò plures referri ſolere expoſitiones illorum verborum à B. Virgine prolatorum: *In quo quis moriens, ęternum non patietur incendium*, per quas illa ad germanum, & Catholicum ſenſum reducuntur.

Exponuntur verba, in quo quis moriens æternum non patietur incendium

Prima expoſitio eſt eiuſdem Pauli Zehentner,
„ loc. cit. numer. 22. pag. 257. dicentis, Dei-
„ param Virginem pollicitam eſſe, eum, qui in
„ ſuo Scapulari morietur, non iturum ad inferos,
„ quantum eſt ex parte ſua, & ex parte illius co-

Prima expoſitio eſt Zehentner Ieſuitæ.

„ piosæ gratiæ, quam eidem apud filium suum
„ impetrabit intuitu Scapularis iam olim collati
in signum salutis, fœdus pacis, & pacti sempiterni;
„ nisi scilicet ex alio capite impingat in petram
„ scandali, & lapidem offensionis, per temera-
„ riam diuinæ legis transgressionem; eo prorsus
„ sensu (vt ipsemet præmiserat num. 21.) quo di-
„ uus Paulus I. ad Tim. dixit generatim de Deo:
„ *omnes homines vult saluos fieri*: quod dogma v-
„ niuersale intelligi debet cum Damasceno lib.
„ 2. de fide, cap. 29. Non de voluntate conse-
„ quente (hac enim impios, præuisa eorum im-
„ pietate, vult damnare, non saluare) sed de vo-
„ luntate antecedente, quæ antecedit omnem
„ præuisionem bonorum, & malorum operum
„ in homine: & hac, quę se tenet ex parte suæ in
„ homines beneuolentiæ, vult omnes saluos fie-
„ ri, quantũ ex parte sua, si per ipsos non steterit;
Vult igitur Zehentner, gestantes Scapulare non perituros quantum est ex parte Virginis, & gratię illius copiosioris, quam ipsa illis apud filium, intuitu Scapularis impetrabit. Et ad hoc confirmandum, allatis illis Genesis verbis: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fęderis inter me, & inter terram, eritque Arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum, et omnem animam viuentem, etc.* Com-
„ parat Scapulare dicto arcui, dicens num. 23.
„ Liceat hic mihi sacrum *Scapulare* cum arcu cæ-

Morientes in Scapulari non ibunt in ignem æternum, quãtũ est ex parte Virginis

Ob copiosiora gratiæ auxilia, quæ intuitu Scapularis collati, eis impetrat apud filiũ

Sicut Arcus in nubibus olim fuit signũ quo Deus pepigit fędus de cauendo diluuio secundo.

„ lesti, & pulcra Iride componere; nam tametsi „ ipsum in se vi sua natiua, nihil habeat efficacię, „ ac virtutis actiuæ in hominem: est tamẽ nihilo- „ minus signum quoddam fœderis initi, taciti- „ que pacti, quo Deipara quasi obligat liberali- „ tatem suam ijs omnibus, qui singulari erga il- „ lam pietate ducti, eius *Scapulare* gestant. Et „ quoniam authoritate materna, plurimũ apud „ filium suum pollet: istis sibi deuotis vernulis, „ seruulisque, maiores, & abundantiores gra- „ tias impetrat, quam alijs communiter homini- „ bus; vt si eas acceptare velint, breue salutis „ suæ compendium habeant, facilèque possint, „ tam copiosis muniti auxilijs, Cælum lucrari, & „ & inferos euadere. Quod si repudiauerint hos „ Dei, suæque Matris fauores, manuque ingra- „ ta excusserint compendiosa beatitudinis adi- „ piscendæ media, immersi vitiorum illecebris; „ profectò non obstante *Scapulare* pereunt, sed „ sua culpa, & maxima culpa, quia ex tempora- „ li in æternam transibit.

Ità Scapulare est signũ quoddã taciti pacti, quo Deipara, quasi obligat liberalitatem suam ijs qui ex pietate Scapulare portant, in eoq; moriuntur.

Confratres Scapularis facilius, quam cæteri fideles euadunt inferos, & cælum lucrantur.

388 Secunda expositio est P. nostri Leonis à S. Ioanne Concionatoris Christianissimi Galliarum Regis, quam in suo Typo, seu Pictura vestis Religiosæ his verbis adducit. Secunda, „ vt subtilior, ità melior (*pręmiserat enim aliam interpretationem diuersam*] facillimè intelli- „ getur; si concipiamus Beatissimam Virginem, „ pactum, seu foedus cum sancto Simone Gene- rali,

Secũda expositio nostri P. Leonis, à S. Ioãne.

„ rali, cumque vniuerſo Carmelitarum ordine ſanciuiſſe: huius verò affinitatis, ſeu confraternitatis ſignum, & notam datum eſſe Scapulare, quod geſtamus. Quia porrò in huius virtutem Confraternitatis, per eiuſdem Scapulare, ſeu Habitum, quaſi teſſeram initæ, relinquitur ſpeciale ergà Carmelitas Virginis patrocinium: & viciſſim illius geſtatione ſtemmatis, palam, & apertè profitemur præcipuæ cultum ſeruitutis, qua nos, noſtraque omnia, voto etiam publicè nuncupato, Mariæ Virgini mancipamus. Hinc eſt, quod eadem benigna Parens, & miſericordiæ Mater memor mutuæ huius Confraternitatis, in vltimo mortalis vitæ momento, à quo potiſſimum pendet æternitas, & humana ſalus periclitatur, ſpeciali patrocinio quemlibet morientem, qui ſuæ Confraternitatis habitum dignè, & laudabiliter geſtauerit, contrà ingruentes tunc hoſtis impetus, & tentationes tutabitur; adeòq; peculiari tunc ſollicitudine Chriſtum Vnigenitum exorabit, vt dignetur illi morienti ſuſcitare intimam de peccatis contritionem, ſinceram à creaturis auerſionem, & ad Creatorē conuerſionem: internos motus ad ſalutem neceſſarios ingerere: præſtare gratiæ auxilia efficacioris; vno verbo, Electorum patrimonium, & hæreditatem concedere, gratiam, quam vocant finalem, ſeu perſeuerantiam, cui

B. Virgo potiſſimum in morte patrocinatur ſodalibus Scapularis.

Impetrans eis tunc efficaciora gratiæ auxilia ſc. gratiā finalem, ſeu perſeuerantiam.

Deipara Virgo ex pacto, & fœdere inito cũ S. Simone, tam opportuna gratia vberioris auxilia impetrabit in eo morientibus, vt verè cõtriti pro certò possint euadere cruciatus Inferni.

" salus indubitata adhæret. Ex qua quidem do-
" ctrina pura, & sincera, non obscurè colligitur
" veritas huius promissionis: *In quo quis moriens*
" *æternum non patietur incendium*; quantum est vi-
" delicet ex parte Beatissimæ Virginis, quæ ex
" fœdere nobiscum percusso, tam opportuna
" gratiæ efficacioris remedia morientibus nobis
" à Deo impetrabit, vt nisi obstinaté resistamus,
" verissima contritione simul, & dilectione ad
" Deum finaliter conuersi, pœnas inferni, & æ-
" ternum illud incendium pro certò euadere
" possimus. Neque verò necessè est, hanc pro-
" positionem: *In quo quis moriens, etc.* (cum sit
" de contingentium numero, & liberum homi-
" nis arbitrium inuoluat) in omnibus ad vnum
" suum effectum sortiri: sufficit enim quod in
" plerisque obtineat veritatem: & in omnibus
" quantum est, saltem ex parte, & officio B Vir-
" ginis, quæ non solum, vt communis christia-
" norum mater est: verum etiam peculia-
" riter, vt Soror Carmelitarum amantissima,
" ea priuilegia impetrabit in mortis agone ijs,
" qui dum viuerent, se illi cultu specialissimo cõ-
" secrarunt: cuius specialis cultus, & clientelæ
" nota, signum, seu tessera *Scapulare* est Virgi-
" nis, quod gestarunt cum speciali itidem virtu-
" tum exercitio. Hæc Leo à S. Ioanne loc. cit.
" sect. 9.

Tertia interpretatio est Venerabilis Patris
Ioan-

Ioannis Baptistæ de Lezana olim Sacræ Congregationis Indicis Consultoris, beneficiorum examinatoris, ac publici Sap. Rom. Lectoris, qui in Annalibus tom. 4. pag. 337. & in Maria Patrona cap. 5. num. 12. tres affert expositiones, quarum præcipua est hæc. Ideò in prædicta visione salutem animæ, & liberari ab inferorum pœnis tribuit sacri Scapularis induitioni, quod illud piè gestantes, quantum est ex parte B. Virginis, ipsiusque pro ipsis intercessione, nisi per ipsos steterit, salutem consequentur æternam. Sic etenim, & in eodem sensu de Deo dicitur 1. ad Timot. 2. *Vult omnes saluos fieri*. Et II. Petri 3. *Vult omnes ad pœnitentiam reuerti*; scilicet quantum est ex parte sua, & auxiliorũ, quæ singulis pro opportunitate distribuit. Plures autem ab æterna damnatione, qua secundum præsentem iustitiam digni erant, Beatissimæ Virginis precibus, & interuentu liberatos fuisse, adeò certum est in historijs, vt nostra non egeat probatione. Confirmat intentum alia ferè similis reuelatio, seu visio eiusdẽ Beatissimæ Virginis Mariæ Sãctissimo Patriarchæ Prædicatorum Dominico facta, quam adfert Bzouius tom. 13. annal. sub an. 1213. n. 11. vbi loquens Beatissima Virgo de Rosario dicit: *Hoc erit vnicum ad euertendas hęreses, vitia extinguenda, virtutes promouendas, misericordiam diuinam implorandam, suffragiaque mea impetranda,* ma-

Tertia expositio Ven. nostri Patris Lezana.

1. ad Ti. 2.

2. Pet. 3.

Reuelatio S. Dominico à B. Virgine facta Bzouius

magnum, & singulare in Ecclesia instrumentum.
„ Quę omnia verificari nō possunt de Sacro Ro-
„ sario, nisi quatenus ex promissione Beatissimæ
„ Virginis illud piè, & deuotè recitantibus, hæc
„ à Deo concedantur. Pariter ergo in nostra
„ præsenti reuelatione, seu visione, dicimus li-
„ berationem ab igne æterno, & salutem æter-
„ nam promitti à Beatissima Virgine gestanti-
„ bus *Scapulare* non nudè, & materialiter: sed
„ cum obseruantia castitatis, recitatione officij,
„ vel ieiunij, aut à carnibus abstinentijs, alijs-
„ que obseruantijs ordinis, vel Confraternitatis
„ respectiuè. Quod est summatim dicere,
Piè credendum, saluandos fore ex intercessione Virginis, Fratres, & Confratres, qui ea, quæ illis præcepta sunt ab ordine, vel Confraternitate fecerint;
„ Quod pium sanè, & conforme Dei benigni-
„ tati absdubiè est, &c. Ad hæc si, vt communis
„ Theologorum Præceptor S. Thomas in 4. d.
„ 45. q. 3. art. 2. ad 2. ait: *Quibusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut sancto Antonio ad ignem Infernalem;*
„ Ecquis hoc negabit Diuæ Virgini Dei Pa-
„ renti, quæ dignitate, sanctitate, & meritis to-
„ tam sanctorum cohortem superat? patrocina-
„ bitur ergo ad ignem infernalem (vt S. Tho-
„ mas de S. Antonio inquit, effugiendum. Hæc
„ Lezana.

Per Virginis intercessionē piè credendum est, saluandos fore Confratres morientes in Scapulari, qui fecerint ea, quæ illis ab ordine, vel Confraternitate præscribuntur.

390 Quarta expositio est nostri Patris Irenæi

næi à sancto Iacobo, qui in tractatu Theologico de singulari immaculatæ Virginis protectione cap.2. §.4. per totum, priusquam ad verum, ac legitimum illorum verborum sensum deueniat, tria in *Scapulari* considerat. Primum, *Scapularis materiam*, *& formam*: & hoc physicum appellat. Secundum, *signum Carmelitici fæderis* cum B. Virgine: quod appellat morale in ea veste physica. Tertium, *obsequium ex tali fædere Virgini debitum*; quod appellat debitum Ritum. Is igitur, qui gestat *Scapulare* primo modo, quatenus est pannus, aut vestis, modo veluti mortuo, & solum physicè gestat; Qui primo modo, & secundo, is physicè, & moraliter; demum, qui tribus modis enumeratis, is physicè, moraliter, & ritè gestat *Scapulare*, dicendusque est satisfacere pacto, cui sua ex parte non deerit Deipara Virgo. Tandem statuit ea verba: *In quo quis moriens, &c.* debere ad literam sic intelligi, *vt qui ritè gestat habitum, idest cum animo ergà Virginem benè affecto, & cum exercitio aliquorum bonorum operum in obsequium, & honorem eiusdem, sit saluandus, æternamque gloriam consequuturus.* Non quod connexionem, quam habet gloria cum sanctitate, eamdem habeat cum *Scapulari*: nec quod par sit *Sacramentorum*, *& Scapularis* conditio, quasi indifferens morituro sit, quod Scapulare assumat, vel pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta recipiat: hoc enim ipse reijcit, & explodit, tamquam

Quarta expositio nostri P. Irenæi à S. Iacobo

Tripliciter gestari potest Scapulare, scilicet physicè moraliter, & ritè.

Gloria non habet connexionē cum Scapulari physicè sumpto.

quàm impium, & sacris literis prorsus oppositum suamque sententiam non minus clarè, quam catholicè his terminis explicat, loc. citat. §.4. pag. „ 75. Venio tandem ad extremum difficultatis „ nodum, atque statuo, ea verba: *In quo quis mo-* „ *riens, &c.* debere ad literam sic intelligi, vt „ *qui ritè in* Scapulari *fuerit mortuus, sit saluan-* „ *dus*. Dicitur primo *ritè*, cuius particulæ ratio „ constat ex superiori §. etsi enim Beata Virgo „ eam expresse non apposuerit, tamen subin- „ telligendum esse ostendimus ex natura contra- „ ctus cum B Simone Stockio initi. Dicitur se- „ cundò, *saluandus*: non quod gloria eamdem „ cum *Scapulari*, quàm cum *Sanctitate* connexio- „ nem habeat: nec iterum parem *Scapularis*, at- „ que *Sacramentorum* conditionem assero, quasi „ indifferens sit morituro, quod Scapulare assu- „ mat, aut Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucha- „ ristiæ recipiat; absit, vt ità mentem, atque „ sententiam interpreteris, quam clarè his ter- „ minis explico. Qui ritè gestauit Scapulare, is „ satisfecit sua ex parte B. Virginis fœderi, cui „ ea pariter, vt satisfaciat, obtinet à Deo gra- „ tiarum auxilia, quibus Confrater eiusmodi ex- „ citetur ad conterendum, pœnitendum, alia- „ que recipienda sacramenta, quorum benefi- „ cio redeat in gratiam cum Deo, vel augeat „ merita, & priorem iustitiam. Prætereà eidem „ largitur Deus per B. Virginem externæ pro-

Scapulare non sanctificat, sicut sacramenta.

Intuitu Scapularis Deipara obtinet Cõfratribus auxilia, quibus excitentur ad conterẽdum, pœnitendũ &c.

tectio-

„ tectionis auxilia, remouendo tentationes, &
„ ſimilia, quæ alioqui periclitanti afferrent mo-
„ leſtiam: imò & interna, quæ ad reſiſtendum,
„ certandumque aduerſus Principatus, & Po-
„ teſtates, rectores mundi huius, corroborent.
„ Si quæras, quomodo ea excitent auxilia? Re-
„ mitto ad variam Theologorum ſententiam.
„ 1.2. legendam; Vndè patet, nolle me, ſan-
„ ctificari aliquem per Scapulare, quaſi per
„ formalem iuſtitiam, aut cauſam, quæ ſanctita-
„ tem producat ad inſtar ſacramenti: ſed eodem
„ modo, quo cæterarum confraternitatum exer-
„ citia; quo ſcilicet Dominicani Roſarij, Fran-
„ ciſcani Funiculi, Zonæ Auguſtinianæ, &c.
„ Confratres ſperant ſingulare auxilium, ſibi
„ concedendum, eo ipſo, quod nomen dede-
„ runt Confraternitati; & debita ſoluerunt ob-
„ ſequia. Enim verò licet idem bonum opus ab
„ alio fideli, quod à Confratre factum fuerit, &
„ conſectariè par ſit futurum meritū ex hac par-
„ te; nihilominus impar erit dicendum, ratione
„ dati nominis, eo quod indè magis ſit Deo vni-
„ tus, & conſecratus, qui dedit nomen Confra-
„ ternitati, quam qui non deuouit, &c. Ratio
„ afferri poteſt (præter ſingularem Confratris
„ conſecrationem iam aſſignatam) quod omnis,
„ vt plurimum Confraternitas ſit veluti contra-
„ ctus, quo certa proponuntur beneficia ſpiri-
„ tualia exercenti quædam præſcripta Confra-

Confratribus cuiuſcūque Confraternitatis cōceditur à Deo peculiare aliquod auxilium præ cæteris fidelibus.

„ tribus opera. At si suprà sortem cæteris fideli-
„ bus communem nihil obtineat Confrater per
„ eiusmodi opera, superuacaneum videri pote-
„ rit sodalitij institutum: quod dici non debet,
„ cum ab Ecclesia probentur ista sodalitia, imò
„ & laudentur. Quæ res in nostro *Scapulari* fit
„ euidentior, eo quod contractus ratio clara sit,
„ & expressa in verbis B. Virginis. Vtrum verò
„ augmentum illud Confraternitatis titulo com-
„ paratum, gratiam sanctificantem, & charita-
„ tem immediatè augeat, iam non disputo: sed
„ contendo obtineri saltem actualis gratiæ au-
„ xilia ad ea opera exercenda, per quæ augea-
„ tur charitas, &c. Denique in Confraternitate
„ Carmelitici *Scapularis* ea acquiruntur auxilia
„ potissimum in morte, per quę salutem operen-
„ tur Confratres: nam in eo præcipuè situm est
„ priuilegium, de quo agimus. His præmissis
„ sit.

Præcipuè sodalibus Scapularis ratione initi fœderis inter B. Virginẽ, & S. Simonem,

391 Prima conclusio. Gestantes *ritè Scapulare, & in eo piè morientes*, habent de sua salute certitudinem adeò probabilem, vt ex parte Virginis excludat omnem actualem formidinem: non tamen moralem potentiam ad formidandum ex parte ipsorum.

Certitudo salutis, quã habent sodales Scapularis excludit actualem formidinem ex parte Virginis sed non potentiã moralẽ ad formidandum ex parte sui

Probatur conclusio quoad primam partem, sic. Illa certitudo excludit actualem formidinem, quæ innititur promissioni, ex parte promittentis infallibiliter executioni mandandæ. Sed certitu-

do,

do, quam habent *ritè* gestantes, & piè morientes in *Scapulari* innititur promissioni Deiparæ, ex parte ipsius infallibiliter exequutioni mandandę: ergo ex parte promittentis actualem formidinē excludit. Maior patet ex terminis: quia qui habet promissionem de sua salute, ex parte promittentis infallibiliter exequendam actu non formidat de salutis consecutione; præcipuè si ex parte sua satisfacit promittenti. Minor quoad primam partem constat, quia *ritè gestantes Scapulare, in eoque piè morientes* non aliundè habent hanc certitudinem, nisi à sponsione Deiparæ, facta sancto Simoni, quam retulimus num. 387. atque adeò eorum certitudo Deiparæ promissioni innititur. Quoad secundam partem, scilicet hanc remissionem, ex parte pollicentis esse infallibiliter exequendam, probatur: quia in Deiparam, quæ pollicita est salutem ritè gestantibus, & piè morientibus in *Scapulari*, non potest cadere infidelitas, & mendacium: ergò, si minus obligatione rigorosæ iustitiæ, saltem titulo fidelitatis, & veracitatis tenetur stare promissis, & consequenter salutem promissam impetrare, & exequutioni mandare; Vel ex eo maximè, quia etiam ipse Deus, in quo non datur iustitia commutatiua, saltem rigorosa, & strictum debitum; posito tamen, quod semel promittat, tenetur reddere obligatione fidelitatis, & veracitatis: iuxtà illud Augustini: *Debitor factus est, non aliquid à nobis,*

Deipara vi federis initi, tenetur obligatione veracitatis, & fidelitatis impetrare sodalibus Scapularis salutem ex parte sua.

Aug. ser 16. de ver. Ap.

accipiendo: *Sed quod ei placuit*, *promittendo*: & iuxtà illud Anſelmi: *Iuſtus es Domine*, *non quia nobis reddis debitum*: *ſed quia facis*, *quod decet te ſummum bonum*. Demum conſequentia, ſcilicet, quod talis certitudo omnem excludat actualem formidinem, patet ex forma: & inſuper probatur: quia B. Virgo poteſt obtinere hominibus ſalutem, ſi ipſa velit; iuxta illud Anſelmi: *Tantummodo velis ſalutem noſtram*, *& verè nequaquam ſalui eſſe non poterimus*. Sed, quod velit ſalutem Fratrum, & Confratrum Carmelitici Scapularis expreſſiùs, & euidentius inſinuare non potuit, quam eiſdem ſalutem promittendo illis verbis: *In quo quis moriens æternum non patietur incendium*, ideſt *in quo quis moriens ſaluabitur*: ſic enim ea verba interpretatur Ioannes Groſſus noſtri Ordinis Generalis, ad quem ſpectat ex conceſſione Summorum Pontificum expoſitio dubiorum, ſi quæ emergant in priuilegijs, vt docet Irenæus loco citato pag. 77. & Paulus ab omnibus Sanctis l. etiam cit. pagin. 75.

Anſel. in proſologio c. 10

Anſ. lib de excel Vir. c. 12

Io. Groſſus in viridario claui 2. §. ſequitur de Sanctis.

Irenæus

Paulus ab omn. San.

592 Confirmatur primò. Ex promiſſione ſiue expreſſa, ſiue tacita ipſius Dei ſequitur ità infallibiliter ſalus, vt ex ea oriatur certitudo, omnem excludens actualem formidinem. Sed Virginis promiſſio ſupponit Dei promiſſionem ſibi vniuerſaliter factam pro deuotorum ſuorum ſalute. Ergo ex ea oritur certitudo ſalutis, omnem excludens formidinem. Minor probatur, tum ex

ex ijs, quæ dixit Deus Pater, Sanctæ Catherinæ Senensi apud Blosium: *Mariæ Unigeniti Filij mei gloriosę Genitrici, in bonitate mea concessum est, propter incarnati Verbi reuerentiam, vt quicumque, etiam peccator, ad eam cum deuota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à Dęmone infernali.* Tum ex ijs, quæ dixit Christus suæ sanctissimæ Matri apud Sanctam Birgittam: *Omnis quicumque inuocauerit nomen tuum, & spem habet in te, cum proposito emendandi commissa, ista tria dabuntur ei: Contritio pro peccatis: satisfactio, & fortitudo ad faciendum bona: & insuper Regnum cęleste.* Tum ex ijs, quæ apud Laurentium Iustinianum dixit Christus eidem Matri suæ. *Nemo in tui inuocatione spernetur: nullusque deuotus tibi a me efficietur alienus.* Cum igitur ex reuelatione facta S. Simoni nostro, sit in B. Virginę voluntas expressa, & promissio salutis pro *ritè* gestantibus, & *pie* morientibus in *Scapulari*: & hæc promissio, & voluntas non possit non esse conformis promissioni, & voluntati ipsius Dei, quas iam supponit, probabilissimè infertur ex Virginis promissione moralis certitudo salutis, quantum est ex parte promittentis, omnem formidinem actualem excludens.

Blos. in monili cap. 1.

S. Birg. in reuel. cap. 50.

393 Confirmatur secundò. Oratio, & intercessio Deiparæ plus potest apud Deum, quam intercessio, & oratio omnium Angelorum, & Sanctorum collectiuè sumpta: sed Sanctorum oratio, & intercessio, licet ex se non habeat, nisi apti-

Oratio Sanctorum recipit efficaciam, & infallibilitatem à promissione diuina.

aptitudinem ad impetrandum: habet tamen efficaciam ex diuina promissione, quæ habetur Matth.7. & Lucæ 11. *Petite, & accipietis, &c. Omnis, qui petit accipit, &c.* Ergo longè maiorem efficaciam habet Oratio Virginis ad reddendum Confratres Scapularis, moraliter, sed infallibiliter certos de sua salute. Maior constat ex communi SS. PP. & Theologorum sententia: vndè Pelbartus in Stellario *Tantum* (inquit) *eam* [Virginem) *Deus dilexit vt ipsa in omni petitione plus valeat, quam omnes Sancti, & Angeli, & tota Ecclesia mundi: quia ei nihil fas est negare, quę tanquam Mater potest Deo imperare, & non tantùm supplicare, sicut cęteri.* Et Suarez: *Si cogitatione fingamus* (ait) *B. Virginem aliquid postulare, totamque Curiam cælestem illi resistere* [*sicut apud Danielem vnus Angelus alteri resistebat*] *potentior esset, maiorisque efficaciæ, & valoris apud Deum Virginis, quam reliquorum omnium SS. Oratio.* Minor etiam patet: quia oratio, cum sit quædam petitio, quæ ad impetrationem ordinatur, natura sua sortitur aptitudinem ad impetrandum: sed infallibilitatem sortitur aliundè, nempè vel ex diuina misericordia, vel ex aliqua Dei promissione, qua posita Deus fit debitor, teneturque ex obligatione fidelitatis reddere, quod promittit, vt dictum est suprà numer. 391. Ex quibus veritas consequentiæ sequitur à fortiori; nempè orationem Virginis esse longè maioris efficaciæ, & infallibilitatis, quam Ora-

Matt.7. & Luca 11.

Pelbart. in Stell.

Oratio B.V. plus valet apud Deũ quam oratio omniũ Sanctorum collectiuè sumpta.

Suarez t.3, in 3. p. dis. 23. sect. 2.

B.V. non solùm supplicat sed imperat.

Oratio Sanctorum: Tum quia ipsa non solum potest supplicare sicut cæteri: sed etiam imperare vt Mater, vt in sequenti confirmatione probabimus: Tum quia eius intercessio non solum innititur dictæ promissioni generali omnibus facta: sed etiam alteri peculiari ipsi facta à Christo apud Birgittam his verbis: *Benedicta tu à me, benedicto filio tuo: propterea nulla erit petitio tua ad me, quæ non exaudiatur: & per te omnes, qui petunt misericordiam cum voluntate emendandi se, gratiam habebunt, &c.* Et rursus: *Tanta est mihi dulcedo in verbis tuis, vt non possim negare, quę petis.* Ex his omnibus liquidò constat, quantum est parte Virginis esse infallibiliter certum, Confratres *in Scapulari, ritè, & piè* morientes, æternum non passuros incendium: Nam B. Virgo sua ex parte satisfacit fœderi cum S. Simone inito, intercedēdo pro illis apud Deum: quæ intercessio habet annexam infallibilem efficaciam, cum innixa sit binæ promissioni à Deo, & Christo ipsi factæ.

S. Birg. lib. 1. de rev. c. 50.

Peculiaris promissio à Christo B. Virgini facta.

394 Præterquamquod eius intercessio aliūdè sortitur efficaciam infallibilem, scilicet à dominio, potestate, & auctoritate, quæ apud filium pollet, quæ alijs Sanctis non competit, nec competere potest. Omnis enim potestas, quæ Christo ex natura competit, vt est, gratiæ auxilia cōferre, animas sanctificare, & ab inferis præseruare &c. stando in iure naturali, refluit, & redundat in Virginem eius Matrem: & ideò quæ Christus

Maria Virgo habet potestatem preseruandi animas ab inferis.

ſtus dixit de ſeipſo. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*: Petrus Damianus applicat Virgini, dicens: *Fecit tibi magna, qui potens eſt: & data eſt tibi omnis poteſtas in cęlo, & in terra*. Potuit igitur Sanctiſſima Virgo efficaciter velle, quantum eſt ex parte ſua ſalutem, & euaſionem ab inferis Confratrum *piè*, & *ritè* in *Scapulari* morientium; eamque Chriſtus ad nutum Matris, cui obligatione legis naturalis obedire tenetur, reipſa pia obedientia complet. Agnouit S. Antoninus hanc patriam Deiparæ in Chriſtum poteſtatem: & ideò ait: *Oratio Sanctorum non innititur alicui rei ex parte ſua: ſed tantùm miſericordiæ ex parte Dei: Oratio autem Virginis innititur gratię iure naturali, & Iuſtitiæ Euangelij: nam Filius non tantùm tenetur audire matrem, ſed & obedire iuxtà illud Apoſtoli*: Filij obedite parentibus veſtris: *quod etiam eſt de iure naturę*. Et iterum: *Oratio Deiparæ eſt nobiliſſimus orandi modus: tum quia habebat rationem iuſſionis*, & imperij: *tum quia impoſſibile eſt, eam non exaudiri, iuxtà illud, quod in figura eius dixit Salomon Matri ſuæ Bethſabeę, cum aliquid petere vellet: Pete mater mea neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam* 3. *Reg*.2. Sed luculentius hanc Virginis poteſtatem, & imperium expreſſit, & explicuit Card. Godfridus ſerm.8. his verbis: *Cæteri Sancti Dominum Deum orant, & orando impetrant; ſed honorabilis Virgo Maria, ſi illum, ex eo, quod Deus, & Dominus eſt, exorare meritò creditur; ex eo*

B. Petr. Damiã. ſer.1. de Natiuit Mariæ.

Intercedendo pro nobis apud filium ei quaſi imperat.

Oratio Deiparæ habet modum iuſſionis, & imper.

Godfrid Car. ſer. 8.

tamen

tamen quod homo est, & natus ex ea, quasi quodam Matris imperio, apud ipsum impetrare quidquid voluerit, pia fide non dubitatur. Nam si quilibet Sanctus apud iustum Iudicem obtinet, quidquid sibi iure debetur: Hęc, quæ est Mater Iudicis, omnium Sanctorum Domina, iure Matris nunquam fraudabitur. Hoc est enim materni iuris apud filios dignitate sublimes, vt si Matres eorum eos sępius rogent, quia Domini sunt: eis etiam aliquando quasi imperent, quia filij sunt. Bonum vtiquæ naturę, quod Deus hominibus dedit, nunquam sibi, qui est summus, & à quo bona cuncta procedunt, negabit. Et quod hæc Beatissima Virgo Mater Domini fecisse legitur in terris, immeritò facere dubitaretur in cælis. Nam vino deficiente nuptiarum in Cana Galileę, dixit Mater Iesu ad Iesum, vinum non habent, ac si ea ipsi pręciperet, vt ipse faceret. Hoc bona Mater pietate quidem præcepit, quod bonus filius pia obedientia compleuit. Et quidem his postremis verbis possumus nos sine temeritate vti, & dicere de euasione ab inferis à Deipara Virgine morientibus in *Scapulari* promissa: *Hoc bona Mater pietate quidem præcipit, quod bonus filius pia obedientia complet.*

Promissio euasionis ab inferis à Deipara S. Simoni facta pia erga Matrem pietate copletur à Christo.

395 Probatur eadem Conclusio quoad secundam partem, quod scilicet talis certitudo nō tollat moralem potentiam ad formidandum ex parte gestantium, & morientium in *Scapulari*. Tū quia gestantes *Scapulare* ex parte infirmitatis, & debilitatis propriæ naturæ, non possunt absque

formidine esse certi, quod *ritè*, & *rectè* illud gestent: vel, quod in eius gestatione *deuotè* perseuerent vsque ad mortem, atque adeò, quod in eo *debita pietate* moriantur: vel, quod acceptis per Virginis intercessionem auxilijs cooperētur. Tum quia cum hæc certitudo non sit Fidei, aut Theologica, quibus non potest subesse falsū, semper possunt gestantes habitum [seclusa speciali reuelatione] de salutis consequutione formidare, atque adeò remanet in eis moralis potētia ad formidandum.

Obijcies primò contrà priorem partem conclusionis. Asserere, posse aliquem esse certum certitudine omnem formidinem excludente, de sua salute, seclusa reuelatione diuina, est error proscriptus à Tridentino l.cit. sed nostra conclusio asserit, *ritè* gestantes, & *piè* morientes in *Scapulari* esse certos de sua salute, certitudine omnem actualem formidinem excludente: ergo est si minus vt hæretica saltem, vt erronea explodenda.

Respondeo, Tridentinum loqui de certitudine fidei, & theologica, quibus falsum subesse non potest: vel de certitudine metaphysica, quæ non solum excludit actualem formidinem: sed etiam moralem potentiam ad formidandum. At nostra conclusio loquitur de certitudine morali, coniecturali, & probabili, quæ à nemine Theologorū reijcitur, aut respuitur: Non enim dicimus, Confratres

fratres *Scapularis* esse certos de propria salute, certitudine Fidei, & Theologica, aut metaphysica: quia, licet dicamus, esse certos, certitudine excludente omnem actualem formidinem, aut animi anxietatem ex parte Virginis promittẽtis: non tamen dicimus esse certos, certitudine excludente moralem potentiam ad formidandum ex parte ipsorum, idest ex parte indispositionis, propriæque naturæ infirmitatis, respectu cuius semper possunt, imò debent formidare: Tum quia nesciunt, an *ritè* habitum gestent, vel non: aut in *debito ritu* vsque ad mortem perseuerent: Tum quia possunt vel incuria, vel malitia habitũ derelinquere, & sic in eo non mori: Tum quia, etsi non sint conscij defectus in *debita Scapularis* gestatione, prudenter tamen dubitare possunt, an occultum habeant defectum aliquem, qui debito gestationis ritui opponatur.

396 Obijcies secundò, vel salus, & damnatio gestantium, & morientium in *Scapulari*, est in arbitrio gestantis, & morientis; vel non. Si secundum? ergo morientes in illo necessario saluabuntur, destructa omninò libertate, quod est hæreticum. Si primum? Ergo recta gestatio *Scapularis* nihil prodest, cum etiam in sensu composito, qui moritur cum ipso, & in ipso possit damnari.

Respondeo, esse in arbitrio morientis; & hoc nõ obstãte gestationẽ *Scapularis* ei valdè prodesse

per omnem modum: prodeſt enim, vt de facto ſaluetur, quamuis poſſit damnari; nam non iſta ſunt incompoſſibilia, Deus propter merita Virginis, eiuſque *Scapularis* intuitu, vult Confratrem ſaluari, & Confrater poteſt damnari: ſed iſta ſunt incompoſſibilia: Deus propter merita Virginis, eiuſque *Scapularis* intuitu, vult Confratrem ſaluari & Confrater damnabitur: iuxtà ea, quæ diximus ex D. Thoma in Libra Penſili quæſt. 3. §. 11. num. 198 pag. 216. Intuitu igitur *Scapularis*, *ritè* ſuſcepti, & delati B. Virgo obtinet à Deo auxilia vberiora, quæ quamuis non vim inferant voluntati: ſunt tamen efficacia ad ſaluandum, ſiue talia ſint ex entitate, ſiue ex futuro voluntatis aſſenſu pro diuerſa vniuſcuiuſque ſententia.

Scapulare prodeſt ſodali, vt de facto ſaluetur quamuis poſſi dãnari.

397 Inſtabis primò. Si *Scapularis* geſtatio prodeſſet, vt Confrater *ritè* illud geſtans de facto ſaluetur, ſequeretur, omnes, & ſingulos Confratres ſaluari; conſequens eſt abſurdum, & temerarium, ergo, & antecedens. Sequela probatur: nam propoſitio hæc: *In quo quis moriens, æternum non patietur incendium*, eſt abſoluta, & ſe extendit ad omnes, & ſingulos in *Scapulari* morientes, nemine excepto: ergo omnes, & ſinguli ſaluarentur.

Reſpondeo primò eodem modo, quo reſpondit Damaſcenus ſimili obiectioni ſibi factæ, quam adduximus quæſt. 3. §. 4. num. 103. pag. 90. & dico cum eodem: *Valdè benè, & ò vtinam: quid*

enim

enim aliud sitit, vult, petit, desiderat, & in quo alio ità gaudet, & lętatur optimus Dominus, (dixit ipse) *optima Domina* (dicam ego) *quam ne quis à muneribus suis excidat?* Constanter igitur affirmo cum Irenæo loc. cit. §. 4. pag. 78. omnes, & singulos, qui *ritè* gestauerint habitum, saluari: sed quia non omnes illud *ritè* gestant, ideò non omnes saluantur; Præterquamquod cum hæc propositio sit de numero contingentium, & liberum hominis inuoluat arbitrium, vt acutè obseruauit Léo à S. Ioanne loc. cit. non est necessè, vt in omnibus suum sortiatur effectum: sed sufficit, quod in plerisque obtineat veritatem: & in omnibus, quantũ est saltem ex parte Virginis, si per ipsos non steterit. Porró in hoc eodem sensu sunt exponendæ istæ propositiones. *Si quis manducauerit*, idest, si quis *ritè* manducauerit *ex hoc pane viuet in æternũ*: *Qui crediderit*, idest, qui *ritè* crediderit, *& baptizatus fuerit, saluus erit*: *Omnis qui credit*, idest, qui *ritè* credit, *in illum non confundetur*. Qua expositione posita, sicuti ex eo quod omnes ij, qui *ritè* manducarent, & crederent, saluarentur, nullum oritur repugnantiæ argumentum; ità nec vllum oritur absurdum, aut inconueniens ex eo, quod omnes salui fiant, qui *rite* moriuntur in *Scapulari*.

Omnes & singuli Confratres si ritè gestarent Scapulare, & piè morerentur, euaderent inferos, & saluarentur.

Sed non omnes, & singuli saluãtur, quia nec ritè gestant, nec piè moriuntur in Scapulari.

398 Respondeo secundó, negando sequelam maioris. Ad cuius probationem distinguo antecedens: Virginis propositio est absoluta: expressè

presſè, concedo: tacitè, nego. Quamuis enim B. Virgo expreſsè in propoſitione particulam illam, *rite* non appoſuerit: eſt tamen ſubintelligenda ex natura contractus initi cum B. Simone; Cōtractus autem eſt ſignum externum practicum inter duos, vel plures ex conſenſu ipſorum vltrò citròque obligationem pariens. Vndè [vt optimè obſeruat Irenæus loco cit. pag 72. & 73.] vi talis contractus, *Scapulare* non debet ſolum aſſumi, & geſtari phyſicè, ſeu mortuo modo ſecundū quod eſt pannus, aut veſtis dumtaxàt: ſed etiam moraliter, quatenus eſt ſignum fœderis cum B. Virgine initi; vndè cum ſignum eiuſmodi includat relationem aliquam ad Virginem, quæ in mentē Confratris reuocat fidem ab ipſo Virgini datam, de aliquo obſequio vi fœderis, ei præſtando: hinc fit, vt quando ex vna parte Confrater ſatisfacit fœderi cum Virgine inito, aliqua bona opera in eius honorem, & obſequium exercendo; teneatur ex alia, ipſa Virgo ſua ex parte eidem fœderi ſatisfacere obtinendo Confratri *Scapularis* copioſiora, & vberiora auxilia quam cæteris fidelibus, habitum non geſtantibus: quibus efficaciter excitatus, aut veram contritionem eliciat, aut ſacramentis ſe muniat in morte, & ſic præſeruatus ab inferis, ſaluetur. Propoſitio igitur Virginis expreſsè eſt abſoluta: ſed tacitè conditionata: in quo ſenſu iam indè à temporibus eiuſdem Simonis ad hæc vſque tempora fuit recepta, expoſita, & in-

Quid ſit contractus.

Li labeo de verſ. ſignif. Layſ. l. 3 tr. 4. c. 3.

Promiſſio Virginis expreſsè eſt abſoluta ſed tacitè conditionata.

intellecta, & per continuam traditionem declarata: imò ipse Sanctissimus Simon sic ea declarasse videtur, quando post enarratam fratribus Marianam reuelationem ait: *Fratres conseruando verbum istud in cordibus vestris satagite, electionem vestram certam facere per bona opera, & nunquam deficere: vigilate in gratiarum actione pro tanta misericordia, orantes sine intermissione, vt sermo mihi factus clarificetur.* Vndè distinguo iterum primum consequens: se extendit ad omnes, & singulos Confratres, etiam ad eos, qui nec *ritè* habitum gestant, nec *in eo piè moriuntur*: nego consequentiam: se extendit ad omnes, & singulos confratres, qui *ritè* illum gestant, & *piè* in eodem moriuntur, concedo primam consequentiam: sed nego secundam.

Verba S Simonis apud Su n. n.l.c.i.

Obijcies tertiò. Si pro obtinendo effectu gestantibus *Scapulare* promisso, scilicet liberatione, seu præseruatione ab inferis, necesse est, vt Confrater in eo *rite* moriatur, idest sit benè affectus ergà Virginem, seseque in bonis operibus in eius honorem exerceat: ergo superfluum est *Scapulare* & nullius prorsùs momenti, cum idem affectus, quo Confrater prosequitur Virginem: bonaque opera, quæ in eius, & Dei obsequium operatur, sufficiãt, vt Confrater euadat incendium æternũ, & saluetur.

399 Respondeo negando consequentiam: Sicut enim non est superfluum, & inutile sacra-

mentum

mentum Eucharistiæ susceptum in re: nec superfluum, & inutile sacramentum extremæ vnctionis: quamuis eis omissis (dummodo citrà contẽptum, & negligentiam omittantur) fideles saluari possint per affectum erga Deum, & Virginem, & per bona opera facta. Ità nec superfluum, aut inutile dici debet *Scapulare* licet sine illo possit quis cum affectu erga Virginem, & bonis operibus in eius honorem factis lucrari cælum, & inferos euadere. Imò esse valdè vtile per omnem modum docet eruditissimus Raynardus, Iesuita in partheno Carmelitico Scapulari p. 2. 9. 1. dicens *Scapularis gestatio est tessera, & pignus vberis gratiæ auxiliatricis à Deipara suis sodalibus exoratæ, cuius interuentu seruabunt mandata, & vitam sancto fine concludent.* Et ratio assignari potest: quia ad seruanda diuina mandata, ad opera bona operanda requiruntur auxilia illa specialia, quibus homo excitatus, declinet à malo, & faciat bonum: hæc autem auxilia, vi fœderis initi, tenetur B. Virgo impetrare Confratribus intuitu sacri *Scapularis* obligatione fidelitatis, & veracitatis: quæ impetrare cæteris fidelibus, qui *Scapulare* non gestant, non tenetur, aut obstringitur: posset tamen, si vellet, ea illis impetrare, & aliquando impetrat, ex sua gratiosa liberalitate, non ex obstricta veracitate, & fidelitate. Gestatio igitur *Scapularis* est planè proficua; non solum ob beneficium mox dictum: sed etiam quia (vt obseruarunt Irenæus

Vtile esse sodalib. Scapulare constat auctoritate & ratione.

l. cit.

l. cit. pag. 81. & ex eo Paulus ab omnibus Sanctis pag. 89.) præter meritum bonorum operum Cōfratribus commune cum cæteris fidelibus, vi ipsius boni operis, ab eisdem, vtpotè Deo, & Virgini magis vnitis, facti, Virginem obstringunt, vt eis qui iā sua ex parte satisfecerunt inito fœderi, impetret (ne videatur mendax, & infidelis ex parte sua) auxilia specialia in morte, quibus Deo reconciliati ab æterno præseruentur incendio.

Sodales Scapularis sua ex parte faciētes ea, ad quæ tenentur, deiparā veluti obstringunt vt inito fœderi satisfaciat.

Obijcies quartò. Si vera esset illa propositio: *In quo quis moriens*, &c. sequeretur, quod etiam homo, qui totam ætatem in sceleribus, & flagitijs vitam consumpserit, saluandus foret, si in vltima vitæ periodo, sumeret habitum, & in eo moreretur; quod quidem perdurum est, credituque difficile; nam ille talis in vita habitum non gestasset, nec in postremo illo momento opera ab ordine, vel Confraternitate præscripta obseruare potuisset, vt ritè mori in *Scapulari* diceretur.

400 Respondeo, concedendo sequelam: dummodò homo ille firmè proponat, quando vita superstes fuerit, se habitum gestaturum, omniaque facturum, quæ secundum debitum ritum requiruntur: tunc enim propositum illud sufficit, vt ineat fœdus cum Virgine; & hoc inito, Virgo, (vt sua ex parte satisfaciat ei) procurat, & impetrat specialia auxilia, quibus à vijs pessimis, per quas ambulauerat, pedem retrahat: & per contritionem, seu confessionem reconciliatus Deo

salutem consequatur. Neque hoc videri duriusculum, seu exosum debet: enim verò, si Mater, & decor Carmeli, cum sit domina mundi, singulare hoc priuilegium morientibus in *Scapulare* cōcedere voluit, quis ei contradicere potest? An non licet ei, quod vult, facere? An oculus noster nequam est, quia ipsa bona est? Nemo sit, qui turbetur, nemo irascatur, nemo dentibus frendat: quia nemo Reginam Cæli prohibere potest, quominus *Scapularis* Confratribus, quos in filios adoptat, quomodo vult, & quando vult, assequutionem æternæ salutis, & ab inferis euasionē procuret. Nonnè verum est id, quod olim dixere Sancti omnes Virgini Matri, teste sancta Birgitta: *O Domina benedicta, tu portasti Dominum in te, & tu Domina omnium es. Quid est, quod non poteris? Quod enim tu vis, factum est.* Nonnè verum, quod de ipsa pronunciauit Bernardus? *Etiā in hoc conuenienter vocatur Mater misericordię, quod diuinę pietatis Abyssum, cui vult, & quando vult, & quomodo vult, creditur aperire: vt quiuis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinij sui suffragia pręstat.* Nonnè verum, & mirabile, quod de eadem protulit Cardinalis Godfridus, dicens? *Beata Maria, Mater, Virgo, & Sponsa intacta, pijssima apud pijssimum filium obtinebit, vt nemo illorum pereat, pro quibus vel semel orauerit. Nec mirum: quia vniuersum suis precibus mundum saluare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro*

S. Birg. lib. 4 rev. cap. 74.

Ber. ser. 4 in Salue Regina.

Godfrid serm. 8.

Totus mundus saluaretur, si Deiparę precibus se faceret dignū

vni-

vniuerso mundo paratissima esset ad precandum; totusque mundus saluaretur, si eius precibus se faceret dignum. Hęc veracissime apud Omnipotentem Filium vt diximus, orando potest quidquid desiderat: sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat, pro quibus Sanctorum nullus orare præsumit. Tandem ad obiectionem plenè soluendam, applicandæ sunt maternæ Virginis beneuolentiæ, quæ vsurpauit Ambrosius ad magnificandam paternam Dei beneficentiam, etiam in ijs saluandis, qui nullis bonis operibus præcedentibus, imò vel Paganismum, vel Iudaismum per totam ætatem professi, tandem in puncto mortis baptismatis renouati lauacro saluati sunt. Hæc sunt aurea diuini Antistitis verba: *Quod si & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitijs, & sceleribus ætatem, sacramento Baptismatis in ipso vitæ fine renouantur, & sine vllo suffragio bonorum operum in regni cælestis consortium transferantur, quo intellectu diuinum iudicium comprehendis? nisi* (sedulè hęc verba notanda sunt) *vt indubitanter agnoscas, gratuita esse Dei munera.* Quod igitur homo aliàs scelestissimus, per *Scapularis* susceptionem in fine vitæ saluetur, tribuendum est gratuito Deiparæ muneri: & hoc quidem ei solum displicere debet, qui aliorum saluti inuidet, ægrèque fert ardens B. Mariæ de Carmelo pro hominum salute desiderium, & zelum. Hic tamen aduertendum est, quod iste talis non saluaretur per solam *Scapula-*

Deipara non tenetur fidelibus impetrare specialia gratię auxilia, quãuis innumeris impetret ex sua gratiosa liberalitate.

S. Amb. lib. 1. de voc. gẽt. cap. 5.

ris susceptionem: sed quia indutus hac veste Mariana, excitaretur gratiarum auxilijs à Virgine impetratis ad contritionem, & pœnitentiam: & sic contritus, & pœnitens iustificaretur, & saluaretur. In quo sensu etiam exponitur illud Danielis quartò: *Peccata tua eleemosinis redime*. Non quod sola eleemosinę largitio peccata remittat: sed quod illius respectu, Deus largientem excitat ad contritionem, & pœnitentiam, quæ eius peccata deleat.

Dan. 4.

Obijcies quintò. Illa propositio: *In qua quis moriens, &c.* vel est vniuersaliter vera, vel in aliquibus deficit. Si secundum? ergò nemo qui moritur in *Scapulari* est moraliter certus de sua salute: quia nescit, an promissio in se deficiat, vel non. Si primum? ergo etiam reprobi ex parte Virginis promittentis saluarentur, cum eorum salus in efficacia speciali orationis eiusdem Virginis fundata sit.

Promissio Deiparę cōpletur solum cū illis, qui ritè gestant, & moriuntur in Scapulari.

401 Respondeo primò. Non esse vniuersaliter veram pro omnibus: sed tantùm pro illis, qui *ritè Scapulare* gestant, in eoque *piè* moriuntur: Et hi moraliter certi sunt de propria salute.

Est vniuersaliter vera tam de prædestinatis, quā reprobis, sed diuersimodè.

Respondeo secundò, posse dici, esse vniuersaliter veram, tam de reprobis, quam prædestinatis, sed diuersimodè: ex qua diuersitate sequeretur, reprobos non esse saluandos. Oratio enim Virginis pro reprobis procedit ex simplici eius

affe-

affectu, quo desiderat, quantum est ex parte sua, vt saluentur, si per ipsos non steterit: iuxtà quem sensum loquutus est Apostolus, cum dixit: *Deus vult omnes homines saluos fieri*: quod fuit dicere, Deum, quantum est ex parte sua habere affectum ad omnium hominum salutem sine vlla exceptione: qui affectus à S. Thoma, iuxtà Damascenum appellatur voluntas antecedens. At verò pro prædestinatis oratio Virginis procedit ex eius affectu absoluto, & efficaci, quo simpliciter petit, vt reipsa pæniteant de peccatis, pænitentes iustificentur, & iustificati saluentur.

1. ad Timot. 2.

Deipara orat pro sodalib. reprobis ex affectu simplici, & voluntate antecedenti. S. Th. 1. p. 9. 19 a. 6. ad 1.

Pro sodalibus prædestinatis orat affectu absoluto, & efficaci.

Instabis. Ergo dicta propositio: *In quo quis moriens, &c.* constat diuersis, iisque ambiguis sensibus: atque adeò vt ambigua nullam inducere potest moralem certitudinem de salute.

402 Respondeo dato antecedente negando consequentiam. Nam etiam in illa Christi enunciatione Matth. 20. *Multi sunt vocati: pauci verò electi*: Vocatio, quæ continetur in primo hemistichio videtur esse ambigua, vtpotè quæ diuersos habet sensus, cum se extendat tam ad reprobos, quam ad prædestinatos; & quatenus per eam vocatur prędestinati, est prędestinationis effectus; quatenus verò per eam vocantur reprobi, est effectus prouidentiæ communis; Nihilominus hac ambiguitate non obstante, enunciatio illa vera est, & habet certitudinem fidei. Item effatum illud Apostoli ad Titum 3. *Vt iustificati gratia ipsius* here-

Mat. 20

Ambiguitas promissionis Marianę non tollit eius veritatem, atq; adeò nec moralem certitudinem salutis.

Ad Tit. 3.

hæredes simus secundum spem vitę æternæ: est etiam verum, & certum de fide; nihilosecius tamen videtur ambiguum. Nam verba illa, vel intelliguntur de electis tantum, & sic dissonant fidei, quæ docet, Christum tam electis, quam reprobis meruisse primam gratiam à peccatis sanantem, qua etiam reprobi possent (si per ipsos non steterit) iustificari, fierique hæredes æternæ vitæ. Si verò intelligantur de electis, & reprobis simul, videntur falsa: Nam fides docet, hæreditatem æternæ vitæ non esse reprobis, & electis communem, sed propriam electorum iuxtà illud Pauli ad Rom.8. *Si filij, & hęredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Illa igitur verba secundum diuersos sensus sunt vera, & certa de fide: nam quatenus se extendunt ad reprobos, verificantur quoad sufficientiam: quatenus restringuuntur ad electos tantùm, verificantur quoad efficaciam: soli enim electi, & prędestinati hæreditatē æternę vitæ reipsa consequuntur: quamuis etiam reprobi quoad sufficientiam ex parte meritorum Christi iustificari possint, & fieri hæredes æternæ vitæ. Simili modo dicimus nos, propositionem, seu promissionem illam Deiparæ: *In quo quis moriens &c.* videri ambiguam, & habere diuersos sensus: hoc tamen non tollit, quin sit vera, & certa moraliter. Certum enim est Beatissimam Virginem velle salutem, & orare tam pro reprobis, quā pro prædestinatis *ritè* gestantibus, & *piè* morientibus

Rom. 8.

Deiparà pro sodalibus reprobis orat ex simplici affectu: Pro prædestinatis affectu efficaci, & absoluto

tibus

tibus in *Scapulari*: sed diuersimodè: nam pro reprobis orat ex simplici affectu, ob desiderium, quod habet, vt omnes saluentur iuxtà beneplacitum diuinæ voluntatis antecedentis: pro prædestinatis verò orat ex affectu efficaci, & absoluto, vt reipsa æternum euadant incendium, & æternam hæreditatem assequantur: cum præcognoscat, id esse diuinæ voluntati conforme, vi fœderis olim cum S. Simone initi, vtpotè fundati in promissionibus ab ipso Deo, & Iesu Christo sibi tàm generatim, quàm peculiariter factis.

Obijcies 7. Promissio B. Virginis S. Simoni facta, fundatur in eius meritis de congruo, quorum intuitu confert Deus Confratribus auxilia, quibus possint euadere inferos, & cœlum lucrari: sed merita Virginis de congruo non habent annexã infallibilitatem effectus, cum Deus eorum intuitu conferat auxilia non ex iustitia, sed ex congruentia: vndè fieri potest, vt illa non conferat: Ergo certitudo, quam habent Confratres in *Scapulari* morientes, non excludit actualem formidinem, etiam ex parte Virginis promittentis.

403 Respondeo primò, quod etiam dato, quod Virginis promissio prout in eius meritis de congruo fundata, non habeat annexam infallibilitatem effectus: habet tamen illam ex parte eius intercessionis, & orationis; quæ cum innitatur binæ promissioni Dei, & Christi, quas attulimus suprà num. 392. & 393. habet efficaciam infallibilem,

Infallibilitas promissionis Marianæ fundatur in efficacia suę intercessionis.

bilem, qua confratres, seclusa actuali formidine ex parte Virginis, de assecutione salutis certiorantur.

404 Respondeo secundò admissa maiori, negando minorem. Nam tanta est lex amoris, & amicitiæ inter Deum; & Virginem, vt maior inueniri non possit iuxtà illud Anselmi: *Ostendit ergo ipse* (Christus) *prius amorem, quem habebat ergà Matrem Virginem: &c. amorem, quo nullum putemus esse maiorem.* Et illud Bonauenturæ: *Quid mirum, si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus est dilecta?* Potest igitur promereri pro alijs plusquã Angeli, & Sancti omnes, vt probatum est suprà, num. 393. vndè fit, vt eius meritum de congruo, talem attingat certitudinem, & infallibilitatem, vt quamuis moralis sit, sufficiat tamen ad excludendam omnem actualem formidinem, quantum est ex parte Virginis: quod patet ex similibus Scripturæ locis, vt ex illo Ioan. 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres:* Et ex illo ad Rom. 8. *Certus sum quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Quæ propositiones, & aliæ similes veræ sunt, & certæ de fide; & tamen licet in sola morali certitudine fundetur, excludunt omnem actualem formidinem ex parte Dei. Possunt igitur Confratres *rite* gestantes habitum, seu *Scapulare*, & in eo *pie* morientes esse moraliter, sed infallibiliter certi de sua salute: nam B. Virgo vi

Ans. de excell. Virg. c. 4.

Bona. in sp. lect. 6.

Quomodo promissio Virginis sit infallibilis, prout fũdata in solo merito de congruo.

Ioan. 3.

Ad Româ. c. 8.

proprij

proprij meriti de congruo [seclusa omni alia ratione] potuit efficaciter promittere, & infallibiliter promereri Confratrum salutem. Id quod expressè docuit S. Anselmus apud Paulum de omnibus Sanctis pag. 98. dicens: *Scimus B. Virginem tanti esse meriti, & gratiæ apud Deum, vt nihil eorum, quę velit efficere, possint aliquatenus effectu carere.*

S. Ans. apud Paulum à Sāctis

Obijcies vltimò. Frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æquè benè. Sed inuocanti dumtaxat nomen Mariæ, in eaque sperāti cum proposito emendandi commissa, Christus vi promissionis, quam attulimus suprà num. 592. confert fidelibus [gestent, siue non gestent *Scapulare*) contritionem de peccatis, fortitudinem ad benè operandum, & tandem regnum cæleste: ergo frustratorium est *Scapulare* Carmeliticum, sine quo (& æquè benè) possunt fideles lucrari cælum, & inferos euadere.

405 Respondeo concessa maiori, negando minorem, scilicet conferre Christum insinuata beneficia fidelibus, non gestantibus *Scapulare*, æquè benè, ac ijs, qui *ritè Scapulare* gestant, *in eoque moriuntur*. Ratio autem discriminis sita est in hoc: quia Christus pollicitus est Matri suæ cōferre contritionem, &c. fidelibus inuocantibus ipsam, & in ipsá sperantibus, dummodo ipsam inuocando, habeant propositum emendandi cōmissa: igitur qui ipsam inuocant sine tali propo-

Discrimen certitudinis morientium in Scapulari, & aliorum fidelium.

ſito, non obſtringitur Chriſtus, ex promiſſione Virgini Matri facta, eis conferre contritionem promiſſam, &c. Itaque Contritio, & alia beneficia promiſſa, ſupponunt tale propoſitum commiſſa emendandi; atque adeò præſupponunt primam gratiam excitantem, ſine qua tale propoſitum fieri non poteſt. Porrò illam primam gratiam excitantem non tenetur Chriſtus conferre, vi promiſſionis factæ, cum illa ad talem promiſſionem præſupponatur: imò poteſt illam Chriſtus negare cui vult, quando vult, & quomodo vult abſque nota iniuſtitiæ, ſeu infidelitatis, & mendacij; præterquamquod illam poteſt iuſtiſſimè negare in penam peccati actualis, etiam remiſſi, vt probauimus in Proloquio, & Proteſtatione. Demus modò, quod aliquis inuocet nomen Virginis, & in ipſa ſpem ſuam omnem collocet, ſed ſine propoſito commiſſa emendandi; profectò huic non ſuffragaretur promiſſio Virgini à Chriſto facta, quia vi promiſſionis Chriſtus non teneretur gratiam ei conferre, qua excitatus illud propoſitum eliciat. At verò, ſi demus, quod aliquis ritè geſtans Habitum, ſeu Scapulare, & in eo piè moriens inuocauerit Mariam, & in ea ſperauerit, ſed ſine propoſito emendandi commiſſa reipſa Virgo, vi federis initi, & promiſſionis Sancto Simoni factæ, illi impetraret à Filio gratiam ſpecialem, qua excitatus proponeret commiſſa emendare: & tunc Chriſtus ipſe, vi talis propoſiti

Promiſſio Chriſti facta Deiparę eſt cõditionata.

Conditio ſemper ex parte Virginis purificatur in ſodalibus ſcapularis: nõ ſic in cæteris fidelibus.

ſiti

fiti, morienti in ſcapulari, & Mariam Matrem ſuam inuocanti, in ipſaque omnem ſpem collocanti, conferret ex fidelitate cõtritionem de peccatis, ſatisfactionem, & fortitudinem ad facienda bona, & tandem Regnum Cœleſte.

406 Secunda Concluſio. Probabile eſt, Confratres Roſarij, & Scapularis præ cœteris fidelibus eſſe moraliter certos de aſſecutione ſalutis.

Rationes concluſionis veluti à priori.

Probatur multipliciter. Primò: quia pro Confratribus Roſarij ſe veluti oppignerauit Beatiſſima Virgo, ſi minus expreſsè, ſaltem tacitè, eis impetraturam à Filio contritionem de peccatis, vt probatum eſt quæſtiuncula precedenti num. 385. Pro Confratribus verò Carmelitici Scapularis, expreſsè pepigit cum Sancto Simone, & promiſit eorum euaſionem ab inferis, vt probatum eſt per totam hanc queſtiunculam ſecundam. Sed ſimiles promiſſiones, ſiuè tacitas, ſiuè expreſſas non habent cœteri fideles: ergò, &c. Secundò. Quia qui plura habent ſuæ prædeſtinationis ſigna, plùs ſunt certi de ſua ſalute: Sed Confratres Roſarij, & Scapularis præter ſigna prædeſtinationis cunctis fidelibus communia, habent aliud peculiare, nempè recitationem Angelicæ Salutationis, quam eſſe permagnum prædeſtinationis ſignum patet ex dictis quæſtiunc. 1. num. 379. necnon geſtationem Scapularis, quam etiam eſſe potiſſimum prædeſtina-

Confratres Roſarij, & Scapularis præ cœteris fidelibus ſunt moraliter certi de ſua ſalute.

ſtinationis notam infertur expreſsè ex illis verbis à Virgine prolatis: *In quo quis moriens, &c. Ecce ſignum ſalutis, fedus pacis, & pacti ſempiterni.* Vndè Raynauous Ieſuita lib. cit. part. 2. quæſt. 7. dicit, *SCAPVLARE Carmeleum eſſe ex Deiparæ inſtituto* ſignum ſalutis, & nota prædeſtinationis: *Quatenus geſtatio Scapularis euiſmodi teſſera eſt ſingularis protectionis Beatæ Virginis, affuturæ ſodalibus, & conciliaturæ media gratiæ ſingularia, quibus & ſecurius ſeruentur mandata, & tutius ad optatum finem Beatitudinis pertingatur.* Et paulò inferiùs ſubdit: *Eſt enim SCAPVLARIS geſtatio teſſera, & pignus vberis gratiæ auxiliatricis, à Deipara ſodalibus ſuis exoratæ; cuius interuentu ſeruabunt mandata; & vitam ſancto fine concludent.* Tertiò quia qui habet auxilia gratiæ copioſiora, & abundantiora, & non ſolum de ijs, quæ nobis redemptionis iure debentur: ſed etiam de ijs, quæ indebita, & ſpecialia dicuntur, quibuſcum reipſa de peccatis conterimur, eaque cum debito dolore confitemur, dici poteſt de ſua ſalute præ cœteris fidelibus moraliter certus, & ſecurus: Sed probabile eſt Confratres Roſarij, & Scapularis, vi oppignerationis, & promiſſionis Marianæ abundare præ cœteris fidelibus, ne dum auxilijs gratiæ neceſſarijs, & debitis; Sed etiam ſpecialibus, & indebitis: ergo Confratres Roſarij, & Scapularis præ cœteris fidelibus ſunt de ſua ſalute moraliter certi, & ſecuri. Minor probatur, quia non eſt ſatis

Quia ob ob ſingularem Deiparæ protectionem, tutius ſeruant mãdata, & ſecurius sãcto fine moriuntur.

(vt

(vt vult Paulus Zehentuer Iesuita loco citato, numer. 338.) vt Beatissima Virgo intuitu Rosarij, & Scapularis conferat Confratribus plus gratiæ sufficientis, & tantam eius copiam, vt qui eam volet amplecti facilè salutẽ assequatur: hoc enim est, interpretari strictè Priuilegium à Deipara concessum, & promissum, quod esset contrà Iuris regulam, quæ fauores ampliat, & Principis beneficium latè vsurpat. Igitur dato, quod Priuilegium de Scapulari strictè interpretur: ea tamen lege coerceri debet restrictio (& est acuta Irænei obseruatio lib. cit. pag.78.) vt aliquem Scapulari tribuat effectum in ordine ad salutem, qui cœteris Virgini deuotis, quibus similis promissio facta non est, nequaquam conueniat: Sed cœteris Virgini deuotis, eorumque plurimis, impetratur à Virgine gratia sufficiens, & in magna copia: Ergo Confratribus Rosarij, & Scapularis maiùs aliquod gratiæ auxilium impetrandum est, scilicet gratia aliqua specialis indebita, idest, *singularis, & vber* (vt loquitur mox laudatus Raynaudus) qua excitati Confratres reipsa conterantur, & pœniteant; reipsa mandata seruent, & sic vitam sancto fine concludant. Neque hoc asserere de gratia *speciali, & efficaci* (respectu tamen Confratrum, qhi frequenter, & deuotè Rosarium recitant; vel Scapulare ritè restant, in eoque piè moriuntur) est somniare, vt vult citatus Zehentuer: sed est, vigilanti verbo enucleare, & exprimere

Priuilegium à Deipara sodalib. Scapularis, & Rosarij promissum, est latè vsurpandum iuxtà Iuris regulã, quæ fauores ampliat

Ideò Beatiss. Virgo eisdẽ impetrat non solũ gratiam sufficiẽtem, qua possint conteri, & pœnitere: sed etiã specialem, & indebitam, qua reipsa cõterãtur, & pœniteant,

nere id, quod magis consonum est tum oppignerationi Virginis ad impetrandum Confratribus Rosarij contritionem; tum inito eiusdem Foederi cum Sancto Simone ad obtinendam morientibus in Scapulari præseruationem ab inferis: quorum neutrum obtingere potest absque efficaci gratia præcedenti.

Rationes conclusionis à posteriori, id est ab experimētis, & miraculis.

407 Hactenus probauimus, veluti à priori certitudinem moralem, quam præ cœteris fidelibus habent de salute Confratres Rosarij, & Scapularis: rationes enim quas adduximus causam continent, cur recitatio Rosarij, & Scapularis gestatio dicantur prædestinationis tesseræ, notæ, & signa. Nunc iuuat, eamdem certitudinem firmare alia ratione, eaque optima, vtpotè ducta ab experimentis, quæ interdum fuerunt eiusmodi, vt quasi palpandos exhibeant singulares illos effectus (contritionem, scilicet, in morte, & præseruationem ab inferis) à Deo ob amorem Virginis in recitantibus Rosarium, & Scapulare gestātibus operatos. Innumera possem adducere experimenta, tum de Rosario, tum de Scapulari, quæ tamen breuitatis ergò prætereo: & aliquot tantummodo selectiora, quæ diuinæ gratiæ prodigia dici possent, narrabo iisdem prorsus verbis, quibus à probatis Auctoribus referuntur.

Miracula Rosarij.

Fuit in Regione Aragonum puella nobilis genere, ac forma egregia, cui nomen Alexandra, quæ mota prædicationibus B. Dominici de Psal-

terio

terio Virginis, Collegio voluit adſcribi, quam Roſarij Fraternitatem vocant: quæ tametſi certo tempore Roſarij cultrix extiterit: attamen ob æqualium puellarum Cõſortium, & corporis cultum, cui plus æquo indulgebat, ſæpè illud intermiſerat. Hanc nobiles duo iuuenes deperibant, ex qua re, vt ſæpè contigit, magnæ inter eos exortæ ſunt inimicitiæ, quæ demum in perniciem eorum ſunt verſæ. Tantum enim odia inter eos creuere, vt ad ſingulare certamen deuenerint, in quo citatis equis, & infeſtis haſtis concurrentes, mutuò vulnere transfixi ceciderunt. Quidam ex illorum propinquis indigniſſimè referentes, Alexandram occultè inuadentes, lætaliter vulnerarunt: cui petenti Sacerdotem, vt ſua delicta priuſquam expiraret, confiteretur, ex illis vnus caput amputauit (veritus, nè ſuos illa percuſſores panderet) ac in propinquum puteum abiecit. Quinque iam menſes à cæde præterierant, cum Beatus Dominicus huius rei diuinitus fuit admonitus: qui iuſſu Beatæ Virginis ad puteum veniens Alexandram ad ſe vocauit. Mira res ſequuta eſt: puellæ caput multis præſentibus, qui ad tantum ſpectaculum conuenerant, ab imo puteo ſurſum aſcendit, vitæ reſtitutum, vulnus habens adeò recens, ac ſi eadem hora reciſum fuiſſet: & oculis in Beatum Dominicum intentis ait: Cupio Pater mea delicta confiteri. Facta non ſolum eiuſce rei, ſed ſacræ Euchariſtiæ compos, mirandum in modum exhi-

Ex Annalibus Ord. nis Prædicatorum.

Puellæ caput amputatum, & in puteũ abiectũ post quinque mẽſes à B. Dominico vitæ reſtituitur, cui ipſa confitetur peccata ſua.

exhilarata est, & Beato Dominico gratias egit, quod eius monitis, & hortatu Rosarij B. Virginis Collegio adscripta fuisset.

Mira quædam à Beato Dominico interrogata: respondit, quæ post suam cædem viderat, quorum è numero, primum illud fuit, quod Rosarij Collegium plurimum sibi profuisset, cuius meritis additum esset, quod sibi defuerat, tantus scilicet delictorum suorum dolor, quantus sufficeret ad pœnitentiam. Secundum, quod ex secto sibi capite, Dæmonum à se impetus, atque terrores castissima Dei Mater fugasset. Tertium, quod ob eadem Rosariorum merita, Purgatoria supplicia, quæ merita esset, multò breuiora essent futura: nam propter iuuenes, qui sua causa ceciderant, ducentorum annorum: propter delitias autem, & nimium corporis cultum, qui multos in perniciem traxerat, quingentorum se annorum pœnis cruciandam fuisse affirmauit: sed ob eam, quam dixi causam, sperare se, multùm illas breuiores fore. Biduum caput illud superuixit, cum magna omnium admiratione, ac eorum lætitia, qui in ea Vrbe Rosarij cultores erant. Deindè suo iunctum corpori, decimo quinto post die, anima illius Beato Dominico adstitit lucentior, quam Stella, & dixit: Legatione se fungi eorum, qui Purgatorij igne cruciarentur: eos precari propinquos suos, & familiares, vt eorum opera Collegio Rosarium adscriberentur, pollicentes se

Fatetur ei plurimu profuisse Fraternitas Rosarij, cui fuerat adscripta: fugãdo Dæmonum impetus & terrores, breuioresq; reddendo Purgatorij pænas.

Biduum superuixit.

Post dies 15. apparuit B. Dominico lucẽs sicut stella.

ſe poſteà, vbi ad perpetuam fęlicitatem migraſ-ſent, magno illis apud Deum adiumento futu-ros. Illud inſuper addidit, ſanctos Angelos Col-legijs Roſariorum mirificè lætari, Deumque il-lorum Patrem, Matrem verò affirmare ſe fęliciſ-ſimam Dei Genitricem. Et his dictis relata eſt in Cælum fælix anima.

Tāquā lœtat a Animarū Purgatorij earū deſideriū exponit.

Aliud Miraculum Roſarij eſt, quod eo tem-pore, quo, Bellum gerente Simone Monforſio aduerſus Albigenſes, hæretici quidam noctu in vna domo conuenerant, vt ignis experimento probarent, num libellus à S. Dominico conſcri-ptus, fidem catholicam contineret, libelluſque ter in flammas proiectus, toties illæſus prodie-rat; aderat tunc preſens inter miſerandos illos vir quidam nobilis Antonius Toloſanus, ſed hæ-retica fraude multis ab annis infamis, qui quin-decim integros retrò annos, pro errore ſectæ nefandæ ſine confeſſione tranſegerat, nunquam peccata ſua Sacerdoti confeſſus, numquam ſacra exomologeſi ritu Chriſtiano peracta, expiatus. Hic viſo tanto miraculo Libelli orthodoxi ex igne tertiò reſilientis, præ ſtupore extrà ſe ra-ptus, domum ſe recepit; vbi cum ſæpius rem geſtam mente peruolueret, ſubitò (horrendum dictu) à Dæmonibus rapitur, & in infernum de-fertur. Ibi oſtenſa illi fuit pæna, qua æternùm puniuntur, qui ſacroſanctum confeſſionis Sacra-mentum contempſerunt; vidit eorum lateribus

Libellus B. Dominici in igne proiectus, prodijt illæſus.

Antonius Toloſanus hæreticus qui nunquā fuerat cōfeſſus peccata ſua, poſt viſū libelli miraculū, extēporance à Dæmonibus rapitur, & ducitur ad Infernum.

affixos immanes dracones, qui horribili sæuitia infælicium carnes descerpentes, corda illis arrodebant, & comminuebant, quod ea adeò dura, & adamantina aduersus Dei benignitatem anteà gestassent, sic obtusi, & clausi ad confitendum peccata. Dolore oppressi horribiles gemitus, & clamores edebant, tristissimoque reboatu frebant. Lacrymarum loco, ex oculis metuendi globi flammarum profundebantur: ex ore verò fætidissimarum rerum spurcitias, & sordes colluuione quadam abominada vomebant, in locumque reiectarum, serpentes, buffones, viperas, & id genus venenatarum bestiarum magnam vim resorbebant. Hæc cernēs miser ille pauore nimio tremefactus, nihil iam amplius expectabat, quam momento, in ea atrocissima supplicia à Dæmonibus præcipitari, qui illum minitantes vndique circumsederant: iam, iamque sibi videbatur in in medio tormentorum versari, tantus eum timor, & horror mali præsentis inuaserat. Inter hæc subit illi in mentem miraculum Sāncti Dominici, quod anteà viderat; viri sanctitatem, & doctrinam recordatur, & vt deuotionem Dei Genitricis, eiusque sancti Rosarij sepiùs prædicantem audisset: hinc nonnulla suborta fiducia, Virginem toto pectore in suprema illa necessitate implorat. Adest misericordiæ Mater, miserum manu apprehensum, è turba Dæmoniorum, illo inferni horrore eripit, & in

Videns pœnas, quas patiebantur, qui peccata confessi non fuerant, subyt eius animū memoria visi miraculi, & B. Virginis implorat auxilium.

Ereptus ope Virginis è manib. dæmonū

& in cubile ſuum reſtituit: ſeriò admonitum, vt eiurata hæreſi peccata ſua confiteretur; alioquin in tormenta, quæ viderat, certiſſimè detrudendum. Ille, vbi diluxit, S. Dominicum adit, ad eius pedes ſe abiecit, rem geſtam exponit, illi omnia peccata ſua ſumma cordis contritione confitetur. Sanctus Vir hominem Chriſto, & Eccleſiæ reconciliatum, hortatur, vt deinceps, ni velit tantis beneficijs ingratus exiſtere, & in æterna ſupplicia ruere, deuotionem Roſarij ardenter arripiat, Beatamque Virginem Mariam toto vitæ tempore, ſingulari affectu, vt Patronam, & liberatricem veneretur. Quod is in poſterum omnibus viribus præſtitit, adeò vt, cum ordines in exercitu catholico duceret, pro ſignis & vexillis, non alia inſignia præferret, quam Roſarij effigiem: quo ſigno egregias de hæreticis ſæpius victorias reportauit, & Roſarium, tamquam nobile trophæum erexit. Hæc duo Roſarij prodigia deſumpta ſunt ex Annalibus ſacri Ordinis Prædicatorum à Maluenda editis.

ad pedes SS. Dominici pronolutus exponit, quæ viderat & Catholicus effectus peccata ſua confitetur.

Deuotioni Mariani Roſarij addicitur.

In bello Roſarij effigiem pro vexillo præferēs pluries Hæreticos triūphauit.

Deueniam ad narrationem miraculorum ſacroſancti ſcapularis, ſeu Habitus S. Mariæ de Monte Carmelo: & aliquot ex ijs, quibus Sole clarior pateat veritas eorum, quæ ſuperiùs dicta ſunt, nempè Deiparam intuitu ſacri *Scapularis* impetrare in morte, ritè illud geſtantibus contritionem, ſeu pœnitentiam de peccatis, ne æternum patiantur incendium.

Miracula Scapularis, B.M. de Monte Carmelo.

D. Berthelotus magnus Vicari⁹ Abatiæ Senonẽsis.

Et primum ſit, quod refert R. Admodum D. Berthelotus Magnus Vicarius Abbatiæ Senonenſis in Burgundia, in ſuo compendio mirabilium ſacri Scapularis, edito Tullis in Lotharingia anno 1645. *& recuſo Bruxellis anno* 1652. *parte* 3. *num.* 9. Nobilis quidam iuuenis ex Croatia oriundus, in Cæſaris exercitu, qui tunc erat in Lotharingia (ad quem, ob ſequentem caſum confugerat,) zelotypiæ non malè fundatæ ſtimulis impulſus, coniugis ſuæ cor ſclopeto impetijt, quam cum nec dum ex equo, cui inſidebat, delapſam intueretur macherę ictum in collum adiunxit; quo ictu ex equo decidit, collumque totum abſciſſum fuit, præter pellem, caput cum corpore adhuc vnientem. Ipſa tribus diebus ac noctibus ità ſuperuixit. Ingens populi copia hoc ſpectaculum, videndi gratia, accurrit, eamque intuebatur gutture totaliter abſciſſo loquentem, ac Deum iugiter orantem, & alta voce dicentem, non ſe morituram, niſi priùs Pœnitentiæ Sacramentum accepiſſet: & reuera ſtatim ac confeſſa fuit, eadem in Sylua, in qua vulnerata iacebat, ſpiritum Creatori ſuo reddidit, poſtquam omnibus declaraſſet, gratiam iſtam ſacro *Scapulari*, quod geſtabat, fore adſcribendam.

Puella, collo penitus & gutture abſciſſo tribus diebus ſuperuiuens loquitur;

Proteſtatur ſe non morituram vi ſcapularis, quod geſtabat, niſi pri⁹ fuerit confeſſa.

Cõfeſſis peccatis ſuis, illicò efflauit animam.

Secundum ſit, quod refert, & mirè extollit cum alijs Flandrienſibus Ciprianus à S. Maria, *Vir pius, & doctus ex Patrum Diſcalceatorum Congregatione, in libro, cui titulus Theſaurus Carmelitarum cap.* 12.

Et

Et Lezana in Maria Patrona cap. 9. num. 5.

In Flandria superioribus annis in obsidione Bredana quidam miles vexilliferi partes agens, à nostris sacro Scapulari donatus fuit. Hic sicut & generosus miles erat, ità liberè periculis se se exponebat. Quadam vice, cum frequentiùs hostes globos ignitos eiacularentur, fortè fortuitò, ecce vnus directo tramite ad hunc militem aduolat. Mirabile! Vbi hic globus ante eum constitit, suarum virium oblitus, ante pedes dicti militis absumitur, & in terram procidit; cum tamen, sicut idem deposuit, eiusmodi globus tantæ adhuc vehementiæ fuisset, vt in longum protrahi, & plurimos interimere valuisset. Hic postmodum terram deosculatus, & brachia in altum extendens, *infinitas illicò grates Beatissimæ Virgini de monte Carmelo rependit. Faßus etenim fuit, se in peccato lethali tum temporis extitisse, ac vbi globi illius aduentum præuidißet, confestim in corde nomen Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo inuocasse, ne sic in peccato moreretur.* Ità hic deposuit, & nostri Patres in Flandria diligenter inquirentes, & ab alijs militibus, qui præsentes fuerant testimonia accipientes, pro comperto rem ita successisse habuere.

Cypriani à S. Maria Lezana & alij Flandrienses.

Miles vexollifer in obsidione Bredani videt ad se volantem ignitum globum.

Implorat auxilium B.M. de Monte Carmelo, cuius Scapulare gestabat, ne uermitteret eum mori, cũ in peccato mortali existentem.

Globus suæ oblitus vehementiæ tacto Scapulari ante militis pedes procidit.

Tertium sit, quod ijdem, qui supra l. cit. referunt.

Nuper eodem modo quidam miles propter nõnulla flagitia morti adiudicatus fuit, nempè vt sicut in bello moris est) non tortoris manu vitam

Sclopetorum globuli sub rubus emissi innocenter alterum Scapulare gestantem non lædunt, sed in terram defluunt.

tam finiret, sed vt Sclopetorum globulis à Commilitonibus traijceretur; aggrediuntur ex mandato Chiliarchæ deputati milites, & globos emittunt; at globi vbi ad militem morti adiudicatum pertingebant, omnes sine vlla læsione in terram defluebant; nec possibile fuit ullum reo afferre nocumentum. Mirantur adstantes, stupet Chiliarcha, quæ subsit ratio inquiritur; nec aliud quidpiam potuit adducere reus, *nisi quod sacrum Scapulare Beatissimæ Virginis de monte Carmelo gestaret*. Quo viso libertati donatur, suique facti pænitens, meliorem vitæ rationem instituit.

Chiliarcha militem in honorem B.M. de monte Carmelo libertate donat.

Quartum ab eisdem relatum est. Ante paucos annos Paduæ in Italia contigit, iuuenem quemdam liberioris vitæ licentiam ingredi, seque variis flagitijs, & criminibus inficere: hic à nostris Patribus paulò ante sacro *Scapulari fuerat donatus, & Beatissimæ Virginis Confraternitati adscriptus*. Quadam die sui pertæsus, sibique, vt ait regius Propheta, factus grauis, in desperationem adducitur (quippe vermis ille malæ conscientiæ, mirum in modum peccatores, corrodit, & lacerat) ingreditur cubiculum, vestibus se exuit, & pugionem præ manibus arripit: remanserat tantummodò sacrum *Scapulare* supra indusium; & ecce perditus iuuenis ictu validissimo pectus proprium percutit, vbi adhærebat sacrum *Scapulare*. Mirum dictu, nihil efficitur,

Iuuenis Patauinus in desperationem adductus, ter valido pugionis ictu suum percutit pectus.

citur, ſed pugio ad ſacri *Scapularis* præſentiam hæbetatur; apprehendit ſecundò deſperatus iuuenis pugionem, repercutit, nec quicquam efficit; tertiò aggreditur, ſed pugio naturalis nocumenti oblitus, non ingreditur. His ità peractis extemplò, operante auxilio, & patrocinio Virginis Mariæ compungitur, & culpam Confeſſario confeſſus, meliorem vitam agreſſus eſt, non alteri, niſi ſacro *Scapulari* illud miraculum attribuens.

Pugio ad Scapularis præſētiā hebetatur.

Iuuenis cōpunctus Cōfeſſariū adijt & accepta abſolutione ad frugē redijt.

Quintum ſit quod refert Magiſter Simeon Sixtus Ordinis Heremitarum S. Auguſtini in lib. de cuius Beatiſsimæ Virginis, & Philocalus Caputus in ſuo Monte Carmelo, & Seraphinus Georgius in informatione pro Confratribus Carmelitarum capite 14. & ex eis Lezana loco citato num. 7. Anno 1612. Agnellus Tramontanus Neapolitanus in Oppido Marani lęthaliter ſclopeti globulo percuſſus, in terram cadens, pro mortuo habitus eſt, vt talis ad domum delatus, & conſanguineorum lacrymis deploratus. Sed ecce poſt duas horas, reuiuiſcens Confeſſorem petijt, & cum peccatis ſimul confeſſus eſt, quod ipſe, quando mortuus eſt, ſe in peccato mortali extitiſſe, in cuius pænam ad inferos damnatum fuiſſe: ſed à Chriſto, Virgine Matre intercedēte intuitu ſacri *Scapularis*, quod deuotè ſemper geſtauerat, & in quo mortuus fuerat, vita donatum fuiſſe ea quarta feria, ab ipſo omni cum deuo-

Simon Sixtus, & Philocalus Caputus cum Lezana.

Agnellus Tramontanus mortuus in peccato mortali cū Scapulari, poſt duas horas vita reſtituitur, & cōfeſſione peracta iterū moritur

deuotione obseruata, vt sua peccata confitendo, Inferni pœnas sibi debitas effugeret. Sic confessione completa, rebusque domesticis compositis, iterum in pace obdormiens requieuit.

Sextum est, quod refert Daniel à Virgine Maria in sua vinea Carmeli; pag. 327. num. 617. quod quia valdè mirabile est, suismet verbis nobis affertur. Haud minus est mirandus casus; qui anno sequenti, scilicet 1656 in Hispania accidit in diœcesi Segrobiensi, etiam mediante *Scapulari*, & ad inuocationem *Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo*: qui per Illustrissimũ D. Franciscum Galualdan Episcopum Segrobiensem, ordinaria sua, & Apostolicæ Sedis; illi delegata auctoritute, adhibitis iuratis relationibus testium, Doctorum, Medicorum, & Chirurgorum: item censuris, & approbationibus Theologorum, atque Canonistarum solemnissimè, iuxtà præscriptum Concilij Tridentini examinatus, & inuocato nomine Iesu Christi, suæque Matris benedictæ, pro euidentissimo miraculo fuit declaratus, & publicari iussus: vocaturque *miraculum prodigiosum*; eo quod illius variæ fuerint circumstantiæ naturæ vires excedentes. Typis id editum fuit varijs locis; Primùm Hispanico Idiomate: deindè traductum in Gallicum, ac Belgicum, cum circumstantijs omnibus particulariter adnotatis. En compendiariam relationem, Iacobus Calpè vir honorabilis

Miraculũ verè prodigiosum, & insigne in Hispania solemniter approbatũ ab Episcopo Segrobiẽsi.

rabilis, cultui Sanctissimæ Virginis Deiparæ multum addictus, eiusque sacro *Scapulari* amictus dicto anno, & die 21. Nouembris in Silua constitutus, exorta horribili tempestate, percussus, & à capite ad pedes grauissimè læsus, ac dilaceratus fuit fulmine, tanto impetu descendente, vt profundè excauaret terram circà ipsum; eodemque tempore, per spatium circiter medij quadrantis circumdatus nube spissa materiæ sulphureæ accensæ, toto corpore fuit vstulatus, excepta parte pectoris circa cor, quam tegebat *Marianum Scapulare* incombustum permanens, & subiectam carnem, ac cor penitus intacta conseruans: cæteris eius vestibus tàm infrà, quàm suprà *Scapulare* igne consumptis. Intereà inclamans opem Beatissimæ Virginis *Mariæ de Monte Carmelo*, & confessionem expostulans in vita mirabiliter seruatus fuit: donec (miro prorsus casu) ad eum perducto suo Pastore, seu Curato, confessus fuisset, aliaque Sacramenta recepisset; & qui lumen oculorum amiserat, antè quamdam Sanctissimæ Virginis Deiparæ Imaginem, quam honorare consueuerat, visum recepit, eamque deuotè identidem intuens ad mortem se disponebat. Et licet spectaculum præberet horroris, teterrimum ex corpore assato exhalans odorem, quasi quamdam Orci Mephitim: ad dies tamen plures sic superuixit: cumque ad singula momenta expiraturus videretur; spe tamen plenus, ac Marianæ

Iacobus Calpè percutitur fulmine.

Circũdatus nube sulphurea accensa.

Cæcus redditur fumo.

Toto corpore vstulatur.

Excepta parte pectoris circa cor, quã tegebat Scapulare.

Illuminatur à Virgine

Consumuntur igne vestes omnes, Scapulare excepto.

Inclamat Cõfessionẽ.

Casu ad uenit Confessarius & confessus ad dies plures superuiuit Sabato moritur.

opis fiducia nixus, constanter proclamabat, *se non moriturum antè Sabatum, diem dedicatum* (vt aiebat) *Matri, & Dominæ meæ Carmelitanæ*; atque ità euenit.

D. de Gugedifracto cor de muralis tormenti pila.

Viuit per horas tres.

Scapulari, intrà cor, adacto.

Expiat conscientiã per Confessionem.

Cõfessus conficit manu propria testamẽti tabulas, & moritur

Hæc alia duo refert Pater Raynaudus Iesuita in suo Partheno-Carmelitico Scapulari, parte prima, cap. 6. pag. 128. quorum prius est. *D. de Cuge anno* 1636. Alarius signifer in Insubria inter traijciendum Ticinum amnem, vibrata in eius pectus muralis tormenti pila (vndè postmodum cor deprehensum est diffractum, & obtritum contritione perualida) globo in *Scapulare*, quod gestabat illiso, & *Scapulari* intra cor adacto, non concidit tamen illicò exanimis, vt sanè requirère necessariò videbatur tantæ vehementiæ ictus, & lethalis omninò læsio: sed per horas tres anima eius in ipso fuerit, donec aduocato, apud quem peccata deponeret, Confessario, & confectis suamet manu testamenti tabulis, Christiano ritu expiatus defecit. Victor Amedeus Dux Sabaudiæ Serenissimus curauit inquiri in hoc negotium per Archiepiscopum Thaurinensem, & adstipulati sunt extrà iudicium oculati testes quamplures.

Miles Croata præda intentus

Posterius est de quodam milite Croata, qui vltimo Ianuarij anno 1640. cum prædabundus obiret cum duodecim socijs Lotharingiam, & comprehensus fuisset in oppidulo ad Mussipontum, cui nomen *Tiocur*, confossis militari manu socijs; tametsi

metsi qua gladio impacto, qua breuis sclopi missu, centies saucius, etiam capite valdè diffiso, & cranio in duas partes disrupto, contestatus semper fuerit, frustrà conniti, qui lethum eius vrgebant: & nulla vi eripiendam sibi fore vitam, donec expiata ritu Catholico per Exhomologesim conscientia, nitens ad Deum migraret. Hortantibus qui aderant, vt sibi per contritionem prospiceret: *Ego* (inclamabat) *Filius Deiparæ sum Virginis de Carmelo, sacro eius Habitu iam pridem amictus; nec antè extrudetur è meo corpore anima, quam sim de peccatis confessus*. Felici sorte, nec absque Numinis speciali prouidentia, Sacerdos Metas petens, in hominem incidit, à quo auditus, & ritè absolutus, illicò efflauit Animã. *His enarratis prosequitur idem Raynaudus*: Duo quæ superiori capite signaui eiusmodi sunt, vt vix possit aliquid desiderari in hâc rem illustrius. Videtur enim vncialibus literis exarata, in vtroque euentu diuina ad gloriam prædestinatio, executioni mandata beneficio *Scapularis*; impedita suprà naturam præcipitatione in mortem: dum expectatur, qui Christiano ritu expiet ante migrationem animæ è corpore, & vittæ aureæ disruptionem. Aliud exemplum sane luculentum in eamdem rem, adducitur à Petro Suuanigtone, B. Simonis Sthockij socio (*& est illud, quod nos retulimus in calce vltimi* §. *quæst.* 3.) Refert enim nobilem ad extrema deductum adtactu sa-

Innumeris per hostium manus vulneribus saucius.

Cranio in duas partes disrupto

Mori nõ poteſt nisi prius confiteatur.

Vix cõfessus efflat animam:

Horum prædestinatio beneficio Scapularis *executioni mandata.*

cri *Scapularis* à furore, & Æstro Dæmoniaco, quo fœdè agitabatur, esse liberatum. Sicque facto mentis flustro, sedatè suscepisse Sacramenta, & optimè dispositum obijsse: cum priusquam sacro *Scapulari* contingeretur, nullam Confessionis, nullam Eucharistiæ mentionem admitteret. Quis hìc non videat signum Prædestinationis in *Scapularis* admotione luculentum? Hìc, si sacrum *Scapulare* non contigisset, inexpiatus peribat. In Eliæ verò melote moraliter securus transiuit amnem huius mortalitatis, & ad littus æternæ quietis fœliciter emersit, certus salutis suæ humano modo, ac verisimillimè; adeò nullus perit, inuocato nomine Mariæ. *Hæc Raynaudus.*

Qui moriuntur in Scapulari, verisimillimè certi sũt de sua salute.

Et quid mirum, quod fideles deuotioni Deiparæ addicti intuitu *Rosarij*, & *Scapularis* non permittantur ex hac vita discedere, nisi Sacramentis muniti, vt æternam assequantur salutem, cum simile Priuilegium piè credatur etiam concessum à Deo profitentibus deuotionem ergà Sanctam Barbaram Virg. & Martyr. Adferam Historiam, quam literis vulgauit Theodorus Pauli Pastor Gorcomiensis, cuius ipse non tantum spectator fuit, sed etiam aliqua ex parte actor: & habetur in Promontorio Zehentner libro 3. §. 10. numer. 21. *Gorcomij igitur in Hollandia, circà annum* 1448. Ciuis quidam Vltraiectinus, nomine Henricus Kock iam penè septuagenarius interceptus simul flamma ædium, & ruina,

Theod. Pauli apud Zehentner.

Piè creditur, Deuotos S. Barbaræ nõ mori, nisi munitos Sacramẽtis.

& ruina, iacebat omni humana destitutus ope. Subibat in ea necessitate animum memoria Diuæ Barbaræ, cui se homo ille assueuerat à prima pueritia, quotidiè enixiùs commendare: ità doctus à parentibus suis, neminem ex hac vita discedere absque sacra Confessione, & Diuinissimo Corporis Christi Viatico, qui eam singulis diebus pia cum veneratione implorasset. Tum ergò iam miserè vstulatus senex, Diuam obsecrare cœpit, ne de se conceptam falleret spem, sed adesset morituro, & Sacramentorum sibi copiam à Deo impetraret; flecti eius bonitatem facilè posse, si vel illibatum pudoris sui lilium exhiberet, vel carnificis parentis ostenderet gladium, quem gratia Christi sponsi collo olim suo excepit fulminantem. Audijt votum Sancta Barbara, & ne clienti suo deesset, eo articulo se præsentem stitit, ac primùm quidem ignem cæpit pallio disijcere; tum deindè ruina extrahere hominem; denique vitam promittere in diem crastinum; tantum scilicet spatij, quod sufficeret præparationi ad Diuina Confessionis, Eucharistiæ, & demum extremæ Vnctionis Mysteria. Addidit hanc seni gratiam fieri, quod ipsi honorem toties habuerit. Post hæc Virgo, & Martyr (Sancta inquam Barbara) eò se recepit, vndè ad terras venit. Vir autem septuagenarius, quamquam fedè tostus, & à flamma miserabiliter absumptus esset; ambulauit tamen ad filiæ suę domum.

Expertus est quidam homo septuagenarius domus ruina, & flammis obrutus.

Sanatus ope D. Barbarę tādiu vixit, donec præmissa Confessione, Viaticū, extremamq; Vnctionem accepit.

mum. Ibi cum, præmiſſa exhomologeſi, ſacrum Viaticum, atque Extremam Vnctionem accepiſſet à Paſtore Vrbis: fama (vt fit) crebeſcẽte de miraculi nouitate, tota ciuitas ad ſpectaculum confluxit, alterque alterum hortatus eſt, vt ſinguli quotidiana veneratione colerent Diuam Barbaram: cuius tam preces eſſent validæ, tam efficacia apud Deum merita, vt ſalutis certiſſimum poſſint medium impetrare, nempè ante mortem Sacramentorum copiam. *Hæc Zenentner*. Quis eſt igitur qui dicat, Deum non concedere Matri, quod ſeruis non negat? Certi igitur certitudine morali, & ex parte Virginis infallibili poſſunt eſſe, deuotè, & frequenter recitantes *Roſarium*, necnon ritè geſtantes, & piè morientes in *Scapulari*, de æterna ſalute aſſequenda.

Hæretici miracula vocitãt deliria Monachorum.

Non inficior, hæreticos hæc, & ſimilia Diuinæ gratiæ prodigia, meritis, interceſſionibus, precibuſque Beatiſſimæ Matris ſuæ ſuprà naturæ ordinem patrata, Monachorum deliria, figmenta, ſomnia cum deriſu, & ſarcaſmo vocitare, ſed quid mirum? quod talia non credant, qui ſine Deo, ſine Fide, obliqua ſua iudicia, tamquam rectam credendi regulam ſibi præfigũt? Id quod ſine religioſa indignatione ſatis mirari non poſſum, eſt, quod inter ipſos Catholicos, heterodoxi aliqui reperiãtur, qui (quo zelo, qua pietate, quo animi candore, ignoro) naſo adunco, fronte rugoſa, ſeueroque ſupercilio tam magna, tam rara,

tam

tam exquisita, tam vera miracula legentes, insulsos vocant, qui illa credunt: insulsos qui illa prædicant: captiunculasque vocitant, veritates à locorũ Ordinarij omni debita solemnitate approbatas, necnon à grauibus, doctis, pijsque auctoribus verè, & integrè proditas. Alij, qui [vt præsumo] Catholicè sentiunt, hæreticè tamen loquẽtes, *lacinias panni*, & *corollas*, seu *coralla* per contumeliam nominant, quæ à Catholicis sacrum *Scapulare*, ac Sanctissimum *Rosarium* appellantur. Alij eadem nominare dedignantes [qua intentione, quo fine, penitus nescio] *rem, quæ in dorso gestatur*, pro *Scapulari* indigitant: *Rosariumque* inuida, & detestabili Ironiá *preces* dicunt *priuilegiatas*; & ità plus sapere volentes, quam requirat sobria mediocritas, *Rosario*, & *Scapnlari* fidem derogant: cum tamen quadringẽtis ab hinc annis, maxima pietate, & doctrina Viri, necnon Magnates, Principes, Reges, Imperatores, Pontifices ea mirum in modum coluerint. Vndè sciolis istis, & superciliosis, qui per contemptum, vel *Rosarium*, vel *Scapulare*, non modò non recitant, siuè deferunt; verùm etiam piorum, ac deuotorum hominum simplicitatem rebus illis, ea, qua decet, pietate, pioque ritu vtentium, irrident, dicerem cum Leone à S. Ioanne: *Malo, guttam simplicis, ac veræ pietatis, quam sæcularis, & incredulæ sapientiæ vas plenissimum*. Præterquamquod dies tandem fortasse veniet in quo Deipara

Heterodoxi Catholicè sentientes, sed hæreticè loquẽtes Scapulare, & Rosarium lacinias pãni, & corollas seu corolla per cõtemptũ nominant.

Alijqua si paruipendentes ea nimina re dedignãtur.

B. Virgo eos qui sodales sui Rosarij, & Scapularis irrident, irridebit.

ra ipsos subsãnabit, & irridebit; imò ipsimet præ angustia spiritus gementes dicent, quando viderint Sodales *Rosarij*, & *Scapularis* Cœlitibus adscriptos: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est*. Profectò ego cum omnibus ijs, qui Christiana pietate pollent, & veros se Virgini deuotos profitentur, tales etherodoxorum inscitias paruipendens, pia credulitate, tum enarrata, tum eis similia miracula, complector: ex eisque infero, Deum ex sua liberalissima misericordia, & ad ostensionem fidelitatis, & veracitatis suæ dilectissimæ Genitricis Mariæ, sodalibus *Rosarij*, & *Scapularis* præstò esse, eisque specialem gratiam, qua ad contritionem, & pœnitentiam antè mortem excitentur, conferre: vt Deo recõciliati ex hac vita decedentes, tartareos effugiãt ignes, æternaque refrigeria consequantur.

Gratulatio ad sodales Rosarij, & Scapularis.

Ad vos tandem me verto, sodales *Rosarij*, & *Scapularis*, vobisque gratulor, moralem certitudinem, securitatemque moraliter infallibilem, quam præ cæteris fidelibus de vestra habetis salute: cæteri namq; fideles *sperant* saluari per Virginem: sed vos à Virgine ex pacto inito salutem *expectatis*. Profectò magnum est discrimen inter *sperare*, & ex compacto fœdere *expectare*. Prius enim respicit *beneuolentiã*, & bonã gratiam illius, à quo speramus, vt egregiè obseruat Ioan-

nes

nes Cheron in vindicijs sacri *Scapularis*, pag. 57. Posterius verò quasi *obligationem* fidelitatis, & veracitatis, si minus simplicem, saltem conditionatam, vi initi pacti. Porrò cæteri fideles quibus non est facta promissio, seu oppigneratio sperant salutem per Virginem, si ipsa eos saluos voluerit: Vos autem, *Rosarij*, & *Scapularis* sodales si illud frequenter, & deuotè recitaueritis: & hoc ritè, ac piè gestaueritis, inconcussa firmitate sperate, & certitudine moraliter infallibili expectate (potissimùm in morte) auxilia specialia, & opportuna ad eliciendos contritionis actus, siuè ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ritè vsurpanda, vt sic tandem iustificati, & Deo reconciliati tartareos effugiatis ignes, æternamque assequi valeatis fœlicitatem.

Vobiscum præcipuè, *Scapularis* Confratres, gratulatur Raynaudus Iesuita nobilitatem sodalitij vestri, vnà cum vberi fructu certantem: admonetque, vt eam pondere sanctuarij libratam existimetis, dicens in calce sui Parteno-Carmelitici *Scapularis*. Quæ potest esse dignior, ac nobilior sodalitas, quam quæ ad Deiparam refert institutionem suam: & Christi nutu per summum eius Vicarium (quoad nos) cõprobato coaluit? Aliæ passim sodalitates, tametsi, eo ipso, quod pietatem spectant, afflatu Spiritus Sancti sunt cõstitutæ, & aliquatenus ipsum Spiritum Sanctum

habeant auctorem : tamen non nisi remotè gaudent cœlestis institutionis prerogatiua. Hìc autem omnia proximè, & immediatè per cœli, & terræ Reginam, Filio cooperante, & in omnes Matris voluntates concurrente, auspicijs Diuini Spiritus sunt constituta. Nec vtilitas nobilitati concedit: hoc sacrum *schema*, *& verè cœlestis Habitus* longè aliud commodum præstat animæ, quam corpori vestis materialis: Hæc enim tametsi nuditatem prohibet, frigus tamen non depellit, vt fert popularis persuasio, benè reiecta à Theodoreto orat. de charit. his verbis: *Non, vt quidam arbitrantur, tunicæ, indumenta, & vestes calorem præbent corpori: lapides enim, & ligna calefacerent, quibus ea admota essent: sed nemo vnquam vidit lignum, aut lapidem vestibus euasisse calidiorem: ergo nec corpori præbent ea calorem, sed seruant calorem corporis, & frigidi quidem aeris arcent incursionem: suscipientes autem vapores, qui exeunt ex corpore, & ijs calefiunt, & calorem exhibent corpori; Huius autem rei testis est experientia: sæpè enim frigidum lectum ingredientes, corporis applicat one stragulum, quod prius erat frigidum, calidum efficimus. Cibus ergo corpus magis calefacit, quā vestis.* Optimè ista Theodoretus de veste corporea, operiente exteriorem hominem. At *Habitus* Virgineus hoc plus habet, quod corpus operiendo, calorem immittit, quo anima ipsa incale-

calefcit, ac feruet. Conciliat enim fpiritus planè vitales, cœleftes, inquam, afflatus à Sanctiffima Dei Genitrice exoratos, quorum interuentu calor viuificus animam vegetat, & ad omne opus fanctum feruidam facit. *Hæc Raynaudus.*

Denique ego vos, vtriufque fodalitij Confratres, de duobus parænetice admoneo. Prius eft, vt in vobis, exteriori *Rofarij* recitationi, & *Scapularis* geftationi interior virtutum cultus correfpondeat. Pofterius eft, vt *zelum Dei habeatis*, nō tamen fecundum nimiam fuperftitionem, fed *fecundum fcientiam*, iuxtà confilium Apoftoli ad Rom. 10. Non enim ità adhærefcere debetis peculiaribus exercitijs ab vtraque Confraternitate præfcriptis, vt per ea fatis vos beatos exiftimetis, etiam cæteris medijs ad falutem neceffarijs poft habitis, & omiffis. Iam Deus vobis concedit hæc media Virgine Matre intercedente, & exorante; reliquum eft, vt vos inito fœderi ex parte veftra fatisfacientes, tantæ, tamque ingenti Dei, Deiparæque munificentiæ alacri cooperatione refpondeatis. Dum enim exceptis fpecialibus gratijs cooperamini, non confundemini, non pudefiet, & fpe veftra in Chrifto, & Chriftipara innixa non fruftrabimini: fed certò præ cæteris fidelibus, videbitis, & affequemini in hac miferiarum valle iuftitiam, & gratiam: in cœleftis Beatitatis emporio falutem, & gloriam.

Ad Ro. 10.

Parenetica admonitio ad eofdē

Hæc omnia dicta ſint ad maiorem Dei gloriam, Virginis Deiparæ honorem, Triumphantis Eccleſiæ incrementum, Militantiſque emolumentum: cuius denuò iudicio, & cenſuræ, & me, meaque omnia humillimè ſubmitto.

LAVS DEO.

IN-

INDEX PRIMVS QVÆSTIONVM, ET PARAGRAPHORVM IN HOC OPERE CONTENTORVM.

Numerus designat Paginam.

LIBRÆ PENSILIS Disputatio Vnica.

De numero Prædestinatorũ, & Reproborũ. 1.

QVÆSTIO I.

An ex Maßa omnium omninò Hominum maior sit numerus Prædestinatorum, quam Reproborum. 3.

Paragraphus Primus.

Eruitur Prima probatio ex sẽtentijs Sacræ Scripturæ. 4. *& seq.*

Paragraphus Secundus.

Eruitur secunda probatio ex figuris Sac. Scripturæ. 12.

Paragraphus Tertius.

Eruitur tertia probatio ex similitudinibus Sacrę Scripturę. 14.

Paragraphus Quartus.

In quo afferuntur Reuelationes ex Historijs Ecclesiasticis, quibus ostenditur dãnandorum multitudo, & paucitas saluandorum. 17.

Para-

Paragraphus Quintus.

In quo afferuntur rationes, & Congruentiæ, quibus Conclusio fulcitur. 19.

Paragraphus Sextus.

In quo proponuntur, & soluũtur obiectiones. 26.

QVÆSTIO II.

An ex Christianis promiscuis, nempè Fidelibus Orthodoxis, Hæreticis, Schismaticis, & Apostatis, plures damnentur, quam saluentur. 36.

Paragraphus Primus.

In quo probatur Conclusio ex similitudinibus Sacræ Scripturę. 38.

Paragraphus Secundus.

In quo Rationibus, & Congruentijs probatur Conclusio. 47.

QVÆSTIO III. Princeps.

An ex adultis Fidelibus Orthodoxis inter se comparatis, plures sint qui saluantur, quam damnantur. 51.

Paragraphus Primus.

In quo referuntur sententiæ, quarum Tertia, vt magis pia, & probabilior eligitur. 53.

Paragraphus Secundus.

In quo sensus Quæstionis aperitur. 60.

Paragraphus Tertius.

In quo statuitur Conclusio de multitudine saluandorum, eiusque probationes ex varijs Sacræ Scripturæ locis erutæ adducuntur. 64.

Paragraphus Quartus.

In quo veritas Conclusionis Sanctorum Patrum auctoritatibus fulcitur. 82.

Para-

Paragraphus Quintus.

In quo validissimis rationibus corroboratur Cõclusio. 101.

Paragraphus Sextus.

In quo destruitur fundamentũ Recupiti, & conuincitur veritas Conclusionis ex facilitate mediorum ad finẽ salutis. 127.

Paragrapus Septimus.

In quo suadetur eadem veritas ex bonitate, & misericordia, qua Deus respicit in suos Fideles. 147.

Paragraphus Octauus.

In quo veritas Conclusionis statuitur ex zelo, quem habet Deus, ne fama suæ bonitatis apud Catholicæ Fidei hostes periclitetur. 156.

Paragraphus Nonus.

In quo suadetur multitudo Fidelium saluandorum ex meritis Passionis Christi, eiusque fusi sanguinis efficacia. 166.

Paragraphus Decimus.

In quo suadetur Conclusio ex assiduis precibus cùm Militantis, tùm Triumphantis Ecclesiæ, quæ pro Fidelibus iugiter funduntur. 189.

Paragraphus Vndecimus.

In quo suadetur veritas Conclusionis, & facilitas consecutionis salutis ex potentissimo Deiparæ Virginis patrocinio. 202.

Paragraphus XII.

In quo eadem veritas, & facilitas suadetur ex oculata custodia, & validissimo Angelorum præsidio. 228.

Para-

Paragraphus XIII.

In quo de verbo ad verbum proponuntur argumenta Recupiti ex varijs Scripturæ locis desumpta. 241.

Paragraphus XIV.

Responsiones ad præfata Sacræ Scripturæ loca. 258.

Paragraphus XV.

In quo proponuntur argumenta è varijs Sacrę Scripturę figuris eruta. 290.

Paragrahus XVI.

In quo Responsiones ad figuras adducuntur. 298.

Paragraphus XVII.

In quo proponuntur argumenta ex Scripturę similitudinibus excerpta. 313.

Paragraphus XVIII.

In quo ad adductas similitudines respondetur. 319.

Paragraphus XIX.

In quo proponuntur argumenta Recupiti eruta ex Sanctis Patribus. 330.

Paragraphus XX.

In quo fit satis auctoritatibus Patrum. 341.

Paragraphus XXI.

In quo Recupitus ducit argumenta ex rationibus: & primò ex difficultate mediorum ad finem. 371.

Paragraphus XXII.

In quo præfato argumento fit satis. 396.

Para-

Paragraphus XXIII.

In quo probat Recupitus paucitatem electorum ex multitudine recidiuorum. 429.

Paragraphus XXIV.

In quo fit satis argumento adducto, & eruto à multitudine recidiuorum. 442.

Paragraphus XXV.

In quo Recupitus probat paucitatem Electorũ ex multitudine malè morientium. 471.

Paragraphus XXVI.

Respondetur ad argumentum desumptum ex multitudine malè morientium. 494.

APPENDIX.

AD Paragraphum vndecimum Quæstionis tertiæ, de Fidelibus Orthodoxis, deuotionem ergà Sacratissimum Beatissimę Virginis Rosarium, seu Psalterium: necnon erga Sacrosanctum Scapulare Deiparæ de Monte Carmelo, constanter, ac affectuosè profitentibus. 523.

Quæstiuncula Prima.

An qui recitat frequenter, & deuotè Rosarium Beatissimę Virginis possit esse aliquo modo de sua salute securus? 524.

Quæstiuncula Secunda.

An aliquam habeant de sua salute certitudinem pre ceteris Fidelibus Confratres Sacrosancti Scapularis Beatissimæ Virginis Mariç de Monte Carmelo. 541.

INDEX SECVNDVS
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Quæ in toto Opere, vel attinguntur, vel fusius explicantur.

Numerus designat Paginam.

EX GENESI.

cap.6. *NOE Vir iustus.* 379.
cap.22. *Sicut stella Cœli, & sicut arena maris sic erit semen tuum.* 14.
Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris. 64.
Filiæ discurrerunt super murum. 38.

Ex Libro Exodi.

cap.12. *CVm sexcentis millibus peditum, absque paruulis, & mulieribus.* 254.
Ne quæso dicant Ægyptij, callidè duxit eos, vt interficeret in montibus. 157.
cap.33. *Miserebor cui voluero, & clemens ero cui mihi placuerit.* 148.
cap.14. *Ne fortè contingat, vt audiant Ægyptij, quod occideris tantam multitudinem quasi vnum hominem, &c. Dimisi iuxtà verbum tuum, viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra.* 158.

Ex Deuteronomio.

cap.4. *CVm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eũ; si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ* 104.

Ex Iosue.

cap.6. *CLangentibus tubis illicò corruentes.* 292.
cap.7. *Ah Domine Deus, quid dicam? Cananæi delebunt nomen nostrum de terra, & quid facies magno nomini tuo?* 160.

Ex Libr. Iudicum.

cap.7. *SCeptrum exactoris superasti, sicut in die Madia.* 293.

Ex Libris Regum.

cap.12. *ET non derelinquet populũ suum Deus propter nomẽ suum.* 156.

 cap.25. *Erit*

cap.25. *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium: inimicorum autem eius anima rotabitur.* 314.320. 321. & 322.

cap.6. *Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* 95.

Ex Lib. Esdræ.

cap.8. *HOc seculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos.* 9. 340. & 341.

cap.25. *Esdras autem præparauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini.* 182.

cap.4. & 8. *Multi quidem creati sunt, pauci autem saluabuntur.* 224.

Ex Libr. Esther.

cap.7. *DA mihi populum meum, pro quo obsecro: traditi enim sumus, ego, & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus.* 191.

Ex Libro Iob.

cap 4. *NVmquid homo Dei comparatione iustificabitur? ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* 378.

cap.25. *Stellę non sunt mundę in conspectu eius.* ibid.

cap.37. *Lumen illius super terminos terræ.* 119.

cap.40. *Stringit quasi cedrum caudam suam.* 487.

Ex Psalmis.

Psal.2. *IN circuitu impij ambulant.* 8.

Psal.13. *Dominus de Cęlo prospexit super filios hominum, &c. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* 22.

Psal.15. *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus.* 67.

Psal.16. *Domine à paucis de terra diuide eos.* 7. & 247.

Psal.18. *Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* 182.

Psal.29. *Quæ vtilitas in sanguine meo.* 176.

Psal. 33. *Veruntamen in diluuio aquarũ multarum ad eum non approximabunt.* 12.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. 234.

Psal.35. *Quoniam multiplicasti misericordiam tuam, &c. Homines, & iumenta saluabis Domine.* 151.

Psal.54. *Redimet in pace animam meã ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erãt mecum.* 7.

Psal.83. *Ibunt de virtute in virtutem.* 52.

Psal.90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* 88.

Psal.105. *Commixti inter gentes didicerunt opera eorum; Immolauerunt filios suos, & filias suas Dęmonijs.* 23.

Psal.113. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, &c. Nequando dicant inter gẽtes vbi est Deus eorum?* 165.

Psal.118. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* 24.

Psal.138. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, &c. Dinumerabo eos, & super arenã multiplicabuntur.* 4. & 66.

Ex Libr. Prouerb.

cap. 1. *Quia vocaui, & renuistis, &c. ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* 489.
cap. 14. *In multitudine populi dignitas Regis, & in prauitate plebis ignominia Principis.* 167.
cap. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* 34.
cap. 20. *Quis potest dicere mundum est cor meum.* 383.
cap. 21. *Sicut diuisiones aquarum, ità cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud* 397.
cap. 26. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum, ità imprudens iterans stultitiam suam.* 429.
cap. 29. *Qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus.* 473.
cap. 30. *Tria sunt insaturabilia, &c. Infernus, &c.* 340.
cap. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias.* 38.

Ex Ecclesiaste.

cap. 1. *Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas.* 259.

Ex Canticis.

cap. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* 16. 38. 115. & 335.
cap. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, octoginta Concubinę, adolescentularum non est numerus: vna est Columba mea, formosa mea.* 97. & 98.

Ex Libro Sapientię.

cap. 1. *Sentite de Domino in bonitate.* 28. & 60.
cap. 10. *Hæc populum iustum, & semen sine querela liberauit à nationibus.* 42.
cap. 47. *Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* 104.

Ex Libro Ecclesiastici.

cap. 2. *Qui timent Dominum præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* 182.
cap. 3. *Cor durum habebit malè in die nouissimo.* 473. & 496.
cap. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccata.* 444.
cap. 26. *Qui transgreditur à iustitia ad peccatũ, Deus parauit eum ad rompheam.* 433.
cap. 31. *Beatus vir, qui post aurum non abijt, &c. Quis est hic, &c.* 251. & 276.

Ex Isaia.

cap. 5. *Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum sine termino.* 340.
cap. 10. *Reliquiæ ligni saltus præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos.* 6. & 243.
cap. 14. *De radice colubri egredietur regulus* 444.
cap. 16. *Et erit sicut congregans, quod restiterit, &c. Et erit sicut spicas quærens, &c. & relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum, vel triũ oliuarum.* 14.
cap. 24. *Hæc erunt in medio terræ, &c. quomodò si pauca oliuæ excutiantur ex olea, & racemi cum*

fuerit finita vindemia. 242.
Congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum. 320.
cap.27. *Cōgregabimini vnus, & vnus filij Israel.* 297.
cap.28. *Et erit Dominus corona gloriæ, & sertum exultationis residui populi sui.* 244. & 260.
cap.48. *Propter me, propter me faciã, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.* 157.
cap.49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* 210.

Ex Hieremia.

cap.2. *QVam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* 434.
cap.3. *Assumam vos vnum de Ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion.* 340.
cap.5. *Circuite vias Ierusalem, & cōsiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum, facientem iudicium, & quærentē fidem, & propitius ero ei.* 24.
cap.6. *Quippè à minore vsque ad maiores omnes auaritiæ student.* 250.
cap.15. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* 192.
cap.31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo.* 465.
cap.33. *Sicut dinumerari non possunt stellę Cæli, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & Leuitas seruos meos.* 55.

Ex Ezechiele.

cap.9. *ET ecce sex viri veniebant de atrio portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & cuiusque vas interitus in manu eius. Vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, &c. Trãsi per mediam ciuitatem, & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentiū.* 11. & 294.
cap.18. *Si autem impius egerit pęnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. & custodierit omnia præcepta mea, &c. vita viuet, & non morietur,* 102. & 439.
cap.20. *Auerti autem manum meam, & feci propter nomen meum, vt non violaretur coram gētibus, de quibus eieci eos in oculis eorum.* 157.
cap.23. *Multiplicauit fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in Ægypto.* 41
cap.36. *Non propter vos ego faciam domus Israel, sed propter nomen sanctum meum.* 157.
cap.38. *Si dixero impio: morte morieris, & egerit pęnitentiam a peccato suo, &c. & in mandatis meis ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, vita viuet, & non morietur.* 440.

Ex Amos.

cap.9. *QVi ædificat in Cęlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit.* 315.

Ex Sophonia.

cap.1. *SCrutabor Ierusalem in lucernis.* 379.

Ex Michea.

cap.7. *VEh mihi, quia factus sum sicut, qui colligit in autumno racemos vindemiæ: pręcoquas, ficus desiderauit anima mea.* 243.

Ex

Ex Zaccharia.

cap.13. ET erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, & peribunt: & tertia pars relinquetur in ea. 10.

Ex Libr. 2. Machabeorum.

cap.9. CŒpit Diuina admonitus plaga ad cognitionem sui venire. 481.

Ex Matthæo.

cap.2. ERunt sicut Angeli Dei. 84.
cap.3. Permundabit Deus areã suam, & congregabit triticum suum in horreum; paleas autẽ comburet igne inextinguibili. 317.
Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam. 15.
cap. 6. Nemo potest duobus Dominis seruire. 477
cap.7. Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt, qui intrãt per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam. 247. & 340.
Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. 366.
cap.10. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, nõn est me dignus. 383.
cap. 11. Regnum Cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 268.
Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. ibid.
cap.12. Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. 434.
cap.13. Colligite primum zizania, & colligate ea in fasciculos ad cõburendum. 316.
cap.16. Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in Regnum cælorum, &c. Facilius est camelum per foramen acus transire. 250.
Aliud cecidit secus viã, aliud in terram bonam. 318.
cap.18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in Regnum Cælorum. 384.
Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nonnè relinquet nonaginta nouem in montem, & vadit quærere eã, quæ errauit? 73.
cap.19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. 387.
Vade, & vende, quæ habes, & da Pauperibus. 281.
cap.20. multi sunt vocati, pauci verò electi. 4. & 71.
cap.22. Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet. 391. 425. & 426.
Tunc dixit Rex, ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. 20.
cap.23. Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti. 33.
cap.25. Tradidit illis bona sua, &c. Euge serue bone, & fidelis, &c. Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores. 75.
cap.27. Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. 105.

Ex Luca.

cap. 2. *Simon cum esset vir iustus*. 379.

cap. 4. *Multa filia erant in diebus Elia in Israel, &c. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidonia ad mulierem Viduam: & multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus*. 297.

cap. 8. *Aliud cecidit secus viam, aliud inter spinas, aliud supra petram; aliud in terram bonam*. 374.

cap. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est Regno Dei*. 384.

cap. 12. *Complacuit Patri vestro dare vobis Regnum*. 148.

cap. 13. *Domine si pauci sunt, qui saluantur? contendite intrare per angustam portam; multi dico vobis quarent intrare, & non poterunt*. 4. & 248.

cap. 15. *Dico enim vobis quod ita gaudium erit in Celo supra vno peccatore Penitentiam agente, quam super nonaginta iustis, qui non indigent Penitentia*. 74.

cap. 17. *Quis autem vestrum, habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi, statim transi, recumbe, &c. Sic & vos cum feceritis omnia, qua pracepta sunt vobis, dicite; Serui inutiles sumus, &c.* 348.

cap. 19. *Euge bone serue, qui in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem Ciuitates*. 76.

cap. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*. 105.

Ex Ioanne.

cap. 5. *Erat quinque porticus habens; in his iacebat multitudo magna languentium*. 296.

cap. 12. *Qui amat animam suam perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aternam custodit eam*. 383.

Ex Actis Apostolorum.

cap. 11. *Primum cognominati sunt Antiochia Discipuli Christiani*. 331.

Ex Epistola Pauli ad Roman.

cap. 4. *Pater omnium credentium*. 313.

cap. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. 442.

cap. 8. *Quos prasciuit, & pradestinauit conformes fieri imagini filij sui*. 385.

cap. 9. *Miserebor cui misereor, & misericordiam prastabo cui miserebor*. 148.

Ex Epist. 1. ad Corinth.

cap. 9. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium; sic currite, vt comprehendatis*. 50. & 257.

cap. 10. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, &c. sed non in pluribus eorum beneplacitũ est Deo; nam prostrati sunt in deserto*. 39.

Ex Epist. 2. ad Corinth.

cap. 1. *Pracipientes rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis*. 366.

cap. 11. Ti-

cap. 11. *Timeo, ne cum venero, lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt penitentiam.* 61.

Ex Epist. Pauli ad Ephes.

cap. 1. *QVi prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secũdum propositum voluntatis suæ.* 148.

cap. 4. *Vnus Dominus, vna Fides, vnũ Baptisma.* 36.

cap. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: sed aduersus Principes, & Potestates.* 268

Ex Epist. Pauli ad Philippens.

cap. 2. *OMnes quæ sua sunt quærunt.* 250

Ex Epist. Pauli ad Coloss.

cap. 1. *ADimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* 385.

cap. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum, & tentationes Diaboli.*

Ex Epist. 1. Pauli ad Timot.

cap. 3. *VT scias, quomodo oporteat te in domo Domini conuersari, quæ est Ecclesia.* 326.

cap. 4. *In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium, sed maximè fidelium. Hoc præcipe, & doce.* 76.

Ex Epist. II. ad Timotheum.

cap. 2. *IN magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea; sed & lignea, & fictilia.* 16. & 319.

Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit. 385.

cap. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet in illo die iustus Iudex.* 385.

cap. 19. *Gratia, quæ data est nobis ante tempora sæcularia.*

Ex Epist. Pauli ad Hæbr.

cap. 4. *DEi sermo pertingit vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, &c.* 378.

cap. 6. *In terra reproba, & maledicto proxima.* 374.

cap 10. *Non habeant vltrà conscientiã peccati cultores semel mundati.* 441.

Voluntariè peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur prò peccatis hostia. ibid.

Irritam quis faciens legem Moysis, &c. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, &c. ibid.

Ex Epist. 1. D. Petri.

cap. 3. *QVando expectabat Dei patientia in diebus Noe, cũ fabricatur Arca, in qua pauci, idest octo Animæ saluæ factæ sunt per aquam.* 290.

cap. 4. *Si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?* 408. & seq.

Ex Epist. Iacobi.

cap. 2. R*Ahab ex operibus fuit iustificata.* 13.
Quicumque totam legem seruauit, offendit autem in vno, factus est omnium reus. 387.

Ex Epist. 1. Ioannis.

cap. 1. O*Mnis qui natus est ex Deo non peccat: sed nec peccare potest: quoniam semen Dei manet in illo.* 215.

Ex Apocalypsi.

cap. 2. V*Incenti dabo manna absconditum.* 386.
cap. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* 4. 27. & 67.
cap. 12. *Proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui seducit vniuersum Orbem.* 10
Et cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum. 93.
Venit Diabolus, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. 487.
cap. 13. *Et faciet omnes pusillos, & magnos, &c. Habere characterem in manu sua, aut in frontibus suis.* 10.
cap. 14. *Vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo, &c.* 340.
cap. 15. *Et vidi tamquam mare vitreũ, mixtum igne.* 68.
cap. 20. *Vidi mortuos, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ.* 9. & 296.

INDEX TERTIUS
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Opere continentur.

Numerus designat Paginam.

A

ANgelica Salutatio. *Angelicæ Salutationis deuotio signum prædestinationis: indeuotio reprobationis.* 530. *Ob recitationem Angelicæ Salutationis, Clericus quidam protectus à Virgine, eius patrocinio perditum beneficium rehabuit.* 531.

Angelus. *Angeli sancti facilè remouent impedimenta salutis.* 228. *Ad nostram custodiam sunt veluti muri vrbium in circuitu.* 229. *Sunt castra Dei, quæ nos à Dæmonum impugnationibus protegunt.* 230. *Exhibent nobis auxilia, quibus facilè salutem consequimur.* 23 . *Eorum præsidium faciliorem reddit homini morienti assecutionem salutis, quàm illam conatus Dæmonum difficilem reddat* 237. *Vnus delegatur Angelus ad custodiam: sed omnes etiã supremi mitti possunt ad hominũ ministerium: imò omnes salutem mediatè illud exercent.* 235. *Varia eorumdem nomina, & attributa.* 237. & 240. *Præter Angelum Custodem Michael, & Raphael morientibus assistunt: ille excitans eos ad finalem perseuerantiam: iste in illo articulo eis afferens medicinam salutis.* 240. *Michael librat lancibus hominũ opera. Plures Angeli per D.Thomam fuerunt saluati; quam dãnati.* 82. *Incertum est an Angeli sint plures, an æquè multi, an pauciores, quam homines.* 83. *Angeli saluati, vt insinuat D. Gregorius, sunt pauciores hominibus.* 84. *Probabile est, Angelos Custodes hominum præcedentium, successiuè fieri custodes subsequentium.* 87. *Tot fideles saluari, quot Angeli ceciderũt, est opinio multorum Patrum.* 93. *Dubium est, an tertia pars Angelorum precisè, & arithmeticè ceciderit: probabilissimum tamen est, saltem vulgariter, & geometricè, tertiã, id est, magnam partem cecidisse, sed longè maiorem in cælo remãsisse.* 94. & 95. *Non est inconueniens asserere, plures esse homines, quam Angelos, & Dæmones simul iunctos.* 96. *Qui autem dicunt, Angelos excedere omnes substantias materiales, intelligendi sunt de excessu, non quoad numerum, sed quoad speciem.* 96.

Attritio in quo discriminatur à Contritione. 131. Quomodo ex Attritione fit aliquando transitus ad Contritionem. 144. Attritio est verum Dei donum, & non facit hominem hypocritam. 130. Coniuncta cum Sacramento sufficit ad salutem in lege gratiæ: in lege autem veteri, necessario requirebatur contritio. 131. & 401. Etiam cognita sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ. 140. Est vltima dispositio ad gratiam virtute Sacramenti, cui vnitur. 141. Facilius est elicere actum Attritionis, quam Contritionis. 128. & seq. Attritionis facilitas non impeditur à facilitate, qua mouetur homo à bonis sensibilibus. 132.

Axiomata. Quomodo intelligendum est illud Axioma: Sacramenta faciunt hominem ex attrito contritum. 101. & 169. Quomodo intelligendum: Facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiam. 185. & seq.

B

BAptismus. In Baptismo conscribimur Christi milites. 386. Etiam Infantes hæreticorum baptizati in forma Ecclesiæ, si decedunt ante septennium, saluantur. 52. Baptismi symbolum est Piscina probatica. 297. et 307. Quid significat baptizari à mortuo. 432.

C

CErtitudo Fidei nititur alicui testimonio diuino vniuersali omnibus fidelibus per Ecclesiam proposito. 525. Certitudo Theologica virtualiter continetur in aliqua propositione vniuersali à Deo reuelata, et per Ecclesiam proposita. ibid. Certitudo moralis est triplex. Infima, quæ non excludit actualem formidinem; Media, quæ excludit formidinem, sed non moralem potentiam ad formidandum; Suprema, quæ vtramque excludit. 526.

Christus. Christi mors est omnibus ad salutem sufficiens, sed non omnibus efficax. 168. Nisi illis, qui eius merita sibi applicant. ibid. Redundat in Christi gloriam, quod maior fidelium adultorum pars saluetur. 166. Quam fidendum in efficacia meritorum Passionis Christi. 171. & seq. Eius Sanguinis efficacia exemplis firmatur. 170. Christo data fuit à Deo Patre potestas designandi, & eligendi prædestinandos. 173. Vnde decens erat ex duplici capite designare, & eligere maiorem fidelium adultorum partem. 175. & seq. Illustratur Christi Sanguinis efficacia ex efficacia Sacrificij incruenti, in quo memoria Passionis eius recolitur. 177. & seq. Christus est frater noster ex vtroque latere, scilicet Dei Patris & Mariæ Matris. 211.

Christianus. Ex Christianis promiscuè sumptis plures sunt, qui damnantur, quam qui saluantur. 36. & seq. Christiani dignosci debēt ex moribus. 389. & seq. Christianorum est militare contra Diabolum, eiusque pompas. 386.

Confrater. Confratres recitantes Rosarium, seu Psalterium B. V. M. non habent de sua salute certitudinem moralem supremam, quæ excludat actualem formidinem, & etiam moralem potentiam ad formidandum: sitque similis ei, qua assentimur hisce propositionibus; Roma est; vel Troia fuit. 526. & seq. Habent tamen certitudinem

tudinem moralem adeò probabilem, vt omnem actualem anxietatem excludat. 529. Eis impetrat B. Virgo contritionem de peccatis antè mortem, vt inferni cruciatus effugiant, propalante hanc veritatem ipso Dæmone à Sancto Dominico, & à Deipara coacto. 533. Quamuis de hoc priuilegio nō habeant à B. Virgine promissionē expressam: habent tamen tacitā, vel quid promissioni æquipollens. 538. Etiamsi perditissimè viuant, & pœnitentiam protrahant, possunt sperare contritionē per Deiparæ preces impetrandam. 540.
Confratres Scapularis, seu Habitus S. Mariæ de Monte Carmelo habent de sua salute certitudinē moralem mediam, vtpotè quæ excludit omnem actualem formidinem ex parte Virginis: sed non moralem potentiam ad formidādum ex parte sui. 554. Ex promissione expressa Deiparæ Virginis æternum non patientur incendium. 543. Omnes, & singuli saluarentur, si ritè Scapulare gestarent, & piè in illo morerentur: sed quia non omnes ritè gestant, nec omnes in eo piè moriuntur, ideò non omnes saluantur 565. Ritè gestantes, & in illo piè morientes de facto saluantur, quamuis possint damnari. 564. & seq. Vi fœderis initi Deiparam Virginem veluti obstringunt, vt ei procuret specialia gratiæ auxilia. 569. Non solum sperant salutē ex Virginis beneuolentia, vt cæteri fideles: sed etiam illam expectant ab eius veracitate, & fidelitate. 601. In quo discriminantur à cæteris fidelibus circà moralem certitudinem salutis. 577. & seq. Per Virginis protectionem tutius, & facilius seruant mandata: & morientes securius saluantur. 580. & seq. Obtinent non solum gratiam sufficientem: sed etiam efficacem. 581.
Consuetudo cōsuetudine vincitur: vnde bona vincit malam, & mala bonam. 448. & seq.
Contritio, in quo discriminatur ab Attritione. 131. Remittit peccata in voto Confessionis: non Cōfessio in voto contritionis. 130. In mortis articulo vtilis est Contritio, non necessaria. 135. Consulēda tamen fidelibus in illo articulo. 142. Homo in morte ritè confessus, non tenetur conteri, neque ex ipsa virtute pœnitentiæ, neque ex præcepto charitatis ergà Deū, & ergà se. 138. Quinque sunt actus, qui ordinario modo Contritionem præcedunt. 146.
Conuersio. Peccatorum conuersio regulariter loquendo, est mirabilis, sed non miraculosa. 417. & seq. Et contingit, vt in pluribus. 419. Procedit paulatim ab imperfecto ad perfectum. 418. Conuersio, quā Deus mouet interius animā præter communem cursum, & ordinem supernaturalis Prouidentiæ est verè gratiæ miraculum, & cōtingit, vt in paucis. 419.

D

DÆmon. Dæmonum odium contra hominem incredibile. 325. Toti ad animarū damnationem, incumbunt. ibid. Eorum fraudes audaciæ, laquei. 376. Lucifer singulis hominibus assignat singulos Dæmones. 377. Dæmon assignatus contrà hominem, nihil potest, quando Angelus eius custos circà illum est. 407. Discrimina inter Dæmonem assignatum, & Angelum Custodem ibid. Conceditur interdū Dæmonibus vera dicere.

534. *Et tunc id, quod enunciant a Spiritu Sancto est.* 535.

Deus *dedit Christo potestatem designandi, & eligendi prædestinandos: ipse tamen prædestinat, quos Christus designat.* 173. *& seq. Deus nō solum consilijs, & suasionibus monet voluntatem, sed etiam intus eam immutat, & reformat.* 400. *Conquassat capita in terra multorum, & quomodo.* 399. *Vltrà gratiam sufficientem, quam confert, seu offert omnibus, confert fidelibus gratias longè vberiores: quibus in vita, vel saltem in morte se disponant ad gratiam iustificantem.* 398. *Nulla legis necessitate conferre tenetur gratiam efficacem: tenetur tamen aliqualiter ex eo, quod maximè fideliū Saluatorem se exhibet.* 398. *Etiā Diabolo parceret, si pæniteret.* 105. *Etiam perditissimos peccatores saluare posset, si vellet: regulariter tamen non saluat.* 61. *Diminuit auxilia peccatoribus in pænam præcedētium delictorum.* 513. *Ex eis saluat innumeros ex sua misericordia, & liberalitate.* 113. *Præcipuè intuitu Rosarij, & Habitus, seu Scapularis.* 539. *& seq. Mirabilia, pro eorum Confratribus operatur, Et etiam pro Manasse operatus est.* 104. *Multos bonos in vita fine perdit: & multos malos saluat.* 103. *Ex bonitate, & misericordia, qua respicit in suos fideles, maiorem eorum partem saluat.* 147. *Quò plures saluat, eò magis misericordia multiplicat.* 151. *Prædestinat ante præuisa merita.* 147. *Non supponit, neque expectat consensum ab humana voluntate, sed illum intus in corde hominis efficit per suam gratiam præparantem, & applicantem.* 149. *Ex nolentibus facit volentes.* 151. *Primum beneficium præstitum, est ei potissima ratio nouum beneficium præstandi.* 152. *Iustus est, etiam quādo facit, quod suæ bonitati conuenit.* 153. *Habet zelum, ne fama suæ bonitatis apud Catholicæ Fidei hostes pericliteтur.* 150. *& seq. Eius bonitati, & misericordiæ exprobrantes detraherent hæretici, & infideles, si fideles adulti quoad maiorem partem damnarentur.* 159. *Non est in eo iustitia commutatiua secundum strictum debitum.* 555. *& seq. Fit debitor promittendo, & tenetur stare promissis ex obligatione fidelitatis, & veracitatis.* ibid. *Facienti quod in se est, non denegat gratiam.* 185. *Ipsi præparantur corda hominum tripliciter.* 182. *Est omnium Saluator, sed maximè fidelium.* 76.

Dilectio, *Dei ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quomodo intelligatur.* 425. *& seq. Dilectio Dei est prædestinatorū: dilectio sui est signum reproborū.* ib. *Ex fidelibus adultis multò plures sunt, qui diligunt Deum, quam qui non diligunt.* 424. *Sine dilectione Dei, & proximi nemo adultorum est prædestinatus.* 391. *& seq.*

E

Ecclesia. *Vtraque Ecclesia, Militans, & Triumphans orat; vt peccatores fideles conuertantur.* 189. *Meretur de congruo, congruitate strictè sumpta, exaudiri.* ibid. *Ecclesiæ precibus omnes fideles saluarentur, si non poneret obstaculum Gratiæ.* 192. *& seq. Non negatur Ecclesiæ, quod conceditur eius filijs.* 193. *Ecclesia Militans piè credit, maiorem fidelium partem mereri de congruo*

per

per actus fidei, & spei, & obtinere gratiã cõtritionis, seu penitentiæ. 79. *Orat, vt Defuncti à Purgatorio soluantur.* 80.

Exempla. *Exemplum mirabile de Carolo S. Birgittæ filio.* 124. *& seq. Aliud de quodam iam ad gehennam detruso, & ab eadem in gratiam piorum hominum erepto.* 198. *Aliud de altero Monaco, tradito sub mortem infernali Draconi, Monacorum precibus ab eiusdẽ faucibus liberato.* 195. *Exemplum Regis Manasse ad Deum conuersi in ipso imminentis mortis articulo.* 104. *& seq. Aliud de bono latrone.* 105. *& seq. Aliud de quodam magno Domino apud Sanctam Birgittam.* 516. *& seq. Aliud de quodam Iuuene Brabantino naufrago inter maris vndas conuerso.* 518. *& seq. Vide, verbo Miracula.*

F

Fideles adulti. ***Ex Fidelibus adultis, qui cadendo, & resurgendo vitam transigunt, & in morte Ecclesiasticis Sacramentis se præparant, & disponunt, longè plures sunt prædestinati, quam reprobi.* 64. *& seq. Saluandi quoad multitudinem cõparantur stellis celi, & arenæ maris.* 65. *& seq. Item turbæ magnæ, & innumerabili, & maris guttis, quæ sunt innumera.* 68. *Insuper numero decem millium respectu numeri millenarij.* 68. *De decem millibus in Ecclesiæ gremio morientibus post Sacramenta percepta, vix duo damnantur.* 55. *Si maior eorum pars non saluaretur, parum vtilis foret Sanguis Christi.* 176. *Etiam ex ijs, qui perditissimè viuunt, innumeri saluantur.* 113. *& seq. Sed multò plures, & longè facilius saluantur ex ijs, qui cadendo, & resurgendo vitam transigunt. ib. Hi non possunt dici absolutè, & simpliciter habituati in peccatis: & quarè.* 108. *Ab exemplo boni latronis possunt rationabiliter firmam concipere spem de propria salute.* 123. *& seq. Quamuis eis non adsit præsentialis Christi, & Virginis assistentia.* 124. *Quoad maiorem partem assequũtur gloriam adinstar latronis: quãuis non quoad omnes gradus, quos latro meruit.* 120. *Pro eis orat vtraque Ecclesia, Militans, & Triumphans.* 189. *& seq.*

G

Gratia ***vocationis non denegatur infideli se negatiuè disponenti.* 181. *Sufficiens datur omnibus.* 128. *&* 398. *Eius necessitas non præiudicat libero arbitrio. ibid. Gratiæ lex in quibus discriminatur à lege scripta.* 130. *Quod per naturam est impossibile, per gratiam Dei, non solum possibile, sed facilè fit.* 400. *Voluntatem intus immutat, & reformat. ib.*

H

Hebræus. *Hebræi in deserto prostrati designant, vel omnes omnino*

ninò homines, vel Christianos promiscuè sumptos. 39. & *seq.* 281. & *seq.*

Hæreticus. *Hæretici dicuntur esse in populo Dei, idest Ecclesia, & quomodo.* 322. & 325. & *seq. Sunt zizania* 317. *Spinæ.* 323 *Petra super quam cadit semen verbi Dei.* 325. *Vasa fictilia, & lignea.* 326.

I

INgratitudo est *circumstantia quædam, quæ generaliter consequitur omne peccatum mortale.* 445. *Constituit peccatum speciale, quando quis peccat ex contemptu Dei. ibid.*

Iustus. *Iusti, prædestinati significantur per paucos: reprobi verò per multos.* 7. *Iusti nomen in Scripturis vix tribuitur viris sanctissimis.* 379. *Iustum vix saluari, quomodo sit intelligendũ.* 408. & *seq. Iusti subiacent interdum morti violentæ, primò, vt per eam saluentur: secundò, vt per eam mali terreantur: tertiò, vt per eam Iusti expurgentur.* 505.

L

LAtro. *Bonus Latro factus est spes totius populi Christiani.* 106. *Ab eius exemplo trahi potest argumentum ad eos, qui mediocriter viuunt. ibid. Etiam fideles, protrahentes pœnitentiam ad mortem, si tunc facient de necessitatem virtutem. ibid. Latronis pœnitentia potius sera, quam festina dici potest.* 117. *Habuit Christi, & Mariæ notitiam in sua adolescentia.* 118. *Per Mariæ intercessionem conuersus est in fine vitæ. ibid.*

Lex *Euangelica in quibus differat à Mosayca.* 130.

Liber *Vitæ quid sit.* 341. *Dupliciter aliquis in eo scribitur per D. Thom. ibid. Imò tripliciter per Incognitum Carmelitam.* 343. & *seq.*

M

MAria Deipara. *Mariæ Deuotio est prædestinationis signũ, dummodò sit, vel constans, vel affectuosa, vel melioratiua vitæ.* 203. *Eius merita, suffragia, & preces nobis impetrant media necessaria ad salutem.* 207. *Ei non deficit voluntas, & potestas nos saluandi.* 211. *Est Mater Christi, & Christianorum.* 210. *Reconciliat peccatores Deo.* 213. *Diligentes se diligit.* 208. *Auxiliatricem præcipuam se ostendit in morte.* 220. & *seq. Tanquam Mater sedat discordias inter nos, & Christum.* 210. *Et maiori conatu, & affectu hoc præstit, quando nos videt à Christo magis derelictos.* 212. *Satis est, quod ipsa velit, vt quod vult, factum sit. ibid. Impossibile est, vt sit reprobus, cuius Maria vult salutem. ibid. Quomodo impossibile sit eius deuotos damnari.* 215. & *seq. Maior fidelium pars per eius merita, & intercessionem saluatur. quæst.* 3.

quæst. 3. § 11. per totum. Fuit in consilium diuinæ prædestinationis adhibita, cum potestate designandi, & præsentandi Christo, quos voluerit. 225. *Ex condecentia maiorem fidelium partem, vtpotè sibi obsequentem, & deuotam designauit.* 226. *Qui eam inuocat, & in ea sperat cum proposito emẽdãdi commissa, obtinebit à Christo contritionem de peccatis, fortitudinem ad benè operandum, & demum Regnum cœleste.*

Mariæ de Rosario. *Maria intuitu Rosarij frequenter, & deuotè recitati, impetrat ante mortem illud recitantibus contritionis actum, quo se Deo reconcilient.* 532. *Coegit Demonem ad hanc veritatem pronunciandam.* 533. *Non permittit in Sancto Rosarij exercitio perseuerantem damnari. ibidem. Testimoniũ Demonis de hac veritate magnificiendum, vtpotè ab inimica voce prolatum.* 534. *Beata Virgo cogens Dæmonem ad hãc veritatem proferendam, veluti se oppignerauit ad impetrandam recitantibus Rosarium, contritionem de peccatis.* 538. *Hæc eius oppigneratio est veluti tacita promissio, seu quid promissioni æquipollens. ibid. Eius miracula.* 583. *& seq.*

Mariæ de Monte Carmelo *donauit Scapulare, seu Habitum B. Simoni Stockio Generali Carmelitarum in signum suæ Fraternitatis, tesseram salutis, salutem in periculis, & fœdus pacis, & pacti sempiterni.* 543. *Promisit, præseruare ab æterno incẽdio in eo Scapulari morientes. ibid. Hæc Mariæ exhibitio approbatur à Doctoribus, Pontificibus, & Ecclesia, firmaturque miraculis. ibidem. Alia Scapularia ad similitudinẽ illius, quod Deipara præbuit distribuit Carmelitana Religio cũctis fidelibus. ibid. Pontifices, Reges, Principes, & Magnates gestant Scapulare ob priuilegium præseruationis ab inferis, quo fruũtur in eo morientes.* 544. *Quatuor expositiones in illa verba à Virgine prolata;* In quo quis moriẽs æternum nõ patietur incendium. *Prima est Pauli Zehentner Iesuitæ* 545. *& seq. Secunda, nostri Leonis à S. Ioanne.* 547. *& seq. Tertia, nostri Ioannis Baptistæ de Lezana.* 549. *& seq. Quarta, nostri Iranei à S. Iacobo* 551 *& seq. Deipara ex parte sua gestantibus Scapulare impetrat copiosioris gratiæ auxilia.* 545. *Præcipuè in morte ex pacto, & fœdere inito cum B. Simone impetrabit auxilia gratiæ vberioris, vt contriti euadant inferni cruciatus.* 548. *Dummodo gestantes Scapulare fecerint, quæ ipsis præscribũtur ab Ordine, vel Confraternitate.* 550. *Vi fœderis initi tenetur B. Virgo obligatione fidelitatis, & veracitatis impetrare sua ex parte salutem morientibus in Scapulari. Pro Confratribus reprobis orat ex simplici affectu: pro prædestinatis, affectu absoluto, & efficaci.* 574. *Eius miracula.* 587. *& seq.*

Mariæ Oratio, & Meritum. *Mariæ Oratio plus potest apud Deum, quam intercessio omnium Angelorum, & Sanctorum collectiuè sumpta* 557. *& seq. Non solum est supplicatoria, sed etiam imperatoria, quia habet rationem iussionis, & imperij.* 558. *& seq. Totus Mundus saluaretur, si eius precibus se faceret dignum.* 570. *Eius intercessio est maioris efficacia, & infallibilitatis, quam Oratio Sanctorum.* 558. *& seq. Meritum eius, quamuis de congruo, fert*

fert secum infallibilitatem, fundatam in lege amoris, & amicitia inter Deum, & ipsam. 576.

Manasses *in vos. aneum conijcitur, & admoto igne paulatim excruciatur.* 104. *Inuocat numera Idolorum, qua colebat. ibid. In ipso mortis articulo ad Deum conuertitur. ibid. Ab Angelo liberatus in Regnum suum reducitur. ibid.*

Missa *est Sacrificium propitiatorium, & hostia pro peccatis, virtute cruenti Christi Sacrificij, cuius est repraesentatiua.* 177. *Qui eam aliquo modo sibi ritè applicat, impetrat gratiam vera contritionis, seu pœnitentia ibid. Propitiatio, seu peccatorum remissio emanans è Missa non coinquinatur malitia, seu indignitate Sacerdotum.* 179. *Infallibiliter promanat è Missa peccatorum remissio, purificata conditione duplicis dispositionis requisita. ibid. Missa non solùm est Sacrificium propitiatorium, sed etiam impetratorium. ibid. Inter catera Missa beneficia est remedium pœnitentia.* 180. *Petitionum in Missa factarum impetratio non est infallibilis, & quare.* 181. *Maior fidelium pars virtute Sacrificij Missa saluatur, quia vel pro ipsis offertur, vel ipsi ad illud aliquo modo concurrunt, cum sufficienti dispositione. ibid.*

O

Opera *supererogationis multas afferunt vtilitates.* 351.

Oratio. *Orationes vtriusque Ecclesia, Militantis, & Triumphantis, sicut opera, & preces Iustorum, & Sanctorum habent ius quoddam amicabile, ratione cuius aliorum salutem, & iustificationem, promerentur de congruo, congruitate strictè sumpta.* 190. *Omnes fideles saluarentur, si non ponerent obicem gratia exorata.* 191. *Saluantur quoad maiorem partem, vel quia negatiuè se ad primam gratiam disponunt, omne obstaculum auferendo: vel positiuè se praparant, & disponunt per Sacramenta.* 192. *Non denegatur Ecclesia Matri, quod Iustus eius filijs conceditur.* 193. *Eius Oratio impetrat infidelibus gratiam vocationis ad fidem. Oratio S. Luthgardis perditissimo peccatori obtinet gratiam contritionis.* 194. *Oratio quorumdam Monachorũ quemdam Monachum ex tartarei Draconis faucibus eripit.* 195. *Orationibus Iustorum nonnulli mortui liberati sunt à pœnis inferni.* 196. *Vt filius Symphronij Praefecti per intercessionem B. Agnetis. ibid. Frater Septennis S. Perpetua Martyris non baptizatus, precibus eiusdem Sororis sua. ibid. Falconilla Idolorum cultrix suffragijs B. Thecla Virg. & Mart. ibid. Traianus intercessionibus S. Gregorij. ibid. Et quidam Ioseph Bethlecmita orationibus, & meritis S. Angeli Martyris Carmelita. ibid. Et quidam Monachus psalmodia, & precibus adstantium Fratrum.* 198. *Oratio S. Stefani obtinuit conuersionem Pauli.* 193. *Preces lacrymosa S. Monica conuersionem S. Augustini eius filij. ibid. Oratio Sanctorum sortitur efficaciam infallibilem a promissione diuina.* 557.

P

Peccator, & Peccatum. *Peccator non habet Christianitatis indiciũ: nec fidelis agnosci potest, nec homo,*

mo, numerandus interferas. 389. *& seq. Fera peior, Diabolo deterior.* 390. *Peccator pœnitens est vtilis Deo, inutilis sibi.* 349. *Peccatum, quod in homine habitat, & regnat; est maximum signum reprobationis: Quod non habitat, sed transit, est signum prædestinationis; Quod habitat, sed non regnat, medio modo se habet.* 442. *& seq.*

Pœnitentia *duplex: alia vera, & sufficiens: alia congrua, & superabundans, seu superogatoria.* 344. *Pœnitentia congrua non est necessaria ad constituendam veram penitentiam: sed solum vtilis ad illam perficiendam.* 346. *& seq. Est difficilior, quam innocentia.* 361. *Longè plures saluantur ex verè pœnitentibus, quam ex innocentibus.* 362. *Pœnitentia fideliũ orthodoxorum, vt plurimùm est vera, & stabilis, nec facilè deperditur antè mortem.* 514. *Quãuis hoc in aliquibus interdum cõtingat.* 489. *& seq. Pænitentia vera est cessare à peccato, cum firmo proposito iterum non peccãdi.* 344. *Gaudium præbet Deo, & Angelis: mærorem Diabolo.* 459.

Prædestinatus, & Prædestinatio. *Ex fidelibus adultis orthodoxis longè plures sunt prædestinati, quam reprobi.* 64. *& seq. De decem millibus in Ecclesia, post percepta Sacramenta, morientibus, vix duos damnandos; fuit opinio Suarez teste Fullonio Iesuita.* 55. *Multitudo saluandorum ex eis figuratur in stellis cæli, & arena maris.* 64. *& seq. Maioritas numeri saluandorum ex eisdẽ ostenditur, & probatur quæst.* 3. *a* §. 3. *vsque ad* §. 12. *Prædestinati respectiuè ad reprobos ex vniuersa hominum massa, pauci dici possunt,* 7. *& quæst.* 3. *per totam. Incertitudo Prædestinationis probatur in Proloquio & protestatione. Prædestinatis omnia cooperantur in bonum, etiam peccata.* 460. *Ex casu fiunt humiliores, & cautiores. ibid.*

R

Recidiuus, & Recidiuatio. *Recidiuus similis Cani vomitum resorbenti.* 429. *Fictè agit pænitentiã, quando in ipso actu pænitentiæ, simul agit, vel proponit agere idẽ, de quo pænitet.* 446. *& seq. Relapsus illius, quem anteà verè pœnituit, non tollit, quin prior eius pænitẽtia fuerit vera.* 447. *Quãuis prauiderit ob naturæ corruptionẽ se relapsurum.* 448. *Qui post satisfactionem relabitur, non tollit per relapsum, quin præcedens satisfactio recta fuerit, ac per consequens prædestinationis signum. Qui cadendo, & resurgendo vitam trãsigunt, non sunt habitualiter per totam vitam recidiui.* 467. *Recidiui absolutè, & simpliciter dicẽdi sunt, qui nulla interposita pænitentia, peccata iterant, & frequentant.* 470.

Reprobus, & Reprobatio. *Reprobis omnia cooperantur in malum, etiam ipsæ orationes.* 460. *Ex vniuersa hominum massa innumeri sunt reprobi, paucissimi prædestinati. Quæst.* 1. *per tot. incipiendo à pag.* 3. *Ex Christianis promiscuè sumptis longè plures sunt reprobi, quam prædestinati. Quæst.* 2. *per tot. incipien. à pag.* 36. *Ex fidelibus orthodoxis pauci sunt reprobi: innumeri prædestinati. Quæst.* 3. *per tot. incip. à pag.* 63. *Reprobi comparantur paleis.* 317. *& seq. Spinis. ibid. Vasis fictilibus, & ligneis.* 319. *Nota reprobationis*

bationis est Recidiuitas. 470. *Reprobi, & multi idem sonant.* 7.

Rosarium. *Dare nomen Confraternitati Rosarij, est signum praedestinationis.* 530. *Eius deuota recitatio mouet Deiparam ad impetrandum recitantibus contritionem antè mortem.* 553. *Testimonium de eius efficacia ore ipsius Diaboli prolatum. ibid. Reddit moraliter certos de salute illud frequenter, & deuotè recitantes.* 529. *& seq. Est singulare instrumentum, & praesidium in Ecclesia ad diuinam misericordiam implorandam, & Deiparae suffragia impetranda.* 549. *Eius portētosa miracula.* 582. *& seq.*

S

SAcerdos. *Ex mala Sacerdotum vita non benè infertur, ex fidelibus adultis plures damnari, quā saluari.* 427. *Quamuis aliquorū Sacerdotum vita sit mala, facilè contingit, vt eorum mors sit bona. ibid. Soli Episcopi tempore Chrysostomi appellabantur Sacerdotes.* 428.

Salus. *Vt via salutis sit tutior, sufficit, vt de ea habeatur moralis certitudo:* 136. *Salutis assecutio facilior est in lege Gratiae, quam in lege scripta.* 142. *& seq.*

Scapulare B.M.V. de Monte Carmelo. *Fuit datum à B. V. Maria S. Simoni Stockio Generali Ordinis Carmelitarum* 542. *Quomodo intelligenda sunt verba illa, quae protulit Virgo in largitione Sacri Scapularis:* In quo quis moriens aeternum nō patietur incendium. 545. *& seq. Est tessera praedestinationis, foedus initum inter Deiparam, & B. Simonem, de saluandis illud ritè gestantibus, sicut arcus olim in nubibus, fuit signum quo Deus pepigit foedus cum Noe.* 545. *Eius intuitu Beatissima Virgo illud ritè gestantibus, non solū impetrat gratiam sufficientem copiosiorem, qua possint facilè saluari, si per ipsos non steterit.* 545. *Sed etiam (potissimum in morte) gratiam efficacem, qua de facto saluentur. Illud ritè gestantes, & in eo deuotè, & piè morientes possunt damnari, sed de facto saluabuntur.* 564. *Quid sit illud gestare physicè, quid moraliter, quid ritè?* 551. *& seq. Physicè sumptū non habet connexionem cum gloria. ibid. Neque sanctificat sicut Sacramenta.* 552. *Sed qui illud ritè gestant, & in eo laudabiliter, impetrant eius intuitu à Deo, ex promissa Virginis intercessione auxilia specialia, & vberiora, quibus excitentur ad contritionem, poenitentiam, &c.* 552. *Quam vtile sit Scapulare, illud ritè gestantibus.* 568. *Promissio Virginis in largitione Scapularis expresse, est absoluta: sed tacitè conditionata.* 556. *Quid tenentur facere Confratres, vt illud ritè gestent, & ab inferis praeseruentur.* 548. 551. *&* 556. *Promissio Mariana completur solùm cum illis, qui ritè gestant, & moriuntur in Scapulari.* 572. *Est vniuersaliter vera, tàm de reprobis, quàm de praedestinatis, sed diuersimodè.* 572. *Ambiguitas promissionis non tollit eius veritatem, atque adeò nec moralem eius certitudinem.* 573. *& seq. Ex parte Virginis promissio est infallibilis, eiusque infallibilitas fundatur in efficacia sua Intercessionis.* 575. *Quomodo fundetur etiam in solo eius merito de congruo.* 576. *Priuilegium à Deipara Cōfratribus Scapularis promissum est latè vsurpandum iuxta*

xtà iuris regulam, quæ fauores ampliat. 581. Eius prodigiosa miracula. 588. & seq.

T

Tentatio. Dæmonum tentatio interdum conducit ad saluandas animas. 508. Non officit homini, nisi per eius stultitiam. 509. Permittitur interdum à Deo, vt homini proficiat ad meritum: Diabolo verò ad perniciem. 510. Eneruatur virtute, & meritis Incarnationis, & Passionis Christi. 511. Ex pietate credendum est, maiorem Fidelium partem in morte, praualere Dæmoniacis tentationibus ex speciali Dei adiutorio per B. Mariæ, suaque Matris Annæ intercessionem, & Angelorum assistentiam, ei præstito. 512. & seq.

Timor seruilis est duplex, alter cum seruilitate, alter sine seruilitate. 139. Seruilis cum seruilitate est malus. ibid. Sine seruilitate est bonus, imò honestus, & ordinatus ibid.

V

Violentia, qua rapitur Regnum Cælorum est contritio, seu vera pænitentia peccatorum. 401. Hac violentia tot fideles adulti, siue innocentes, siue pænitentes rapiũt Cælorum Regnum, vt illorum vix capax sit Cælum Empyreum. 403. & seq.

FINIS.

Menda ſic Emenda.

PAg.4. verſu 16. pro Pſalm.138. num.18. dicas. Cum de eis dicatur. pag.20. verſ.10. pro commune, dicas communi. pag.24. verſ.2. pro Via, Vias. pag. 25. verſ.10. pro euidenter, euidenti. pag.26. verſ.7. pro vltimò, primò. pag.60. verſ. 3. pro aliier, aliter. pag.73. verſ.7. pro verum, falſum. pag.85. verſ. 2. pro anzio, anxio. pag.10. verſ.27. pro lapſum, lapſuum. pag.102. verſ. 27. pro cuſtodierit omnia, adde præcepta mea. pag.104. verſ.7. pro nomina, Numina. pag.127. verſ.5. pro Ratione concluſio vlterius, dicas vlterius concluſio ratione. pag.141. verſ.5. pro contriam, contrariam. pag.147. verſ.14. pro proximum, proprium. pag.164. verſ.8. pro reſtitutis, reſtituis. pag.200. verſ.6. pro aſſiduas, aſſiduis. pag.216. verſ.14. pro Caprolo, Capreolo. pag. 237. verſ. 13. pro ſuſcipiet, ſuſpiciet. pag.271. verſ.5. pro hic, hinc. pag.278. verſ.4. pro anziam, anxiam. pag. 281. verſ.25. pro euentu, erutum. pag.299. verſ vlt. pro eleuat, eluat. pag.307. verſ.24. pro ſatis, valdè. pag 315. verſ.20. pro eſſet, grex. pag. 320 verſ.15. pro fundo, funda. pag.331. verſ.5 pro autom, autem. pag. 337. verſ. 5. pro eos prorſus, eos boni prorſus. pag.351. verſ. 26. pro proccupaſſet, præoccupaſſet. pag.361. verſ.2. pro ſufficienter, ritè, & verè. pag. 373. verſ. vlt. pro radlcantur, radicantur. pag.377. verſ.19. pro hominem, hominum. pag.382. verſ. 8. pro ſint bona, dicas, ſint opera bona. pag. 389. verſ.13. pro inirco, in circo. & verſ.16. pro honoribus, moribus. pag. 393. verſ. 2. pro mitteretur, mittetur, & verſ.22. pro electorum, electi. pag 396. verſ.8. pro aſſequntio, aſſecutio. pag. 403. verſ.18. pro diffuſam ſignatè, adde diffuſam contingere, ſignatè. pag.410. verſ.21. pro quaquaquam, quaquam. pag.413. verſ.9. pro Exomolegis, Exhomologeſis, & verſ.11. pro Exomolegis, Exhomologeſis. pag. 421. verſ. 24. pro apllcatorum, applicatorum. pag.430. verſ.17. pro deſinet, deſinat. pag.443. verſ.2. pro conuerſunt, conuertuntur. pag. 450. verſ. 24. & 25. pro pernet, pertinet. prg.457. verſ.1. pro enſu, ſenſu. pag.461. verſ. 19. pro retractum, retractatum. pag.465. verſ 22. pro comno, ſomno. pag.472. verſ.4. pro moriamin, moriamini. pag.481. verſ.8. pro reſarcendi, reſarciendi. pag. 505. verſ. 11. & 12. pro reperinto, repentino. pag.533. verſ. 12. pro vobiſcum, nobiſcum. pag. 561. verſ. 23. pro pietate, Obedientia. pag.569. verſ.7. pro videatus (ne mendax, dicas (ne videatur mendax. pag.579. verſ. vlt. pro potiſſimum, potiſſimam. pag.580. verſ. 16. pro abuntiora, abundantiora. pag.594. verſ.28. pro maſſipontum, muſſipontum. pag.602. Verſ.28. pro Virgineum, virgineus.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſt. Sacr. Palat. Apoſtol.

I. *de Angel. Archiepiſc. Vrbin. Viceſg.*

I*mprimatur*.

Fr. Petrus Franciſcus de Benedictis Magiſt. & Reuerendiſs. P. Mag. Sacr. Palat. Apoſtol. Socius.